GABRIELIS ALBASPINI AURELIANENSIS EPISCOPI ... DE VETERIBUS...

Gabriel : de L'Aubespine

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — E
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23
B
22

23
B
52

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Has observationes impense laudat

Jo. Morinus lib. 2. exercit. 1. pag. 94.

Lotheis communicationis et excommunicationis generibus in
prudentiam nihil agemus ... illam (cognitionem) a Reverendis-
simi Episcopi Aurelianensis observationibus repetent, qui
primus hæc mysteria confidenter aperuit et doctissime pene-
travit =

exercit. 16. pag. 374.

= qui plura postulaverit, illustrissimi Altaspinæi Aurelian.
Episcopi lib. 2. observationes 31. 32. 33. antiquæ et suc-
culenta eruditione exundantes interim consulat et evolvat =

Digitized by Google

Collegij Rom. Soc. Jesu. Catal. Inscrip.

GABRIELIS ALBASPINI AVRELIANENSIS EPISCOPI DE VETERIBVS ECCLESIAE RITIBVS,

Obſeruationum Libri duo.

NOTAE IN CONCILIVM Eliberitanum, quoſdam alios antiquos Canones, & aliquot Tertulliani libros.



LVTETIÆ PARISIORVM.
Sumptibus LAVRENTII SONNII, via Iacobæa, ſub Circino Aureo.

M. DC. XXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLEGIS
ET FRATRIBVS
NOSTRIS GALLIARVM
COEPISCOPIS.

GABRIEL AVRELIAN. EPISCOPVS S. D.

NON eô mihi eſt inſtituenda præfatio, vti operis huius, quòd ſcio quàm leue ſit ac puſillum, ratio lectori conſtet: ſed vt obiter conquerar nimiam hac tempeſtate explicandi atque intelligendi antiquos Eccleſiæ Patres incuriam. Noſtra ſiquidem hæc eſt prouincia, noſtræ partes ſunt docere populũ, & hæreticos ab erroribus in viam autoritate & doctrina Patrum illorum reducere, vt ſi minus huic muneri ſatisfactum ſit, penes nos omnis culpa reſideat. Et potiſſimum quidem in hoc regno vbi hæreſis eô deuenit audaciæ, vt

Digitized by Google

libris paſſim ſuis falſas allegationes infarciat, & quæ ab initio illi arma erant metuenda, tam nunc ignauia noſtra, quàm arrogantia ſua, ſibi accommodet. Quibus incommodis nullum aliud quàm in Patribus ſubſidium inuenies. Quòd ſi nullæ eſſent hæreſes, nihil æquè tamen eſſet Eccleſiæ neceſſarium ac lectio Patrum & intelligentia: ſi enim apud nos Eccleſiaſtica diſciplina aliquam veteris ſplendoris retineret imaginem, non eô vſque corruptelæ ventum eſſet, quando prioribus illis ſæculis vnicum delictum mortale non niſi perpetua, aut ſaltem multorum annorum pœnitentia expiaretur. Et quidem cenſura Eccleſiaſtica quæ hodie in contemptũ venit, quæ poteſtati Iudicum laïcorum tradita, tantum ad detegenda minutarum mercium latrocinia vſui eſt, nec timorem aut ictum niſi pro peccato alieno & non proprio incutit, iam non eſſet Eccleſiæ ruentis indicium, ſubirétque animis identidem, quanti ponderis & grauitatis ſit quod ab illis Patribus dictum eſt, ne ſoluatur Cenſura diuina. *Cætera noſtra incommoda ne pudor noſter ſuggilletur, ſilentio prætermitto. Verùm procul ab omni dubitatione eſt, Patrum lectione remedia horum malorum doceri, nobiſque nullius prope negotij futurum res collapſas reſtituere, ſi ex*

Digitized by Google

Patribus diſceremus, quid ſit Epiſcopus, ſubindéque intelligeremus penes nos eſſe, ſpretis exiguis quæ in manu noſtra ſunt opibus, Epiſcoporum Eccleſiæ autoritatem in integrum reuocare. Quod attinet ad hæreſes, nullum aduerſus eas efficacius comperio, quàm quòd in Patribus exiſtit præſidium: idem nobiſcum de Sacramentis & ſcripſerunt & locuti ſunt, eandem nobiſcum fidei regulam tenuerunt, eaſdem ceremonias obſeruabant: ad nos iſta fides continua ſucceſſionis ſerie peruenit: huic ſtandum eſt, hac nihil verius atque tutius eſſe credendum. Hæc veritas firmis adſtructa rationibus, ius habet in omnes mortales, nec quiſquam eſt adeo peruicax, qui non ſuo ipſius calculo condemnetur. Nam vt quis obtendat homines eſſe, ideoque errare potuiſſe, vana eſt exceptio: fierine poteſt, vt omnibus ſeculis, omnibus prope annis, omnibus in partibus terrarum tot ſancti Patres hallucinati ſint, quodque ipſi credebant ac factitabant, falsò ſcriptis prodiderint? Vno verbo reſpondet Tertullianus, Ecquid veriſimile eſt, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? *Addit,* quòd apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum ſed traditum: *ij ſunt apud quos Domini noſtri teſtamenta & Apoſtolorum*

mandata, & antiquitatis tabularia, denique acta Eccleſiæ publica & antiqua ſunt depoſita. Et ſi obiiciatur centum iam annos, tot religioſis ordinibus mancipatos, tot doctrina præcellentes viros in hoc inſudaſſe, iámque ita noſtræ fidei, noſtrorum ſacramentorum, & ceremoniarum cum antiqua Eccleſia conuenientiam elucidaſſe atque comprobaſſe, vt qui conetur meliora, vel magis profutura ſperet, fruſtra ſit. Nihil herclè, meritis ac doctrinæ tot excellentium virorum addi poteſt, ſed tria expendenda ſunt, vnum hæreſim ſuo naſcendi primordio à Patribus abhorruiſſe, iiſque rarenter vſam eſſe, quos verò poſtmodum Patres in ſui defenſionem aſſumpſerit, eos demum hæreticorum calumnia & contagione eſſe liberandos: alterum, hæreticos contra ſe allegata quodammodo reſoluiſſe, atque in dies nouis apologiis & replicationibus edendis pergere: quibus ſit reſpondendum: poſtremum, quod vt facile eſt inuentis addere & vetera interpolare, ingenia huiuſce temporis quæ omiſſa ſunt in Patrum ſcriptis tum exercitatione tum labore eruere, eorúmque ſenſum multò faciliùs quàm hactenus factum ſit poſſidere. Cuius rei exemplo eſt Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, qui diuino ingenio, & tot prærogatiuis ad intelligen-

Digitized by Google

tiam Patrum ſibi datis, immane quantum ad ea quæ aduerſus hæreticos dicta fuerant, addiderit: quod idem ſcribit, quod expromit, quanto ſolidius eſt, quanto neruoſius, quanto maiorem omnibus affert admirationem? Argumento eſt, quod nec eius ſcripta audire, nec legere ſuſtinent. Verùm vt diſciplinam Eccleſiaſticam & Controuerſias omittamus, cui noſtrum Theologia horum Patrum magnam partem ſatis intelligitur? Debuitne quidquam ex eorum ſcriptis nobis incognitum eſſe aut difficile? Quot loca, quod minus intelliguntur, corrupta eſſe dicuntur? Quam multi ex nobiliſsimis huius æui ſcriptoribus atque interpretibus in explicando aberrarunt? Ipſi etiam hæretici audent in Patres ſcribere Commentarios, quaſi aliquid ipſorum interſit, eóque modo multa Patribus, quaſi ſecum facientibus, prorſus ab eorum mente aliena in rem ſuam affingunt. Quod quidem Eccleſia facile impediret, ſi quid penſi haberet, illis optimos dare Interpretes. Ergo ne huic cauſæ & muneri noſtro ſemper indormiemus? An opes, an homines, an voluntas ipſa nos deficit? Nunquid in hos vſus omnes Eccleſiæ opes noſtri arbitrij ſunt? Quid ſinimus perire tempus, captum & labores tot hominum, tot virorum excellen-

Digitized by Google

tium, quorum ingenia otioſa relinquũtur? Nunquid effici poteſt, vt horum vota, labores, vigiliæ, eodem ductu, eadem autoritate & conſilio, progreſſu temporis ad intelligendos peritiſſimè Patres, ad legendas Controuerſias, ad reſpondendum omnibus omnium hæreticorum ſcriptis interſe deuotione quadam conſpirent? Nunquid nonnullorum doctiſſimorum exercitatiſſimorúmque hominum collegium inſtitui, tanquam ſcientiarum templum & oraculum, vnde antiqui Patres ſuæ doctrinæ, ſuorúmque ſcriptorum reſponſa & rationes edant. Et quandoquidem in vnum ſæpe conuenimus, vt rerum Eccleſiaſticarum rationem & curam aliquam ineamus, Deum Optimum Maximum oro obſecróque, vt hanc mentem nobis det, & in hoc negotium totis animis incumbamus. Valete. Aureliis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Menſis Iunij vigeſimo primo.

Digitized by Google

QVID SIT COMMVNIO, COMMVNICARE, EXCOMMVNICATIO.

OBSERVATIO I.

MVLTA in vſu & conſuetudine hominum poſita ſunt, quæ etſi à maioribus noſtris manaſſe tradantur, longo tamen temporis tractu ſunt ita mutata, aut in alium vſum tranſlata, fere vt nihil aliud quã nomẽ ex priſtino inſtituto retineãt. Satis ſi mihi eſſet otij, in cũctis artibꝰ & diſplinis ita ſe rẽ habere, oſtenderẽ. Inde verò magni errores cõſecuti ſunt: nam harũ rerũ ſi fortè nunc incidat mẽtio, eas non vti fuêre, ſed quales hodie ante oculos noſtros verſantur, concipimus, atque de ijs diſſerimus. Animus enim ſe à conſuetudine rerum quas videt, quas cernit, quibus, vtitur non patitur abduci: neq; poteſt mente complecti, earum quarum nomẽ vſque adhuc permanſit, vim quoque & naturam non permanſiſſe. Quod cùm ſępe in alijs rebus, tũ maximè in his vocibus cernere eſt, *Cõmunio*, *Cõmunicatio*, *Communicare*, *Excõmunicatio*. Nã nihil eſt aliud quid-

Digitized by Google

quam,cur apud Patres quæ de his habentur,ad Euchariſtiæ Communionem,ipſamque ſolã Euchariſtiã omnes referant,niſi quod hodie inter nos nihil ſit in vſu quod *Cõmunionis* appellatione intelligatur prҫter Euchariſtiam;vetúſque ille communicãdi ritus partim vetuſtate deſierit, partim ad ſolam Euchariſtiam reſtrictus ſit. Quis enim vnquã meminerit,ſi memoria plus valet,excommunicatũ ab omni hominum cõmercio & ſocietate expulſum & ablegatum ſe vidiſſe? Si quis vnquam hoc ſæculo, quod neſcio an acciderit,Cõmunione fuit priuatus, ſola fuit Euchariſtiҫ perceptione:in reliquis ſuҫ vitҫ partibus,quã ante excõmunicationẽ habuit, eandẽ cũ cæteris fidelibus conſuetudinẽ &vſum retinuit. Eò fit vt quoties de Communione eſt ſermo,quҫ nunc eſt huiuſce vocis ſignificatio, quam quæ olim obtinebat libentius occurrat:animuſque vſitata ac familiari notione quàm veteri, citiùs occupetur. Sed vt hunc errorem tollamus, legitima huiuſce vocis explicatio è veteribus eruẽda eſt: qui quò propiùs aberant ab ortu & origine Eccleſiæ, hoc meliùs fortaſſe quid ſit Communio,docere poterunt.

Communionem latiùs multò patere quã Euchariſtiam,vel ex eo perſpicuum eſſe poteſt,quod Eccleſiæ Cõmunionem accipere,atq;adeo ad eam pœnitentes ſine Euchariſtia poſſent admitti:quҫ nullo etiã tum negotio probare poſſemus,ni ſatius eſſet cõtinẽti oratione hanc explicationem diſcutere. Communio igitur quҫ aut ad res ſacras,aut ad vitҫ cõſuetudinem & hominum ſocietatem pertinet, prorſus

Digitized by Google

ea omnia complectitur. Cui enim omnimodè communicabat, in rebus non ſolùm ſacris & Euchariſtia, ſed etiam in omnibus omnino rebus quę in hominum vita & commercio verſantur, cum cæteris fidelibus communicabat. Atque vt ius illud Communionis ſitũ erat in rerum omnium humanarum & diuinarum participatu & ſocietate, ita Excommunicatorum (ex quorum cognitione quid ſit Communicare, & Cõmunio conſtabit liquidiùs) diuerſa omnino erat conditio, non ſolum à ſacris arcebantur; ſed etiam omnes eos aſpernabantur, omnes abhorrebant, omnes eos vt putre membrum & reſecandum fugiebant, cum ijs rationem inire, aut rem vllam contrahere nefas erat, nemo eos ſalutatione, nemo fratris appellatione, nemo aſpectu, nemo alloquio, nemo conuiuio eos dignos iudicabat, tanta ſeueritate vt ne Deo quidem preces cum eis adhibere liceret. Canone Apoſtolorum 10. *Si quis cum Excõmunicato, licet in domo preces coniunxerit, iſte Cõmunione priuetur.* Canone 33. Laodicenſis Concilij: *non oportet cum hæreticis, vel ſchiſmaticis orare.* Canone 2. Antiochenæ Synodi primæ: *non autem licet communicare Excõmunicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui Eccleſiæ non participant in oratione, nec in alteram Eccleſiam recipi, qui ab alia excommunicantur.* Canone 73. Carthaginenſis quarti: *qui communicauerit, vel orauerit, cum Excõmunicato, ſiue Clericus, ſiue Laïcus, excommunicetur.* Quod à conuiuijs excluderentur ſi authoritatem poſtulas, habes Canonem 30. Arelatenſis ſecundi Canonem 15. 16. 18. Toletani primi: Canonem 3. Concilij Venetici: Canonem 8. Turonici primi: Ca-

nonem 3.5.15. Concilij Aurelianenſis primi: Can. 13. Ilerdenſis, Canonem 4. & 14. Auernenſis, Canonem 6. & 11. *Si quis relictam fratris, ſororem vxoris, priuignam, conſobrinam-ve relictam, id eſt patrui, vel auunculi carnalis contagij macula crediderit violandam, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio & Eccleſiæ Cõmunione priuabitur.* Quid? ne panem quidem cum eis ſumere ſatis tutum videbatur: Canone 15. Epaunenſis Concilij: *Si ſuperioris loci Clericus hæretici cuiuſcunque conuiuio interfuerit, anni ſpatio pacem Eccleſiæ non habebit. Quod ſi minores Clerici præſumpſerint vapulabunt. A Iudæorum conuiuijs etiam Laïcos conſtitutio noſtra prohibuit, & ne cum illo Clericus panem comedat, quiſquis in Iudæorum fuerit conuiuio inquinatus.* Canone 59. Antiſſiodorenſis Concilij: *Si quis presbyter aut quilibet de Clero aut de populo Excommunicato abſque voluntate ipſius qui eum excommunicauit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, vel colloquium habere decreuerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit.*

Colloquia præterea cum eis habere ijdem ipſi Canones vetabant, quos modo ex Concilijs Toletano, Aurelianenſi, & Antiſſiodorenſi retulimus. In reliquis denique, quæ in quotidianæ vitæ vſum cadunt, nihilo magis eos cum cæteris fidelibus cõmunicaſſe, vel hoc argumento colligere licet, quod eis in publicum aut in cuiuſquam conſpectum venire, ne quidem, niſi lugendi cauſa, liceret; ſi decreto quod vulgò tertio Carthaginenſi adnectitur, fides habenda ſit. Expoſui ferè quicquid de Excõmunicatis traditur, ſed paulò fuſiùs, vt faciliùs in cognitionem Communionis, quave in re conſiſteret, deduceremur.

Digitized by Google

Cæterum ex ipſius etiam vocis notione, atque ex ijs quæ de ea in Concilijs tradita ſunt, poſſumus oſtendere, qua in re potiſſimum ius illud Communionis poſitum eſſet, vnde quilibet etiam intelligere poterit, conſuetudinem, & vſum eius vocis qui nunc eſt à vera, legitima, & antiqua illius verbi acceptione deflexiſse: Patres Concilij Nicæni canone vndecimo, duodecimo & decimo tertio quoſdam pœnitentes omnium rerum, præterquam Euchariſtiæ participes fecerunt: quam communionem Ioannes Zonaras ita explicat: *Si cui verò in eo diſcrimine Communio quaſi morienti cōceſſa ſit, ſeque is poſtea morti ſubtraxerit, cum fidelibus quidem orare, non tamen iterum communicare Sacramentis licebit.*

Quin etiam deſines quærere quid ſit Communio, ſi ad Ancyrani Concilij Patres rem deferas, nam eorũ in lapſos iudicium ad Euchariſtiam referri nequit, quibus poſt aliquod tempus omnia, cum cæteris fratribus, volunt eſſe communia, præter Euchariſtiam, cui enim cum fidelibus ſupplicationes facere, & orare liceret, is ad omnia quæ erant in ſocietate Chriſtiana, vna excepta Euchariſtia, ius habere cenſebatur: itaque probè definitur hæc Communio à Zonara, *Communionē* namque hoc loco, non ſacri corporis & ſanguinis perceptionem; ſed ſolam cum fidelibus conſociationem intelligit.

Sed cùm omnia antiquorum ſcripta luſtraueris, nullibi clariùs quàm in canone duodecimo Concilij Arelatenſis ſecundi, hæc vox Communionis explicatur: *De his qui in pœnitentia poſiti, vitam exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti; Sed pro eo quod*

Digitized by Google

honorauit pœnitentiam, oblatio eius recipiatur. Homo mortuus, & cui propterea Euchariſtia præberi non poterat, ad Communionem, & ſocietatem cæterorum fidelium reuocatur: neque obeſt, quod quis poſſet ſuſpicari, ſolitos nonnunquam fuiſſe mortuis Euchariſtiam infundere, vt refertur in Canone 6. Concilij Carthaginenſis tertij. Nam ille ipſe de quo agitur in Concilio Arelatenſi muneribus & oblationibus, quas parentes ex eius teſtamẽto, præſtare debebant, in communionẽ fidelium reuocabatur; vt eodem canone habetur, *oblatio eius recipiatur*.

Ni longum eſſet, & moleſtum, pluribus docerem vim huiuſce vocis, & ſignificationẽ multa alia præter Euchariſtiam complecti, vt canone 7. Concilij Carthaginenſis primi *Communio paſſiua*, item *alterius fugiens Communionem*, item canone Apoſtolorum 29. Cõcilio Romano tertio apud Innocentiũ ad Exuperium, Concilio Antiocheno canone 4. Concilio Agathenſi canone 2. & 3. 32. Concilio Carthaginenſi canone 79. oblationibus in communitatem Eccleſiæ mortui pœnitentes recipiuntur, quemadmodum iudicatum fuiſſe diximus in Concilio Arelatenſi 2. Concilio Taurinenſi canone 5. Concilio Toletano primo canone 17. Concilio Mileuitano canone 22. 24. 25. Concilio Carthaginenſi 6. canone 10. Concilio Carthaginenſi 7. canone 5. Concilio Africano canone 101. Concilio Arauſicano canone 3. Concilio Vaſenſi primo, & ſecundo canone 2. & 8. Concilio Arelatenſi tertio canone 3. Concilio Venetico canone 3. Concilio Tarraconenſi canone 6. quibus omnibus locis Com-

Digitized by Google

munio pro Euchariſtia nequaquam ſumitur, verú pro iure quod quis habere poſſet in cõmunitate fidelium, & corpore Chriſtianorum, quod ius & ſocietatẽ tanta religione defendebant, (vt ait Tertullianus *ſocietates Eccleſiam defendere*) vt non ſolùm Excõmunicati eiuſdem cõgreſſu, colloquio aut ſocietate, vti quẽquam id peccati atrociſſimi loco ducebant, quod ab Eccleſia prohiberetur; ſed etiá cæteros fideles, vel ſolo hoc colloquio, & tantilla Cõmunione infectum iri Scripturâ id atteſtante, *modicum fermentũ totã maſſam corrumpit*, item, *quæ cõmunicatio luci & tenebris.* Vnde S. Cyprianus exiſtimat eũ cũ Hæreticis cõmunicare, qui eorũ Baptiſmum probaret, & pari iure & poteſtate cũ Orthodoxorũ baptiſmo pollere aſſereret: atq; iſtá Cõmunicationẽ vel hoc ipſo facto cõſtituere, & deſignare cæteros fideles, conſcios ac reos errorum omniũ, ac peccatorum quibus implicantur hæretici, *à quacumque hæreſi venientem baptiſari in Eccleſia vetuit, id eſt omnium hæreticorum baptiſmata iuſta eſſe, & legitima iudicauit, & cùm ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans, vniuerſorum delicta in ſinum ſuum coaceruata congeſſit.* Epiſtola contra Stephanum, ita Concilio Carthaginenſi habito tempore Diui Cypriani, Epiſcopus Victor ait eos qui hæreticorum baptiſmum probant, & cum eis hac in re cõmunicant, Chriſtianos fideles inficere, nec ab iiſdẽ hæreticos purgari: *nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat*, ita Epiſcopus Confeſſor eodem in Cõcilio aſſerit: *qui enim baptiſma Eccleſiæ commune cum hæreticis*

facit, ſpõſam Chriſti adulterij prodit. Huius autem odij publici & execrationis, quo ab Excommunicato tãtopere abhorrerent, cauſa non fuit alia, quàm quod timerent, ne corpus Chriſti, Eccleſiam, fidelium ſocietates, ius Communionis Chriſtianæ, peccatores conſortio ſuo inficerent.

DE COMMVNIONE ECCLESIASTICA.

OBSERVATIO II.

COmmunio eo modo deſumpta pro ea parte & communione quæ cuique fidelium cum cæteris eſſet fidelibus, in laicã & Eccleſiaſticam ab Antiquis diuidebatur: quarum hæc clericorum, illa laicorum, ius in Chriſti corpore myſtico & Eccleſia ſignificabat. Et quemadmodum eadem in plebem, & ordinem, vt ait Tertullianus, diuiditur, omniſque ex his duobus inſtituitur, ita Cõmunio Chriſtiana, id eſt corpus Chriſti, ex laicis & clericis, atque ex iſtis duabus Cõmunionibus, laica ſcilicet & Eccleſiaſtica, cõſtat. Nam cùm Cõmunio generatim ſumpta, nihil aliud ſit quàm ipſamet Eccleſia, iiſdẽ eas partibus & mẽbris componi neceſſe eſt. De laica paulò poſt erit dicendum: de Eccleſiaſtica hoc nunc habeo, quod tot genera & ſpecies huiuſce Cõmunionis cenſerẽtur, quot ſunt ordinũ gradus, & quot modis ab his gradibus excidere poterãt clerici: qui enim in Epiſcopũ adlectus eſſet, longè alia ratione huiuſce communitatis erat particeps, quàm qui ſola Diaconatus aut Preſbyteratus dignitate pollebat. Rurſus cùm nonnunquam

Digitized by Google

nunquam euenire poſſet, vt gradus ſui honore is non priuaretur, cui tamen ob aliquod crimen, eiuſdem gradus munia obire non liceret, exempli cauſa, ſedis & conceſſus honor cuipiam Epiſcopo relinqui poterat, cui verbi diuini adminiſtratio, pœnitentiæ conceſſio, & cæterę eiuſmodi Epiſcopatus partes interdictæ, & prohibitę eſſent, huic ergo, quamuis Epiſcopo, non eadem erat pars, nec ęqua omnino in eadem Communione cum cęteris Epiſcopis, quod videlicet de ea nonnihil amiſiſſet, & ius illud ei imminutum eſſet. Itaque vt paucis abſoluam, nam longum eſſet nimis per ſingulas depoſitionum claſſes percurrere, tot erant huiuſce Communionis ſpecies, totque in Conciliorum canonibus enumerantur, quot depoſitionum genera, quę cum eſſent penè infinita, huiuſce etiam Communionis ius, & participatio variis modis concedi, & imminui poterat: Illud vnum monendum eſt, cùm quis omnimoda depoſitione, vt aiunt Canones, & perpetua puniretur, hoc eſt cùm quis, tam à gradus honore, quàm functione remoueretur, eum ius integrum Communionis Eccleſiaſticę amiſiſſe, & inter laicos fuiſſe relegatum, cum quibus Communione laica non minùs quàm cęteri laici, fruebatur. Præterea notandum eſt quotieſcumque in Canonibus à communione clerici ſecluduntur, quamuis nihil aliud adiectum ſit, quo genus Communionis ſignificetur, id de Eccleſiaſtica Communione eſſe accipiendum: Quę ab iiſdem Eccleſiaſtica; nonnumquam etiam Sacerdotalis vocatur, vt in Concilio Arelatenſi ſecundo, *Secundum inſtituta ſeniorum ſi à Communione Sacerdotali fuerit ſuſpectus Epiſcopus.*

Digitized by Google

DE COMMVNIONE PEREGRINA.
OBSERVATIO III.

HÆc vox, Communio, cùm in vſu ſermonis quotidiani nihil extra Euchariſtiam ſignificet, mens noſtra locutioni huic innutrita, in acceptione vocabuli vſitatiore acquieſcit, paulum admodum attendens tempus canonum, Patrum ſcripta, & ſignificationem, qua in veteri Eccleſia vſurpatur; id nimirum cauſæ eſt cur paſſim, Communio pro Euchariſtia accipiatur, inde quamplurimi doctrina prꝑſtantes viri, ſi vera conijcio, exiſtimauerunt Communionem peregrinam, nil aliud eſſe quàm Communionem Euchariſtiæ ſub altera ſpecie, licet loci ferè omnes in quibus de ea fit mentio, liquido refragentur, & longè aliam ſignificationem inſinuent. Sed quoniam communi calculo ſententia hꝑc obtinet, diſſoluenda nobis eſt, antequam noſtram adducamus. Vix ſuperant quatuor aut quinque loci qui de ea mentionem faciant, in pleriſque omnibus pro pœna inuritur clericis, qui maximorum facinorum criminibus obnoxij ſunt, & ob delicta, quæ anathemate coerceri debeant, vt probra, contumacia, furtum, ſacrilegium. Inde perſpicuum fiet veroſimile non eſſe, rem tam ſanctam, & ſacram Communionem, nimirum ſub altera ſpecie, adhibitam fuiſſe pro pœna grauiſſimorum criminum, ſaltem illis ſꝑculis, quibus leuiſſima peccata Excommunicatione in multos annos luebantur. Accedat, veteres Patres Eu-

chariſtiam tanti feciſſe, & in ea diſpenſanda tantum curæ & ſagacitatis adhibuiſſe, vt eam non rarò quibus gratiæ beneficium impertiebant, etiam morte inſtante, aut laborioſiſſima & cruciabili pœnitentia purgatis denegarent. Ab hac ante omnia peccatorem remouebant, hanc ægrè & vltimo loco pœnitenti reſtituebant, eiuſque concedendi facultatem ſolis Epiſcopis largiebantur. Quapropter quis credere poterit Euchariſtiam in pœnam clericorũ facinoroſorum adhibitam fuiſſe? Præterea hoc illis probandum incumbit teſtimonijs minime leuibus tempore Conciliorum, in quibus de peregrina Communione fit mentio, omnes qui in canone eccleſiaſtico recenſerentur, Clericos, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Exorciſtas, Oſtiarios, Acolytos, cæteros denique, ſub vtraque ſpecie communicauiſſe, alioqui peregrina Communio in pœnam vſurpata non fuiſſet, cum eorum iudicio nihil ſit aliud, quàm Euchariſtiæ participatio ſub altera ſpecie. Quẽ enim hodie tam vacui capitis reperias, qui ab Acolyto ſat graues pœnas exigiſſe crederet, ſi eũ ſub vna tantùm ſpecie iuberet communicare? Tertiò quare laici etiam Communione peregrina non puniũtur, cùm primis illis temporibus ſub vtraque ſpecie communicarent. Quod ſi mihi reſpondeatur quinto ſæculo tum demum Concilia Communionis peregrinæ mentionem feciſſe, tandem ediſſerant, quamobrem clerici quia Diaconis ſuberãt, & qui nunquam, niſi laicorum more communicabant, peregrina tamen Communione plecterentur?

Sed quoniam exiſtimant peregrinam Communio-

Digitized by Google

nem nihil aliud eſſe quàm laicam Communionem: quærendum ex eis, cur temporum illorum Eccleſia, rem eandem verbis tam diſſitis, & repugnantibus nuncupauerit?

Sed accedamus ad penſiculatam hórum quatuor canonum examinationem. Quis non videat dictu eſſe ridiculum Agathenſis Concilij Patres Euchariſtiam conceſſiſſe, etiam ſub altera ſpecie, ei qui capitale crimen admiſiſſet, & bona Eccleſiæ ſurripuiſſet. *Si quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei Communio tribuatur* Canone quinto: peccatum illud nempe, quod Sacrilegium vocatur, quodque à cæteris Concilijs indeſinenti Excommunicatióne vindicatur.

An cenſere debemus Patres Concilij Agathenſis, qui tam acerbè in clericos vinolentos animaduerterunt, qui clericos tribunali laicorum ſe ſubmittentes tam ſeuerè proſcripſerunt, & eos qui bona Eccleſiæ, quorum vſus ab Epiſcopo conceſſus erat diſtrahebāt, fulmine cenſurarum afflauerunt, ſacrilegis Euchariſtiam conceſſiſſe, vt patet in Canonibus ſeptimo, octauo, vigeſimo ſecundo, & quadrageſimo primo. In Concilij Agathenſis canone ſecundo, quibuſcumque tandem clericis contumacibus peregrina Communio indulgetur. Atque exiſtimarem Agathenſis Concilij tempore minorum ſubſelliorum clericos, vt & laicos ſub altera tantùm ſpecie communicauiſſe, quamuis non tam facilè expediri poſſit, quo tempore vtriuſque ſpeciei vſus immutatus fuerit, & ſola panis ſpecies populo exhibita, vnde colligitur in illo canone de Communione ſub vna ſpecie non agi: *Et ſi qui*

Digitized by Google

prioris gradus ſuperbia elati Communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiã frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis Communio tribuatur, ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant. Denique canone 16. Concilij Ilerdenſis Communionis peregrinę meminit, ſed non alio ſenſu quàm Concilium Agathenſe, nam clerico ſacrilego, itidem Communionem indulget. Nec ergo Concilium Ilerdenſe Communionem peregrinam pro Euchariſtia ſub vna ſpecie accepiſſe dicendum eſt. *Vix quoque peregrina ei Communio concedatur.* Non deerunt forſan qui adderent 2. canonem Concilij Agathenſis innuere videri, in peregrina Communione pœnitentiam adhiberi ſolitam, propter hæc verba, ita vt cum pœnitentia eos correxerit: quapropter ab omni ratione alienum eſſe peregrinam Communionem pro Euchariſtia accipere. Nam ante peractam pœnitentiam, Euchariſtia nunquam pœnitentibus indulgebatur. Sed vt arbitror, non ibi pœnitentia accipi debet, pro pœna quæ pœnitentibus ab Eccleſia imponebatur, cùm canon nil aliud velit, niſi quod dum à cæteris ſegregatus fuerit clericus qui peccauit, ſi animum mœroribus deijciat, & quę admiſit triſti tractatione mutare ſit paratus, in priorem gradum reſtituatur, & ibi pœnitentia accipitur pro anxietate, & non pro afflictationibus carnis, quæ ab Eccleſia imponebantur. Nam quando Clerici ſolo gradu aut Communione Eccleſiaſtica priuarentur, non priuabantur Communione Euchariſtiæ niſi id expreſſum eſſet in eorum elogiis & iudiciis: Adde pœnitentibus ſpem

omnem redeundi in clerum prouiſam fuiſſe, quapropter cùm eodem canone dicat eos gradum recuperare poſſe, de Eccleſiæ pœnitentia ea vox *pœnitentia* non eſt intelligenda. Atque etiam inter cætera aduertendum eſt, hæc verba, *Communionem contempſerunt*, quæ in eodem canone habentur, non intelligi de Euchariſtia; ſed de Communione, quam clerici habebant ad inuicem.

Supereſt vt explicem meam de Communione peregrina ſententiam, quæ nihil aliud eſt, niſi me fallit opinio, quàm communitas & conſociatio, quæ presbyteris, ſiue aliis clericis, qui ſine formatis, aut commendatitijs litteris peregrinabantur, indulgebatur in ſocietate clericorum, & Communione Eccleſiaſtica. Hac interdum puniebantur clerici qui peccauerant, licet peregrini non eſſent, & in certa diœceſi domicilium haberent. Atque vt luculentiùs perſpiciatur, qua in re poſita fuerit, meminiſſe oportet omnem antiquam diſciplinam, in nulla re alia conſtitiſſe magis, quàm in communicatione cum corpore Eccleſiæ, omneſque pœnas eò directas fuiſſe, vt ab hac Communione peccatoribus interdiceretur, vtputa laicos Communione laica priuare, & fideles à participatione cum ipſis abſtinere, clericos à Communione Eccleſiaſtica oppidò ſummouere; necnon & à laica, ſi peccatum præponderaret. Præterea animaduertendum eſt, veteres Patres non tantùm cenſuiſſe peccatum in Deum eſſe, ſi peccatoribus communicauiſſent, aut orando, aut comedendo, aut combibendo; ſed etiam ſe tanquam conſcios maxima conta-

gione inquinari, & fraudes inexpiabiles concipere. Ea de cauſa litteræ formatæ ſubintroductæ ſunt: inde etiam veteres canones omnem curam, & cautionis omne genus adhibent, vt fideles à conſortio & ſocietate peccatorum ſecludantur. Quando igitur Epiſcopus, preſbyter, clericus peregrinabantur, placuit, vt nullus Epiſcoporum nauigaret, ſine formata Primatis, item, vt clerici ſine formata, & conſcientia Epiſcopi, per alienas plebes non vagarentur. Tum demum, vt nullus peregrinus ſine formata Epiſcopi acciperetur, ſuper quibus litteris Epiſcopi ad quos facilis aditus patebat, ſcribebant peregrinis illac iter fuiſſe, viſiſque litteris, eorum à quibus profecti erant, Communionem indulſiſſe, alioqui peregrinus ille non accipiebatur, neque vlli rei Eccleſiaſticæ, aut ciuili cum clericis diœceſis, qua illi iter erat, communicabat, & quaſi excommunicatus habebatur. Verum enimuerò quamuis frons, oculi, vultus perſæpe mentiantur, oratio verò ſæpiſſimè, ſi tamen peregrino litteræ formatæ excidiſſent, ſi interceptæ, aut alio quouis caſu amiſſæ fuiſſent, aut Epiſcopus quacunque tandem de cauſa eas denegauiſſet; vel ſi qua tandem ſuſpicio ſubeſſet, non omnino reijciebatur, quia dubitatio oboriebatur, num vera eſſent quę allegaret, Itaque non ea iniuria afficiebatur, vt excommunicatis annumerarentur; ſed non tandem ad Communionem Eccleſiæ admittebatur, ne cum Excommunicatis communicare videretur, aut ouis morboſa, & tabida quæ gregem inficeret, in caulam Domini noſtri Ieſu Chriſti intraret; ſed ſeorſim ſumptibus Eccleſiæ in loco ſemoto ale-

Digitized by Google

batur vbi orabat, & in eo ſtatu erat, vt laicus non eſſet, nec tamen Communioni Eccleſiæ participabat, neq; vllis clerici muneribus defungebatur, id videre eſt in 32. canone Apoſtolorum, *Nemo peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitijs ſuſcipitor litteris, & ſi eas obtulerit, attentiùs in diſquiſitionem vocantor, Et quidē ſi prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor, ſin minùs vbi neceſſaria eis ſuppeditaueritis, ad Communionem & vlteriorem ipſos conſuetudinem non admittote, multa enim per ſubreptionem fiunt:* quo canone mea quidem ſententia exponitur quid ſit Communio peregrina, quæ ab initio non erat genus pœnæ & animaduerſionis, ſed inſtituta fuerat vt clerici, de quorum ſtatu, & conditione non conſtaret, non omnino reijcerentur: Poſtea verò hoc eodem genere Communionis vſa eſt Eccleſia, vt clericos non peregrinos in officio contineret, & ita factum eſt, vt hæc Communio genus quoddam pœnæ cenſeretur. Sunt qui exiſtimant Eccleſiam hanc diſciplinam & Communionem ex Romanorum legibus deſumpſiſſe, nam vtebantur hac Communione peregrina, & qui ad eam erant redacti, puta deportati, ſtatim ius Ciuitatis amittebant, & ius teſtamenti faciendi, & erant ſine Ciuitate ἀπόλιδες. Vlpia. in l. 1. §. 2. & 4. D. de lega. 3. amittebant etiam ea quæ erant Iuris Ciuilis, & retinebant ea ſolùm quæ eſſent Iuris Gentium. Marcianus in l. ſunt quidam 17. D. de Preu. ex Traiano apud Plinium epiſt. 59. libri 10. remouebantur à ſacris Iuris Romani, de quibus cùm ab amico & doctiſſimo Merillo admoneret, quædam animo inſedit ſuſpicio Eccleſiam huic

huic inſtituto, & Communioni nomen & appellationem ab hac Romana conſuetudine mutuatam eſſe. Eſt locus quidam inſignis in vita Sancti Ioannis Chryſoſtomi qui huic obſeruationi multum lucis effundere poteſt. *Si placet inquiunt, Domine ſpiritualis Communionis nondum illis conſortium trade, ne Papam contriſtes; cæterùm in alijs omnia in eos officia humanitatis exerce, id enim tibi Epiſcopo conuenit, ita illos excepit Ioannes, ad Communionem minimè admittit.* Hac peregrinæ Communionis ſpecie, Eccleſia puniuit non ſolùm clericos peregrinos; Sed eos etiam qui in Diœceſi habebant domicilium, quod degradationis, ſiue ſuſpenſionis à muneribus Eccleſiæ, & ſeparationis à cæteris clericis genus eſt, tam in rebus ciuilibus, quàm Eccleſiaſticis: Hinc patet, vt mea fert opinio, quid fuerit Communio peregrina, & vnde denominationem acceperit, qua qui puniebantur gradu excidere, & catalogo, qua recenſebant clerici, expungi liquet ex can. 2. Concilij Agdenſis, non quod clerici eſſe deſinerent, nam idem canon docet, eos denuò catalogo aſcribi poſſe. Quod à cæteris clericis ſemigrarent, id eſt conuictu mutuo, ſynodis aut alijs congreſſibus prohiberentur, & capita cum fidelibus conferre non poſſent, docet canon Ilerdenſis ſecundum correctionem in eo quod dicit, *vel forſitan dolo aliquo ſuppreßiſſe, reus ſacrilegij prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei Communio animæ concedatur.* Quod ſubducerentur, non tantùm à conuerſatione cæterorum clericorum; ſed etiam iure Communionis Eccleſię priuarentur, id eſt quod nullus Eccleſiaſticorum eis communicaret, perſpi-

Digitized by Google

citur ex eodem canone vltimo Ilerdenſi, qui eos plectit anathemate, quod in eam partem valere debet, vt ſaltem à Communione Eccleſiaſtica ſeparari cenſeantur. Quod confirmatur ſupracitato loco, in vita beati Chryſoſtomi, vbi dicitur, *ita eos minimè ad Communionem admiſit.* Et Concilio Agathenſi, nam catalogo expuncti, corporis clericorum partem non amplius conſtituebant, & conſequenter nemo clericus eis tanquam clericis communicare poterat. Neque ideo in numerum laicorum recenſebantur, nam vt ſuperiores canones docuerunt, in priſtinum gradum admitti, & prioribus muneribus defungi poterant. Atqui, ex antiqua diſciplina, clericus dum gradu excidebat, & fiebat laicus, nullus ei amplius ad clerum patebat regreſſus, hęc nempe degradatio vniuerſalis erat, & perpetua, ex clerico laicum fieri. Inde colligitur Communionem peregrinam, quiddam medium inter laicam, & Eccleſiaſticam fuiſſe, aut potius quandam diminutionem ab Eccleſiaſtica, à qua niſi ad tempus ſummouebantur.

Quod munia conſueta illis abrogarentur, ex ijs quæ diximus, patet ſatis, atque certum eſt, eos ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentatos fuiſſe. Nam cùm in ordinem laicorum redacti non eſſent, neceſſum erat eos tanquam clericos exhiberi. Adde quod apud Sanctum Chryſoſtomum reperimus, *cæterùm in alijs omnia in eos humanitatis officia exerce*, aut iuxta aliam verſionem, *eos honorificè quidem excepit*, idque videtur innuere canon Concilij Rhegienſis, *aut peregrina Communione foueatur.*

Digitized by Google

Sed aliquid difficultatis ſubeſt, vtrum nunquam hæc pœna perpetua fuerit. Nam aliquando ad tempus irrogatam fuiſſe ex quatuor canonibus duo ſunt, quibus hoc probatur, primus Agdenſis, & vltimus Ilerdenſis, *prolixiori anathemate* & locus Diui Ioannis Chryſoſtomi ad tempus fuiſſe, euincit. Poterat etiam eſſe perpetua, vt ſi Epiſcopus ſchiſmaticus nullam vacuam parochiam reperiret, æuum in Communione peregrina exigebat, non quod ad hoc cogeretur, nam conſtitui Epiſcopus alterius loci poterat, aut Epiſcopatum eierare, & corepiſcopatus, aut Preſbyterij locum iuxta Concilium Nicænum obtinere.

Quæri poteſt, num peregrina Communione damnati, ſacra Euchariſtia donarentur. Qui hoc negant, dicerent, cùm Miſſarum ſolemnia celebrare non poſſent Preſbyteri, nec clerici ſuis muneribus defungi, conſequenter Euchariſtia abſtentos fuiſſe. Nam quo tandem pacto eis diſtributa fuiſſet, cùm ex ordine laïco non eſſent, & ea de cauſa, laicis ad eam accipiendã immiſceri non poterant, cum clericis multò minùs, quia ſeparati erant à conſortio clericorum, adde quod nullus eis in Eccleſiam aditus patebat: Sed nec credendum eſt, in domos eorum deferri ſolitam, quia Patres modum longè efficaciſſimum perſpiciendæ vnionis quamarctiſſimæ, Euchariſtiæ diſtributionem iudicauerunt, vt videre eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica. Cùm ergo non communicarent, ijs qui Communione peregrina plectebantur, nec deferre poterant, nec tradere Euchariſtiam. Tertiò Diuus Chryſoſtomus, vt ſcripta eius memorant, renuit communicare cum Iſidoro &

Digitized by Google

Dioſcoro, id eſt, Euchariſtiam indulgere. Erat enim in more poſitum, vt aduenientibus Epiſcopis, vel Preſbyteris, in Communionis ſignum Euchariſtia porrigeretur; Sed nec conſentaneum rationi videretur, Euchariſtiam ſacrilegis tributam fuiſſe, ſacrilegos enim Cōmunione peregrina damnatos retrò duobus canonibus euicimus. Ad extremum nihil clarius canone Ilerdenſi ſtatuente, prolixiori anathemate puniatur, vix peregrina Communione conceſſa. At qui anathemate feriebatur, Euchariſtiæ participare non poterat, nam anathematis percuſſio, non ſolùm Excommunicationem hoc loco, ſed etiam dirarum deuotionem ſonat. Quamuis in quodam Canone Romano aliter anathema accipiat. Dubitandi anſa, vel ex eo maximè oritur, quod de Epiſcopo ſchiſmatico Concilium Rhegienſe inſinuat, duo enim ſtatuit quæ æqualia eſſe debent, aut non ita diſſita: *Quod ergo in quibuſdam ſchiſmaticis magis quàm hæreticis recipiendis, Nicænum Concilium à ſingulis per territoria ſua hoc etiam præſens conuentus in hoc ſtatuit ab omnibus ſeruari debere, id eſt vt cuicunque de fratribus tale aliquid charitatis concilia dictauerint, liceat ei vnam parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut corepiſcopi nomine, vt idem Canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, Communione foueatur.* Nam altero muneribus preſbyterij fungi poteſt, nihiloſecius Epiſcopatus quibuſdam (nam corepiſcopi ſupra preſbyteros munera digniora exequebantur) altero Euchariſtiam ſumere, aut vllis Epiſcopatus muneribus defungi non poterat, quodque mirere magis Communione clericorum expungebantur, & ab ijs coge-

Digitized by Google

batur ſemigrare, vnde colligerentur duæ Cõmunionis peregrinę ſpecies, ſeuerior altera, altera mitior. Et certè veriſimile eſt Epiſcopũ cui dignitas abrogata erat, quique corepiſcopi munera obire poterat, quamuis omnis muneris exſors eſſet, tantiſper donec in vacuam parochiam ſuccederet, cum Euchariſtiam ſumere potuiſſe, nam cùm Corepiſcopus eſſe poſſet, & non eſſet excommunicatus, non video quamobrem Euchariſtia priuaretur, quibus perſuadeor eam Communionem peregrinam ſacris Euchariſtiæ eos dumtaxat interdixiſſe, quibus ob ſcelera aliqua, puta factum aut contumaciam in pœnam irrogaretur, cùm verò tribueretur Epiſcopis qui ſponte Epiſcopatui renuntiarant, quoſque vellet Eccleſia in aliquo honore eſſe, nihil aliud ea illatum niſi quod ab Epiſcopo cui locum ceſſerat ſepararetur, & ſumptibus Eccleſiæ aleretur, Euchariſtię tamen Communione non fruſtraretur: lucubrationi huic antequam finem impono dicam in quo conueniant Communio laica, & peregrina, & in quo diſcrepent, vt appoſita comparatione, vtriuſque perfectior cognitio eliciatur. In hoc conueniunt quod Euchariſtiam non ſignificent ſub altera ſpecie; ſed partem ſeu conſociationem qua gaudebant clerici, in corpore Eccleſiæ, antequam obnoxij fierent. In eo præterea conueniunt, quod irrogabantur pro pœna clericis, & nunquam laicis. In eo differunt quod Communio laica in ordinem laicorum omnino cogebat clericos, præcluſo omni in clerum regreſſu. At è contrario Communio peregrina ſuſpendebat munera ordinis; ſed clericum non abdicabat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Nam quamuis à Communione excluderentur, nihiloſecius ſumptibus Eccleſię alebantur, & denuo tandem in ordinem reſtituebantur.

DE COMMVNIONE LAICA. OBSERVATIO IIII.

OMnis de laica Communione quæſtio, non plures quàm duas, vt ego quidem arbitror, ab Interpretibus explicationes habet. Aut enim laica Communio dicta eſt de Euchariſtia, quæ more laicorum, extra cancellos, & ſepta altaris accipiebatur, cuius opinionis ſunt Baronius, Pamelius, & Durantus, aut quod laici ſub altera tantùm ſpecie communicarent. Neutra mihi arridet, prima ſiquidem, Concilio Sardicenſi liquidò euertitur. In eo enim Communio laica, etiam ei qui ſupremo vitę die in lecto procul ab Eccleſia decumbit, procul à cancellis altaris, denegatur. Quapropter Communio laica ea eſſe non poteſt, quę extra cancellos, & ſepta altaris accipiebatur, cùm procul ab Eccleſia decumbenti porrigi poſſit. Inſuper Felix Pontifex cap. 3. ſtatuit, eos quos Epiſcopos, vel Preſbyteros, vel Diaconos fuiſſe conſtiterit, & ad ſecundam tinctionem veniſſe, vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcunt, iacere, nec orationi non modo fidelium, ſed nec cathecumenorum quidem omnimodis intereſſe, illis nihilominus Communionem laicam in morte redhibendam: poterat ergo accipi Communio laica extra Eccleſiæ cancellos. Ob

quam cauſam veriſimile ſit, neque ſepta altaris Communionem laicam, neque locum, neque tempus, diſtribuendæ laicis Euchariſtię opportuna diſcriminaſſe.

Sed luculentiùs perſpicietur veritas huius refutationis, explicatione ſententiæ noſtræ, & refutatione opinionis Cardinalis Bellarmini, & aliorum qui exiſtimant Communionem laicam nihil aliud eſſe, quàm Communionem Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, quæ inde dicitur laica, non quod laici ſub altera tantùm ſpecie communicarent, ſed quod in domos auferre ſolam ſpeciem panis liceret. Sed eodem vitio laborat hæc explicatio, atque ſuperior. Nam veroſimile ſit, Communionem laicam ſi ad Euchariſtiam eam velis referre, inde dici, quod qui ea plectebantur, laicorum more communicare deberent. Atqui ſi detur, quod concedi omnino neceſſe eſt, quo tempore Concilia, & Patres de Communione laica mentionem fecerunt, laïcos ſub vtraque ſpecie communicauiſſe? Sequitur non eſſe ſub vna ſpecie Communionem. Deinde ſi ingenuè fateri volumus, futilis & ieiuna explicatio illa eſt, quæ inde laicam, quod laicos non aliam quàm panis ſpeciem auferre potuiſſe, dictam eſſe contendit. Cur enim denominationẽ haberet ex eo, quod vnam tantùm ſpeciem attingere, potiùs quàm quod ſub vtraque ſpecie communicare poterant? Qua tandem de re ingenui homines diſputant, nempe de ea, quæ clariſſimo Cyrilli Hieroſolymitani teſtimonio conuincitur. Docet enim laïcos, Euchariſtiam ſub ſpecie vini aſſumpſiſſe, & tetigiſſe, catecheſi quinta, *ſanctificeris eo ſanguine Chriſti, quem aſſumis, & cùm adhuc eſt humi-*

Digitized by Google

ditas in labris tuis manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua ſenſuum organa conſecra. Cedo ſi quid Euchariſtiæ reliquum in labris hæſiſſet, eo vultum demulceri qui præcepiſſet, niſi manibus licuiſſet attrectare? Sed quo tandem pacto probare poterunt laicis Euchariſtiam ſub ſpecie panis domum portare licuiſſe, ſub vini, non licuiſſe. Nam ſi aſſerant, nihil hac de re extare, argumentum valde ieiunum eſt; Nec verò dici poteſt Communionem laicam eam eſſe quę ſub vna ſpecie ſumeretur. Nam ſi laicis Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie indulgebatur, qui Presbyteri, aut alij clerici ea plectebantur, ſub vtraque ſpecie communicabant. Atqui tempore Conciliorum quibus de laica Communione fit mentio, quinetiam Diui Cypriani fidelibus ſub vtraque ſpecie communicare licebat, vel ſupracitato Diui Cyrilli teſtimonio, & pluribus in Diuo Cypriano tractatu de lapſis. Quapropter miſſis ambagibus, Communio laica non poteſt dici de Euchariſtia, neque quod ſub vna ſpecie communicaretur, neque quod extra cancellos vel ſepta altaris, vel quouis alio loco in Eccleſia, aut quocunque demùm Miſſæ tempore ſumeretur.

Quibus perſpecta erit Eccleſię veteris diſciplina, agnoſcent mecum laicam Communionem ſine Euchariſtię perceptione potuiſſe eſſe, & inde colligetur, neque in loco, neque in tempore, neque ſub vtraque ſpecie poſitam fuiſſe. Quæ cùm ita ſe habeant, maximi momenti eſſe poterunt qui in veteri Eccleſiæ politia non inſtrenuè verſati ſunt, & quorum oculos ſpirans natiuis coloribus imago naſcentis religionis oberrat.

Si

Digitized by Google

Si quis Preſbyter poſtquam gradu excidiſſet, & cenſuris perculſus diem functus fuiſſet, is poſt mortem citra vllam dubitationem, in Communionem fidelium reſtitui poterat, vt videre eſt in 12. can. 2. Concil. Arelatenſis, etiamſi in curſu pœnitentiæ & ante abſolutionem abijſſet, neque temerè quidquam in contrarium obijceretur. Præcepit enim Nicæna Synodus, & ſigillatim ſubſequentia Concilia voluerunt, vt nemo vacuus Communione diſcedat; quamuis ſine abſolutione mortuus fuerit. Cùm igitur Preſbyter in perpetuum gradu pulſus, & in curſu pœnitentiæ mortuus, poſſit Communioni poſt mortem reſtitui, nemo dixerit Communionem illam de Euchariſtia intelligi debere, magis quàm de Communione Sacerdotali. Nam ad priſtinum gradum aditus ei qui in perpetuùm eſſet Excommunicatus, omnino interclufus erat, ad ſalutem etiam animæ poſt mortem, reſtitutio huiuſmodi in honorem gradus erat ſuperuacanea, & ob eam cauſam, Communio cui reddi poterat Preſbyter poſt mortem, nihil aliud eſſe poteſt, quàm Communio laïca, id eſt ſocietas cum laïcis, ac ſi diceres hũc Preſbyterum Cõmunioni laicorum ita reddi, vt ſuffragijs fidelium poſſit adiuuari, non vt Preſbyter, ſed vt laïcus.

Nec deeſt alia ratio qua probari poſſit Communionem laicam de Euchariſtia non præcisè intelligi, nimirum quia nihil intererat inter peregrinam, & laïcam Communionem, vt Bellarm. voluit, atqui 2. can. Concil. Agathenſis pœnitens clericus in pœnitentiæ actu poterat gaudere peregrina, & conſequenter laica, cùm inter eas nullum ſit diſcrimen; ſed nemo

Digitized by Google

inficias ierit in curſu pœnitentiæ, (vt ea tempora ferebant,) Euchariſtiam omnino pœnitentibus fuiſſe denegatam : hinc igitur fit, vt laica, de Euchariſtia non poſſit accipi, cùm ad eam pœnitentes admitterentur, quibus Euchariſtiam ne quidem intueri conceſsũ eſſet: inſuper capi de peregrina Communione, eam Euchariſtiam eſſe non poſſe demonſtramus.

Si quis refutationem opinionis Bellarmini vrgere vellet, poſſet addere clerico pœnitenti, can. 50. Concilij Eliberini, poſt quinquennium acta pœnitentia Communionem laïcam impoſitam eſſe, & inter laïcos eum redactum eſſe, at veriſimile ne eſt, ei qui pœnitentiam conſtituto tempore expleuerat, quidquam pœnarum ac moleſtiæ ſuperfuiſſe, atque eum à cæteris fidelibus non ſine nota diſtinctum? Nam is de quo eſt mentio in illo canone, ſi laïca Communio ſignificaret Euchariſtiam ſub vna ſpecie ſumendam ab alijs fidelibus, diſtinctus fuiſſet, cũ omnes ea ætate ſub vtraque ſpecie communicarent. At non facilè id ex Patrum ſcriptis deducetur, nam qui veniæ beneficium conſequebatur, dimidium Communionis adipiſci quis crederet? Sed parum eſſet, haſce duas explicationes confutauiſſe, niſi melior proferatur, quæ vtramque à vero aberrare commonſtret. Sic itaque cenſeo, Communionem laïcam de Euchariſtia vnico modo intelligi non debere, ſed Communionem latiſſimè, ius illud quo vnuſquiſque in corpore fidelium cenſetur, & neceſſitudinem, quæ Chriſtianis inter ſe intercedit, complecti. Atque vt duo erant Chriſtianorum ordines, Eccleſiaſticus, & laïcus: ita duo erant

Communionis genera, alterum Eccleſiaſticum, alterum laïcum; vel vt appoſitiùs dicamus, vna erat tantùm Communio generalis, vnum corpus, vna Eccleſia, cui nonnulli vt Eccleſiaſtici, cæteri vt laïci communicabant. Communio igitur laica erat, eſſe in Eccleſia, & de Eccleſia tanquam laicum, ita vt qui Eccleſiaſticus laïcæ Communioni deputabatur, gradu ſuo perpetuò excideret, & ex clerico fieret laïcus: quod ſi Euchariſtiæ participaret, laïcorum more, non more Eccleſiaſticorum participaret. Sed omni ratione contendo potuiſſe fieri, vt quis laïcorum more communicaret, nec tamen ſumeret Euchariſtiam. Nam communicare nihil aliud eſt, quàm partem habere in conſociatione fidelium, quæ etiam conſiderata extra Euchariſtiam multas alias rationes complectebatur, quamuis nolim negare eius coniunctionis, per quam in corpus vnum fideles coaleſcunt, præcipuè vim & modum in Euchariſtia reſidere. Vt autem lector de harumce trium explicationum veritate clariùs dijudicet, producendi ſunt nobis canones, in quibus de laica Communione fit mentio. Nam vbi ſub oculi ictu plerique omnes comparebunt, omnis erit facillima ratio expediendarum difficultatum. *Si quis Preſbyter aut Diaconus relicta parochia in aliam conceſſerit, hunc iubemus ne ſit in miniſterio publico Eccleſiæ, vt laïcus tamen ibi locorum in Communionem admittitor.* In Communionem vt laicus admitti, idem eſt, ac laicè communicare. *Pœnitentiam autem agens vt laicus recipiatur.* Apoſt. 14. c. 62. c.

Nemo clericus intret in curiam; quod ſi introierit anathema ſuſcipiat, nunquam rediens ad matrem Eccleſiam, Com- 16. Roman.

Digitized by Google

munione autem non priuetur, propter tempus turbidum(de laïca Communione canon hic accipiendus) *laïcorum numero accerſentur ij, ſi pœniteant, more clericorum tondeantur.*

11.Conſtan.

76.Eliber. *Si quis Diaconus ſe permiſerit ordinari cum peccato, ſi ipſe detegat, poſt triennium redeat ad Communionem Eccleſiaſticam. Si alius poſt quinquennij pœnitentiam, ad laïcam Communionem redeat, in monaſterium detrudatur, ibique quandiu vixerit, laïcam tantummodò Communionem accipiat.*

50. Agat.

4. Tolet. 1. *Qui verò tertiam acceperit, quod nec dicendum eſt abſtentus biennio, poſtea inter laïcos reconciliatus, per pœnitentiam communicet.*

Cypria. *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt laïcus communicet, non ſicut ad te malignantium litteræ protulerunt, quaſi locum & ſacerdotis vſurpet.*

idem *Et Epiſcopatum pro conſcientiæ vulnere deponens, & ſatis gratulans ſibi, ſi vel laïco communicare contingeret.*

Cypri. 30. *Eos quoque hac conditione ſuſcipi, cùm reuertuntur, vt communicent laïci, & ſatis habeant quod admittantur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint: nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.*

Euſebius. *Ex quibus Epiſcopis, inquit, vnus non longè poſt peccatum flebiliter lamentatus, ad Eccleſiam reuerſus, populo vniuerſo pro eo rogante, tandem vt laïcus in Communionem receptus eſt.*

Siri. 11. *Quiſquis ſanè clericus, aut viduam, aut certè ſecundam coniugem duxerit, omni Eccleſiaſticæ dignitatis priuilegio, mox nudetur, laïca tantùm ſibi Communione conceſſa.*

Inno. 4. Can. 22. eſt. *Sed noſtræ lex Eccleſiæ eſt, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptiſati ſunt, per manus impoſitionem, laïcam*

Digitized by Google

tantùm tribuere Communionem, nec ex his aliquem in clericatu honorem vel exiguum ſubrogare.

Ac ſic euenit, vt indigni quique honores ſuſcipiant Eccleſiaſticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laïcos quidem, dignum locum habere mererentur. Idem epiſt. 6.

Vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcunt, iacêre conuenit: nec orationi, non modo fidelium, ſed nec catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus Communio laica in fine reddenda. Fælix 3. ca. 2.

Nec ad Eccleſiaſticam militiam permittantur accedere, quibus ſatis eſſe debet, quod in Catholicorum numero ſunt recepti: quoniam de ſuo ordine & Communione videbitur ferre iudicium, quiſquis hoc violauerit inſtitutum. Felix c. 5.

Qui peccatum ad mortem peccant, clerici quidem à gradu deponantur, à laïca autem Communione non arceantur. Baſilius c. 32.

Vt nullus clericorum à ſubdiacono, & ſupra quos vxores in propoſito ſuo accipere inhibetur, propriç: ſi fortè iam habeat miſceatur vxori. Quod ſi fecerit laïca Communione contentus, iuxta priorum canonum ſtatuta, ab officio deponatur. Aurel. 3. c. 2.

Primo igitur loco ſtatutum eſt, vt qui parochiam deſeruerit, id eſt à parochia ſua, in aliam migrauerit, deponatur: non tamen Communione laica priuetur, id eſt conſortio fidelium, & iure communicandi cum laicis fidelibus: non autem Euchariſtia ſub altera ſpecie, aut extra cancellos ſumenda. Nam ſic Apoſtolorum canon eſt explicandus per ſubſequentia Concilia, quæ hanc quæſtionem definiuerũt, quæ quidem ſemel ſtatuunt, eos qui locum mutauerint, aut auaritia, aut ambitione ducti, deponendos eſſe. Neque adijciunt, verumtamen tanquam laici ibi communicent,

ſicut adiectum videmus c. 15. Apoſtolorum, ſuperfluum enim hoc fuiſſet. Nam qui clericum, vt ita dicã, exauctorat, in Communionem laicorum eum amandat, quia depoſitio nihil aliud eſt, quàm ex clerico fieri velut laicus, & à gradu ſacerdotali, in laicorum ordinem incidere; & canon 3. Concilij Antiocheni, quamuis tantam ſeueritatem præ ſe ferat contra clericos, nihil tamen citra depoſitionem decernit. Arelat. 1. c. 22. Arelat. 2. c. 13. Marti. Bracar. c. 34. Damaſus ad Paulinum. Carthag. 4. c. 27. Meldenſe can. 30. Turon. 1. c. 14. Leo epiſt. 24. Synodus Romana ſub Leone 4. Cabilonen. c. 41. Pelagius ſecundus epiſtola ad Benignum Archiepiſcopum. Nicænum 1. can. 16. Tribun. c. 28. Aquigr. c. 43. Carthag. 3. c. 38. Carthag. generale c. 49. Regio. c. 6. & plures Pontificum epiſtolæ, qui omnes canones, exceptis Nicæni, Sardicẽſis, & Arelatenſis ſecundi, de ſola depoſitione loquuntur. Quod argumento eſt, neque decretum Apoſtolorum aliud continere, & laicam Communionem, de qua illic eſt mentio, nihil aliud eſſe, quàm inter laicos cenſeri. Quin etiam Zonaras & Balſamo commentarijs in eum can. 15. interpretantur Communionem laicam, non Euchariſtiam ſub altera ſpecie, aut extra cancellos ſumptam, *ipſi tamen,* inquit Zonaras, *indultum communicare tanquam laico,* & Balſamo, *eum tamen, vt laïcum in alia ciuitate verſari, canon non prohibet.* Neque contra hanc explicationem 15. canonis Apoſtolorum, adduci poſſunt canones 16. Nicæni, & 13. Arelatenſis ſecundi, (quod in omnibus Nicæno auertitur) quę Concilia Communione priuant Preſbyteros, qui à ſua diſcedũt

Digitized by Google

Eccleſiâ: quaſi per eam Excommunicationem, quæ his duobus canonibus cõtinetur, Communio ſub vna ſpecie ſit intelligenda, qua eſt ſpecies Excommunicationis. Nam cùm canones vtuntur hoc verbo, *Excommunicatur*, generaliter accipi debet, & de Excommunicatione generali, non ſpeciali. Adde quod Zonaras, & Balſamo explicant Excommunicationem, cuius fit mentio can. 16. Conc. Nicæni, de ſeparatione à conſortio clericorum, & à muneribus ſacerdotalibus, non de priuatione Euchariſtiæ; *Communioniſque nomine ait, non ſacrorum myſteriorum perceptionem, ſed in ſacris muneribus, ac miniſterijs vnà obeundis, ſocietatem hic à Patribus reor eſſe ſignificatam.* Idem dicendum eſt de can. 13. Concil. Arelat. 2. Et quamuis hi canones intelligendi eſſent, de ſacrorum myſteriorum perceptione, quod non exiſtimo, dicendum eſſet, hæc Concilia pœnam criminum intendere, vt produci videmus in Concilio Sardicenſi: quo etiam à corpore fidelium ſemouentur, & à ſocietate Chriſtianorum, in ſupremo vitæ ſpiritu: vbi Communio laica pro ſocietate fidelium, non pro Euchariſtia intelligenda eſt, quoniam crimen illud ſeueriùs plectitur, vt habetur in ipſomet Concilio, quàm antiquis canonibus. Atqui, ex antiquis canonibus, Excommunicati propter illud crimen, non ſolùm Eccleſiaſtica Communione priuabantur, ſed etiam inter pœnitentes adigebantur: quare cùm hoc canone ſeueriùs puniri dicantur, veriſimile eſt, eos ad ſocietatem fidelium laicorum, ne quidem in ſupremo vitæ die, admiſſos fuiſſe prohiberi.

Prior locus Sancti Cypriani qui Baſilidis mentionẽ

Digitized by Google

facit, refragatur Baronij ſententiæ; nam qui morbo ſuæ vitæ neſcius lecto affixus eſt, Euchariſtiam extra ſepta altaris non ſumit. Præterea ex his verbis dici non poteſt, Communionem fuiſſe ſub vna ſpecie, *ſi vel laïco communicare contingeret*. Nam ſi ageretur de Communione ſub vna ſpecie, neceſſum non erat, his verbis vti, laicorum more communicare, cùm ſub vtrâque ſpecie, tum temporis laici communicarent. Deinde, quod adijcit Baſilidem ægrotum ingenuè agnouiſſe ſe indignum Epiſcopatu, ſibique ſatis abundè factum, ſi in ſocietatem Chriſtianorum, vt laicus admitteretur, euincit, perſpicuè Diuum Cyprianum opponere communicare laicorum more, & vt laïcum, ſacerdotio, & Epiſcopatui: Communionemque laicam nihil aliud eſſe, quàm iungi fidelibus, non vt ſolet clericus, ſed vt laicus: & quod apud eum ſequitur, confirmat hoc tantùm Baſilidem efflagitauiſſe, vt tanquam laïcus, iuxta ſtatutum, in eodem crimine admitteretur. *Decreuit huiuſmodi homines ad pænitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.*

Secundus locus ex epiſtola ad Stephanum Pontificem eſt eiuſdem argumenti, ſenſus, & explicationis cum priori. Itaque accipiendus eſt de Communione, ſiue conſociatione cum corpore laicorum, & non de Euchariſtia, & apprimè notantur hæc verba; *ſatis habeant quod admittantur ad pacem, nec debere ordinationis arma retinere*. Deinde, *ſatis eſt talibus reuertentibus veniã dari, non tamen debent promoueri*, eundem enim ſenſum habent cum ſequentibus, *hac conditione ſuſcipi cùm reuertuntur*,

uertuntur, vt communicent laïci. D. item Cyprianus inculcat & interpretatur rem eandem diuerſis loquendi generibus, & conſequenter ſi veniam dari ſignificat, Euchariſtiam ſub altera ſpecie, communicare, vt laicus idem ſignificat; at vice verſa, ſi ſignificant conſociari, & reſtitui ſocietati laicorum fidelium, & alia phraſis tantumdem ſignificabit.

Tertius locus Diui Cypriani maximè omnium ſententiæ noſtræ adſtipulatur. Nam Antonianus conquerebatur Epiſcopum Trophimum, qui ſacrificauerat, & incenſum idolis obtulerat, in Eccleſiam reſtitutum fuiſſe, Corneliumque ei communicaſſe, & vt Epiſcopum admiſiſſe; hinc Antoniani querelæ contra Cornelium, cui Diuus Cyprianus reſpondet, *vel Cornelius qua ratione Trophimo & thurificatis communicet: deinde, non ſecundum quod ad te malignãtium litteræ prætulerunt, quaſi locum & ſacerdotis vſurpet.* Cur autem Antonianus excandeſceret; quod vt intellexerat, Cornelius Trophimo communicauerat tanquam Epiſcopo, non aliunde petenda ratio eſt quàm ex eo, quod piaculi inſtar fuiſſet, ſi Epiſcopus criminis capitalis reus, vt puta idololatriç, etiam peracta pœnitentia, in Epiſcopatu manſiſſet, perſuaſumque erat omnibus Deüm auerſari quaſcunque hoſtias, & preces laudis obtuliſſet pro populo, & communicationem quæ cum eo interceſſiſſet, fideles omnes contaminauiſſe; hoc patet tum hac epiſtola, tum Baſilidis, & alia quam Auctor ſcribit Pontifici Stephano. Diuus ergo Cyprianus reſpondet Antoniano, & certum eum facit Trophimum, vt Epiſcopum admiſſum non fuiſſe; ſed ea tan-

Digitized by Google

tum conditione, vt tanquam laicus communicaret. *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt tanquam laïcus communicet, non ſecundum quod ad te malignantium litteræ pertulerunt, quaſi locum & ſacerdotis vſurpet.* His itaque verbis, *vt laïcus communicet*, arguit Trophimum amplius non eſſe vt epiſcopum, ſed vt laicum, & inuicem opponit, *quaſi locum ſacerdotis vſurpet*, vnde patet Communionem laicam nihil aliud eſſe, quàm vt quis ex ſacerdote fiat laicus; Præterea pœnitentes & peccatores reſtituebantur Eccleſiæ, non perceptione Euchariſtiæ, ſed reſtitutione iuris conſociationis, & communitatis, quo per peccatum exciderant. Nec fortaſſe quis malè coniecerit, ſi exiſtimet Trophimum, & cæteros qui Eccleſię Communioni reſtituti ſunt, nunquam Euchariſtiam participaſſe. Idcirco quando legimus Epiſcoporum aliquem, in ordinem laicorum redactum fuiſſe, illud ita intelligere debemus, ac ſi diceretur per veniam quam conſecutus eſt poſtliminio redditum fuiſſe, non ſacris myſterijs, quæ nunquam in hoc priore actu intercurrebant.

Ad extremum Diuus Cyprianus ſcribit multitudinem, quam Trophimus ſecum reduxit in Eccleſiam, pro eo ſatisfeciſſe, vnde colligitur reſtitutioni eius nihil pœnarum ſuperfuiſſe, cùm peccato ſatisfeciſſet; & non ſolùm ſi alias interpretationes ſequeremur, multa illi luenda fuiſſent, quinetiam ſeueriſſimè, & peſſimis modis acceptus fuiſſet. Nam fuiſſet depoſitus, & ex parte excommunicatus. Deinde exiſtimo tempore Diui Cypriani Communionem ſub altera ſpecie, non in gratiam, nedum in pœnam vſurpatam fuiſſe.

Digitized by Google

Quartus canon Sancti Innocentij epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ, in eadem ſignificatione accipi debet. Nam ſuper eodem negotio decernit, & eaſdem pœnas ſancit, quas Cornelius, Sanctus Cyprianus, & Concilium Eliberinum, Valentini ſententia de depoſitione Euphratæ habet neſcio latentis ἐνεργείας: ſi inſuper habitis duabus alijs noſtra accipiatur, argumentum enim erit longè acutiùs, ſi dicatur Euphratam ex albo Epiſcoporum eradendum eſſe, cum ex Chriſtianorum expungi debeat, quàm ſi dicatur ex albo Epiſcoporum eradendum, eo quod non ſit dignus qui Euchariſtiam ſub altera ſpecie participet. *Valentinus Epiſcopus dixit, quia Euphrata Chriſtum Deum negat, contentio eum Epiſcopum eſſe non poſſe, qui nec laïcam debet Communionem accipere.* Prçterea Epiſcoporum permulti in eodem Concilio id argumenti repetunt, & ſtatuunt eum deponendum, quod Chriſtianus non eſſet, vnde colligendum Chriſtianum eſſe, & laico more communicare idem eſſe. 32. canone Sancti Baſilij ad Amphilochium, in quo Communionis laicæ fit mentio, deſumitur ex 24. canone Apoſtolorum, nam idem argumentum eſt, eadem verba, eædem rationes, idem ſtatutum, omnia congruunt. Itaque vnus locus ex alio interpretationem accipit, vt concludi poſſit Communionem laicam de qua loquitur Baſilius, nil aliud eſſe, quàm corpori Eccleſię adhærefcere, more laicorum, idque maximè cùm Apoſtolorum canon inſinuet, reddendos eſſe Eccleſiæ Preſbyteros, qui ob ſcelera, depoſiti fuerint, neque ſimul puniendos depoſitione, & Excommunicatione, & ſanè interpretatio Balſamonis

Digitized by Google

ad 32. canonem Sancti Baſilij præclarè cógruit. *Nam, inquit, eos Communione fidelium non priuat, ceu non ſegregat.*

Poſtremò Diuus Baſilius omnino Bellarmino refragatur. Nam Bellarminus Communionem laicam pro pœna accipit. At verò Diuus Baſilius aſſerit ideo concedi, ne qui depoſitus eſt puniatur, & ideo à Diuo Baſilio non pro coercitione, ſed pro miſericordia vſurpatur, quòd apprimè interpretationi noſtræ conuenit. Nam qui reddebatur Communioni laicorum, ſola depoſitione plectebatur, ſi verò ſub altera ſpecie communicare iuberetur, altero tanto grauiùs punitus fuiſſet, nam ſpectandum eum propinauiſſent inter laicos ſub vtraque ſpecie communicantes, & quod cæteris laicis cõcedebatur, illi demptum foret. Eodem ſenſu accipi debet canon 50. Concil. Agdenſis, nam pro eodem argumento ſancitus eſt, & ijſdem nititur rationibus, vtpote qui ex duobus præcedentibus Sancti Baſilij & 24. Apoſtolorum ſit deſumptus.

Vndecimum caput epiſtolæ Syricij ad Epiſcopum Tarraconenſem, per alios canones Conciliorum, & per decreta Pontificum eiuſdem temporis, aut quod proximè ſuccedit, quæ ob eadem delicta ſimiles pœnas expetunt. Quis enim tam iniquus rerum æſtimator, qui tantillo tempore cenſuram diuinam, & diſciplinã mutaſſe ſibi perſuadere poſſet, ergo Communio laica quam indulget ei qui depoſitus fuerit, quod viduam duxiſſet aut ſecundam, illud ipſum eſt, quod ſcribit Innocentius ad Epiſcopum Rothomagenſem, deponantur, & à numero Eccleſiaſticorum excludantur, vt habetur can. 2. Concilij Epaun. 43. Agdenſis, 26.

Aurelian. tertio 10. Aurelian. 4.17.& 18. Apoſtolorum 4.1. Toletani & 1. Valentini, & alijs Canonibus, tum epiſtolis Pontificũ, qui ſtatuẽtes pœnas in clericos viduas ducẽtes, nullũ verbũ faciunt de perceptione Euchariſtiæ ſub vna ſpecie, ſed tantùm de depoſitione, aut prohibitione tales admittendi in clerum, vnde colligitur cæteros Canones qui ijſdem de cauſis deponũt clericos, & adijciunt quod depoſiti laïco more communicabunt, nec aliud ſibi velle quàm depoſitos habendos eſſe pro laïcis, & illis tanquam laïcis communicãdum, quæ clauſula gratiam non pœnam redolet.

Canon 76. Elibertini explicari debet per alios Canones, qui ſanciũt pœnas in eadem crimina, vt 10. Ancyr. qui deponit poſt promotionem maritum, nulla alia pœna adiecta, vnde probari poteſt Eliben. Ancyrano conſonare, & quod in eo additur de Communione laica, in gratiam depoſitorum addi, non vt diuerſus modus à laicis percipiendi Euchariſtiam præcipiatur.

Hic modus loquendi Pontificis Felicis, *reddenda ei Communio laïca in fine*, ſatis euincit pœnam non eſſe, ſed gratiam quæ Chriſtiano deberetur. Nam non dicitur *reddenda eſt illi pœna aliqua*, ſed reddendum eſt illi ius Communionis laicæ, quod peccatum ei eripuerat. Quod ſi ex circunſtantia argumentum ducere velimus, noſtra ſententia alijs præponderabit. Primum conſtat in his locis quos permultos adduximus, laicum nullum Communione laica puniri, quod tamen canones prætermiſſuri non erant, ſi Bellarmini opinio probabilitate niteretur, quando quidem temporibus illis laici ſub vtraque ſpecie communicabant. Quid

Digitized by Google

ergo cauſæ eſt cur laici eadem peccantes, quæ clerici, non tamen eadem pœna plectantur: illis neceſſariò hærendum in hoc ſalo, nihil autem eſt, quod faciliùs expedire poſſim, nimirum laiços nunquam afflictos fuiſſe ea pœna, quia clerici non erant, & cùm ius Communionis inter clericos non haberent, eo priuari non poterant. Neque enim iniungendum erat, vt laici manerent, quia non erant clerici. At clericus Communione laica plectebatur, quia laicus poterat fieri, hinc fit, vt nunquam in laicos, ſed tantùm in ſacerdotes hoc pœnæ genere animaduerteretur.

Secundò rationem non reddunt, cur hæc coercitio communicandi laico more, nunquam inuratur ad tempus, ſed in perpetuum, ita vt non reperiatur, non communicet laicè tres vel quatuor annos, quod tamen in cæteris omnibus pœnis obtinet. In hoc autem ſingulare hoc eſt, quod qui damnabatur Communione laica, nunquam à tali Communione relaxabatur: hæc pœna erat inexorabilis, ob eam nimirum cauſam, quod omnimodo à corpore clericorum diſtraheretur. Atqui deponitur ſecundum omnimodam depoſitionem, vt verbis canonum vtar, nullo modo reſtitui in integrum poterat. Hoc enim habebat vetus Eccleſię diſciplina, vt qui ſe ingenti ſcelere contaminaſſet, fraudem inexpiabilem in ſe concepiſſe cenſeretur, ita vt nunquam ad priſtinum gradum poſſet redire. Si peccatum autem minimum fuiſſet, poſt exigui temporis ſpatium, depoſitus primum munus adipiſci poterat: hinc patet cur Communio laica, ſit pœna indeſinens, & perpetua, quod ſi alias explicationes amplecteremur, non pa-

Digitized by Google

teret. Nam ſi vis pœnæ in Communione ſub vna ſpecie fuiſſet, poterat in vnum aut alterum annum prorogari: ſed hac de re verbum nullum, aut in Communione extra ſepta altaris poterat certum tempus definiri.

Illud autem confirmandæ noſtræ ſententiæ palmarium eſt, plures fuiſſe depoſitionis gradus. Primò erat depoſitio ſempiterna, deinde ſecundum quid, & ad tempus. In hac igitur clericus licet Miſſarum ſolemnia celebrare prohiberetur, aut ordinis ſui munera obire, non tamen ſede in Eccleſia aſſueta pellebatur, vt puta Epiſcopus munere epiſcopali prohiberi poterat, qui tamen officium Preſbyteri impleret, & quæcumque Sacerdotes exequuntur, præſtaret, non diſſimili modo Preſbyter, Diaconus & cæteri poterant deponi, aut ſuſpendi diuinis. At nec in antiquis canonibus, nec in Patrũ ſcriptis reperias vllos Cõmunione laica plexos, quàm qui perpetuam depoſitionẽ meruiſſent: quod ſi Cõmunio laica vt volũt, fuiſſet perceptio Euchariſtię, ſub vna ſpecie, aut extra ſepta altàris, poterat infligi depoſitis ad tẽpus, aut munerib. ſuis abrogatis, maximè, cũ celebrare nõ poſſent, & Euchariſtiã de manibus aliorum preſbyterorum accipere cogerentur; nec alia ratione potuiſſet etiam indulgeri, quibus honores, & ſedis prærogatiua adempta aut imminuta. Cogebantur enim extra cancellos altaris, vt & preſbyteri depoſiti Euchariſtiam percipere. Nec tamen exemplum obuium eſt, nullæ enim damnationes niſi in perpetuo depoſitos, & alia ratio reddi non poteſt, niſi quod certa nulla pœna irrogari poterat in depoſitos ad tempus, nam licet ſuſpenſi, corpori tamen cleri, & Communio-

Digitized by Google

ni Eccleſiaſticæ participabant. Quamobrem in ordinem laïcorum redigi non poterant, & ex Clericis laïci fieri, cùm adhuc Eccleſiaſtici perſeuerarent. Id verò contra depoſitos in perpetuum ſtatuebatur, nam deponi in perpetuum, & communicare laïcorum more idem eſt. Nec prætermittendum nonnullos poſt annoſam pœnitentiam damnari ſolitos communione laïca, vt patet apud D. Cyprianum, & Concilia, quod omnium maximè cum noſtra explicatione congruit, cum alijs longè ſecus. Docent enim Canones, eum qui pœnitentia publica, aut quapiam fraude ex qua infamia redundaret, notatus fuerat, nunquam in corpus cleri, aut ad ordines admiſſum, vt & clericus qui pœnitentiam egerat, gradu in perpetuum excidebat. Hinc petenda ratio quare canones clerico, qui pœnitentiam egit, Communionem laïcam irrogent, quia nimirum cùm in perpetuum eſſet depoſitus, & pœnitentiam egiſſet, neceſſariò in ordinem laïcorum redigẽdus erat, vt Communioni Chriſtianorum tanquam laïcus participaret, qui clericus eſſe deſierat.

Vltima circunſtantia eſt, quod hæc communio laïca ſemper opponitur functionibus Eccleſiaſticis, & tanquam pugnans, cum gradu & ordine clericaturæ, accipitur. Nam qui canones damnant Communione laïca, ſemper etiam deponunt; vnde cùm Cõmunio laïca, Eccleſiaſticæ apponatur, non poteſt eſſe perceptio Euchariſtiæ ſub vna ſpecie. Quibus veterum locutiones perſpectæ ſunt, facile mecum ſentient hæc verba Communio, & Communicare, frequenter in canonibus & patribus vſurpari pro iure ſocietatis fidelium

lium quo quis ſiue laïcus, ſiue clericus gaudebat, ægrè autem pro Euchariſtia, niſi aliquid aliud addatur, igitur perſuaſum eſſe debet, hæc verba *Communio laïca, & communicare laïcè*, quæ habentur in canonibus, & Patribus, magis ſignificare ius in corpore Ieſu Chriſti cum cæteris fidelibus, qui ſunt omnes eiuſdem corporis membra, quàm perceptionem Euchariſtiæ.

Quæ cùm ita ſe habeant, explicatio noſtra non tantùm oſtendit quid ſit Communio laïca, ſed etiam benignam copiam ſufficit rerum reconditiorum in veteri diſciplina. Primò, in ſolos Eccleſiaſticos, in laicos nunquam, hac Communione animaduerſum; Communionem laicam depoſitionem generalem, & ſecundum omnem modum præſeferre. Depoſitum ſecundum quid nunquam hac Communione punitum. Depoſitum ſecundum omnem modum, potuiſſe quidem non communicare laicè, & ſic Communione laica priuari, quia præter depoſitionem, poterat etiam in perpetuum excommunicari. Quod ſi depoſitus eſſet ſecundum omnem modum, eo inſtanti laicè communicabat, ſi depoſitus, & excommunicatus ad tempus, pœnitentia peracta communicabat laicè, & nunquam poſt excommunicationem, licet ad tempus in Communionem eccleſiaſticam recipiebatur, exceptis hæreſiarchis.

Poſſet addi cunctos canones qui dicunt ſimpliciter, deponatur, omnimodè neceſſariò debere intelligi de Communione laica, id eſt, quamuis non adijciant, deponatur, & communicet laicè; neceſſariò tamen admittendum eſt, depoſitum ſecundum omnem

Digitized by Google

modum, & non excommunicatum, laicè communicauiſſe. Nam cùm eſſet ſolùm depoſitus & non excommunicatus, continebatur etiamnum corpore fidelium, & participabat iuri coniunctionis Chriſtianæ, atqui non participabat tanquam clericus, reſtabat ergo participaret vt laicus, lucem fortaſſe aliquam deſideraret, quod quando dicitur, *in fine accipiat aut non accipiat Communionem laïcam*, id longè commodiùs accipi poſſe de perceptione Euchariſtiæ ſub vna ſpecie, quàm de iure conſociationis Chriſtianorum. Sed quibus perſpecta erit Eccleſiæ antiquitas non diffitebuntur, hoc ius Communionis, in extremo vitæ ſpiritu reſtitui ſolitum fuiſſe, non tantùm quod Euchariſtia indulgeretur; ſed etiam oblationes reciperentur, aut impoſitione manuum, reſtituto iure corporis Ieſu-Chriſti, non conceſſa tamen Euchariſtia; Canones ſiquidem qui poſt Concilium Nicænum præcipiunt, ne Communione quis vacuus diſcedat, de eiuſmodi iure intelligendi ſunt. Quod ſi quis canon explicet reſtitutionem fieri huic ſocietatis Chriſtianæ iuri per Euchariſtiam, ab hac ratione pendet, quod Euchariſtia ſit modus longè efficaciſſimus reſtituendi pœnitentes, & excommunicatos huic iuri, non quod omnis alia reſtitutionis via præcluſa ſit, vt patet 12. can. Concilij Arelatenſis: hæc igitur verba *accipiat Communionem laïcam in fine*, debent intelligi de hoc iure, & non de Euchariſtia.

Vt ergo tandem me colligam, ſic ſtatuo Communionem laicam nihil aliud eſſe, quàm ius communicandi cum cęteris fidelibus more laicorũ, & vt laicum

participem eſſe ſocietatis Chriſtianorum, non vt clericum. Nec diffiteor qui communicabat laicè, accepiſſe Euchariſtiam more laicorum, aut extra ſepta altaris, aut ſub vna ſpecie, aut ſub vtraque, prout vſus Eccleſiæ obtinebat. Cùm enim Communio Euchariſtiæ pręcipua eſſet pars ſocietatis Chriſtianorum, oportuit eum qui eſſet inter laicos, eam ſumpſiſſe more laicorũ, quando eſſet laicus. Quoniam verò Communio præter Euchariſtiam multa alia complectebatur, aſſero eum, quia in ſocietate Eccleſiæ communicabat vt laïcus, multis etiam alijs rebus præterquam Euchariſtiæ, participaſſe.

DE OBLATIONIBVS.

OBSERVATIO V.

NEminem penè præterit, *oblationum* vocem, frequentiùs àb Antiquis, quàm vllam aliam vſurpatam, quique non exiſtimet eius ſignificationem adeo notam & vulgarem, vt ſit operam perdere, aliquo ſtudio eam illuſtrare; attamen ſi eorum quempiam percuncteris, quo ritu, quaue ratione eiuſmodi oblationes à Sacerdotibus reciperentur, benedicerentur, & offerrentur, aut quid demum de his, peractis ſacris, fieret, quemue in vſum cederent, nomen dumtaxat intelligi, rem verò ipſam ignorari deprehendes. Quis enim vnquam ſcripſit ex his oblationibus particulas quaſdam inter Chriſtianos diuidi ſolitas vt ſpeciem aliquam, & imaginem corporis Chriſti repręſentarent? quin potiùs

Digitized by Google

ſi quid in Patrum locis, aut canonibus de ea re & conſuetudine legatur, id omne ad Euchariſtiam transferunt, voluntque *Oblationis* vocem, pro Euchariſtia illis in locis ſumendam eſſe, vt in Diuo Cypriano, libello de opere & eleemoſyna. Quæ res nos impulit pauca de eiuſce vocis ſignificatione, & poteſtate, in hiſce obſeruationibus inſerere; quibus multi Patrum loci & canones lucem aliquam ſunt accepturi.

Itaque fideles primis illis temporibus, diebus dominicis & feſtiuis rarò ad altare ſine donis & muneribus accedebant, ſi res eis tenuis adeò non eſſet & exigua, vt ſine incommodo id præſtare non valerent. Hæc dona Oblationes vocabantur, quæ à ſacerdotibus in altari, paulò ante ſacra, Deo offerebantur, certiſque precibus benedicebantur, quorum poſtea pars aliqua fidelibus, cætera in ſacerdotum, clericorum & pauperum alimentum erogabatur: nonnunquam etiam ex his oblationib⁹ benedictis eulogiæ, cùm eſſent per parochias mittendæ, ſumebantur, vt ex D. Pij decreto, ſi eius ſit, dignoſcitur. Interea ex his omnibus nihil magis probatione indigere videtur, quàm quod diximus, ex his Oblationibus particulas ac buccellas viritim in Eccleſia diſtributas fuiſſe, vt hac participatione ſignificaretur, omnes fideles ſub vno eodémque capite, & de eodem corpore eſſe, quemadmodum omnes de eodem pane ſumerent & ederent, atque vt hoc myſterio aliquam vnionis Chriſtianæ ſub Chriſto ſpeciem oſtẽderent. Ad quod probandum hic *Cypriani locus ſatis idoneus videtur locuples & diues: Dominicũ celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſa-*

crificio venis, quæ partem de ſacrificio quod pauper obtulit, ſumis. Item ille D. Auguſtini ſermone 213. de tempore, *Oblationes quæ in altario conſecrentur offerte, erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione cõmunicet*, qui loci perpèram à quibuſdam de Euchariſtia explicantur, exiſtimantque nõnulli ex his oblationibus partem aliquam ad Euchariſtiam conficiendam ſepoſitam fuiſſe, quod in his locis conſecrari dicantur, & ex his fideles ſumpſiſſe: atque Cyprianum de pauperis ſacrificio diuitem ideo manducare dixiſſe, quod Euchariſtia ex qua omnes reficerentur, ex pauperis pane & oblatione confecta eſſet: Sed allucinantur egregiè, nam quidquid offerebatur, pauperibus & clericis alendis deſignabatur, vt ex eodem Cypriano in eodem libello manifeſtum eſt: *Cúmque vniuerſa quæ dantur pupillis & viduis conferantur.* Quapropter veriſimile non eſt, panes ſine fermento ablatos fuiſſe (quales deberent eſſe qui ad corporis Chriſti conſecrationem apponebantur) quos ſcirent à pauperibus conſumendos eſſe. Adhæc conſtat ex Epiphanio in ſuis ſacris, eos vſos fuiſſe paruo pane ad id facto, & rotundæ formæ, atque ei ſimillimo quo vtimur, non autem eos ex quolibet pane, qui offerebatur ſacris, operatos. Inſuper certum eſt, per parochias, quemadmodum ex Pij primi epiſtola dignoſcitur, certis diebus eulogias miſſas, quæ ex ipſis oblationibus ſumebantur, & ex fermentato conficiebantur, vt ſcirent, qui in agris & oppidis degebant, ſe ab Epiſcopi matriciſque eccleſiæ non eſſe communione ſeparatos, vt ait Innocẽtius: quod cùm ita ſit, neceſſe eſt fateamur, eadẽ die qua ipſæ eulogiæ mitterentur, ex ijſdem omnes qui

Digitized by Google

erant in matricibus eccleſijs, particulam aliquam deguſtaſſe, alioquin nulla inter eos, & qui in agris morarentur, interfuiſſet ſocietas & Communio, nullumque vnionis Symbolum. Vnde perſpicuum fit, non ſolum verba illa D. Auguſtini & Cypriani ad eiuſmodi Oblationes, non autem ad Euchariſtiam referēda eſſe, ſed etiam ex eiuſmodi oblationibus, poſtquam à ſacerdote conſecratæ eſſent, particulas vnicuique in vnionis & communionis argumentum oblatas fuiſſe. Vnde apparet falſiſſimum eſſe, quod quidam exiſtimant panem benedictum vicarium eſſe Euchariſtiæ, & inſtitutum ideo fuiſſe, vt qui nollent communicare eo vterentur, vt imaginem aliquam & ſimulacrum Euchariſtiæ celebrarent. Nam ab initio naſcentis eccleſiæ ſemper panis benedictus fuit in vſu: ſemper enim ex benedictis oblationibus panis diuidebatur inter fideles, vt ex Cypriano & Auguſtino vidimus.

Præterea ex D. Innocentio epiſtola prima cap. 5. cōſtat ius aliquod Communionis per eiuſmodi oblationes, & eulogias, quę ex oblationibus fidelium ſumebantur, quæſitum fuiſſe, nam ait, *vt ſe à noſtra Communione, maximè illa die, non iudicent ſeparatos.* Poſſem etiam ad eandem rem confirmandam quærere, qua ratione pœnitentes poſt mortem in cæterorum fidelium Communionem & ſocietatem potuerint reuocari & admitti (vt habetur in concilio Arelatenſi 2.) per oblationes, quas earum nomine parētes offerebant, ni ex eiuſmodi oblationibus partem aliquam ſinguli ex ſacris delibarent; nam priuatis eleemoſynis non poterant recuperare ius Communionis, quod amiſerant; ſed ſolis

Oblationibus factis in eccleſia: cuius rei non aliam reperies rationem, niſi quod cenſerētur in Communionem reſtituti, ſi cæteri fideles eorum donis communicaſſent, & partem aliquam deguſtaſſent. Denique cur eccleſia tanta diligentia tantóque ſtudio pœnitētium munera reſpuiſſet, ni de eiuſmodi muneribus mos fuiſſet particulas vnicuique fidelium offerre, vt corporis Chriſti imaginem aliquam & Communionem exprimerent, Oblationes autem pœnitentium repudiatas fuiſſe patet ex can. 28. concilij Elibertini, *Epiſcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere:* Can. 13 concilij Ilerdenſis. *Catholicus qui filios ſuos in hæreſi baptiſandos obtulerit, oblatio illius in Eccleſia nullatenus recipiatur.* Canonib. 93. 94. concilij Carthaginenſis 4. *Oblationes diſsidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiant.* Item *eorum qui pauperes opprimunt, dona à ſacerdotibus refutanda.* Hæc ipſa verba canonis primi concilij Valentini Hiſpaniæ: *Sacroſancta Euangelia ante munerum illationem in ordine lectionum poſt legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel ſermones ſacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam catechumeni ac pœnitentes audire licitum habeant:* Satis declarant pœnitentes receſſiſſe ab eccleſia antequam munera fidelium altari apponerentur. In concilio Arelatenſi 2. can. 12. dubitabatur an pœnitentis Oblatio eſſet recipienda, ſi antequam expleſſet pœnitentiam, fato oppreſſus eſſet. Sed meritò eorum dona, qui non communicabant, reijciebantur. Primum quia nomen illius, cuius munera recipiebantur, ſemper offerebatur cum ipſis muneribus, vt conſtat ex can. 2. epiſtolæ Innocen-

tij, at verò minimè conſentaneum illis videbatur, eius munera accipi, qui dignus non habebatur, cuius nomen publicis precibus enunciaretur. Deinde munera illa in ipſis ſacris benedicebantur, ſolennibuſque verbis, nomine totius eccleſiæ, Deo offerebantur, vt ex eodem canone 2. Innocentij licet cognoſcere. At hominis impuri, nocentis, & nondum plenè in fidelium corpus reſtituti, munera eis indigna videbantur, quæ in ſacris Deo offerrentur, quæ in ipſis ſacrificijs ſolennibus benedicerentur, quæ eccleſia accepta haberet, & ſuo nomine Deo commendaret; ex quibus denique partem aliquam omnes ſumerēt, quæ omnia cùm ſumma religione ab eis fierent, nullaque alia re eccleſia magis probare poſſet, ſe partem & ſocietatem cum aliquo habere, quàm omnibus his ritibus, idcirco pœnitentium & aliorum qui extra eccleſiam degebant, dona & munera aſpernabantur.

Ex his omnibus liquet Oblationes illas, genus quoddam Communionis fuiſſe, quod tāto in honore & religione apud eos erat, vt nihil antiquius poſt Euchariſtiam haberent, quàm eiuſmodi oblationes: nulluſque Communionis modus ad ſummam & abſolutiſſimam Communionem, quæ erat Euchariſtia, magis accederet, & tam prope, vt myſterij, ſacramenti, conſecrationis, ſacrificij nomine appellaretur. D. Innocentius epiſtola ad Decentium c. 5. vocat has oblationes Sacramenta, *quia non longè portanda ſunt ſacramenta*: quæ verba de Euchariſtia accipi nequeunt, cùm dicat ſe loqui de fermento.

DE

DE COMMVNIONE SINE OBLATIONE.

OBSERVATIO VI.

MEVM iudicium ſemper fuit ad ſacrum Euchariſtiæ Myſterium minimè pertinere, quæ apud Patres aut in Conciliorum decretis de Communione ſine Oblatione, aut cum oblatione legũtur, neque ibi Oblatione Euchariſtiam aut Euchariſtiæ ſacrificium ſignificari: quamuis cum doctiſſimis viris pugnandum ſit, qui plerique omnes ad Euchariſtiam referunt, quæ de eiuſmodi Communione ſine Oblatione ſtatuuntur in canonibus. Illuſtriſſimi C. Baronij ea eſt ſententia anno Chriſti 314. numero 87. *Sed quid eſt quod frequentius dicitur communicare abſque oblatione, vel cum oblatione, cùm & perfectam gratiam, plenamque communionem eiuſmodi tum conſequi dicerentur? Sed hæc omnia ex verbis 4. canonis eiuſdem ſynodi facilè aſſequi poſſumus, quibus ex prima nempe Dionyſij verſione dicitur. Placuit eos inter audientes nempe catechumenos, vno anno conſtitui, tribus verò annis ſuccumbere, nempe pænitentiæ, (vt habet ſecunda verſio) ex tribus verò annis biennio communicare in oratione, videlicet ſatis ſufficere, cum fidelibus orare, nec à precibus vt audientes excludi; id enim erat communicare abſque oblatione: tertio verò anno ad perfectionis gratiam peruenire, quod erat communicare cum oblatione (id enim vt habet ſecunda verſio) erat reconciliari Sacramentis, nempe participem fieri corporis & ſanguinis Chriſti, quod perfectionis gratia dicebatur, ſiue plena Communio, dum ſcilicet nihil minus à cæteris Chriſtianis haberet;* Zonaræ ad canonem

Digitized by Google

quintum Concilij Ancyrani, *quos quidem exacto ſubſtrationis triennio in conuentum abſque oblatione admitti, hoc eſt in Eccleſia quidem cum fidelibus conſiſtere, non tamen communicare iubet*: item, *Communionem namque hoc loco non ſacri corporis & ſanguinis perceptionem, ſed ſolam cum fidelibus conſociationem intelligit, ex quo illud addidit ſine oblatione, vt tertio anno, quod perfectum eſt accipiant, vt inquam exacto triennio communionis quoque participes fiant*. Idem ad canonem ſextum, *biennio abſque oblatione cõmunicare, hoc eſt inter fideles, abſque vlla tamen ſacrorum perceptione verſari*. Idem ad canonem 8. *Sine oblatione tamen, hoc eſt ſine boni perceptione fundere*. Balſamonis in 4. canonem eiuſdem Synodi: *In Eccleſiaſticam Communionẽ ſuſcipiantur; ſed non etiam diuinis digni Sacramentis habebuntur, id enim eſt ſine Oblatione ſuſcipi*.

Sed hæ explicationes non conuenient ſi cum canonibus comparentur; etenim quomodo ad Euchariſtiam, aut eiuſdem ſacrificium pertinere poterit, quod habetur in vulgari, & Dionyſij, vt volũt verſione eiuſdem 5. canonis Concilij Ancyrani: *ſi compleuerint pœnitentiam triennij temporis, ſine Oblatione ſuſcipiantur ad Communionem, id eſt vt ipſi non offerant*. Quis vnquam laïcos ſacris operatos eſſe dixit, aut dignos eos exiſtimauit qui ſacris interdicerentur? neque eſt quòd quiſpiam in clericos hiſce canonibus animaduerſum eſſe ſuſpicetur, cùm nullus vnquam poſt pœnitentiam inter ſacerdotes receptus ſit, aut in altari ſacrificia attrectare viſus ſit.

Sed quid ad hunc Fœlicis canonem reſponderi poteſt? *De clericis autem, & monachis, aut puellis Dei, aut ſecu-*

Digitized by Google

laribus ſeruari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapſi ſunt, vel fuerint, ſeruandum eſſe conſtituit: vt ſcilicet qui nulla neceſſitate, nullius rei timore aut periculo, ſe, vt rebaptizentur, hæreticis impiè dediderunt, ſi tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes ſint: ſeptem autem annis ſubiaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre; ſed tantummodò ſæcularibus in oratione ſocientur. Nam de quarto pœnitentiæ gradu eſt mentio in illo canone, de quo etiam agitur in canonibus Concilij Ancyrani, quare cùm in hoc canone habeatur hoſce pœnitentes, qui quartum ſuæ pœnitentiæ gradum attigerant, poſſe quidem orationibus intereſſe, & communicare cum cæteris in orationibus: oblationes verò & munera eis nequaquam offerre licere; atque cùm nihil tam liquidum ſit quàm oblationem hoc loco pro donis & muneribus quæ pœnitentes in pœnitentiæ ſuæ & ſatisfactionis commendationem elargiebantur, explicandam eſſe, quis non concedet in canonibus Concilij Ancyrani his verbis, *ſed ex ipſo triennio, per biennium tantumodò orationi communicare*: item, *ſine oblatione recipiantur*, item, *tertio anno communicent ſine oblatione*. item, *& poſt duos alios annos communicare ſine oblatione*, item, *an vnumquemque autem cum oblatione recipere oporteat*. item, *duobus autem annis, ſine oblatione communicent*. item, *alio autem anno ſine oblatione communicēt:* Oblationis vocem eadem prorſus ſignificatione eſſe accipiendam? quando de eadem oblatione, & de eodem gradu pœnitentiæ vtrobique Patres loquantur. Quòd verò in hoc ipſo Fœlicis canone oblatio ſumenda non

ſit pro oblatione & ſacrificio Euchariſtiæ, vel ex his manifeſtum fit quod puellę & ſeculares in quarto gradu pœnitentię conſtitutæ, eiuſmodi oblationes offerre prohibeantur.

Neque magis commodè Euchariſtiam hac voce ſignificari dices, cùm nullus vnquam ad eam ſignificandam, cùm de ſacrificio non eſt mentio, hoc loquendi more vſus ſit. Et quamuis rectè Euchariſtiæ ſacrificium, vocetur Oblatio à nullo vnquam eodem nomine Euchariſtiam vocari reperies, cùm laïcis præbetur manducanda. Qua propter omnes hi canones qui de laïcorum oblationibus aliquid ſtatuunt, hi omnes de muneribus quæ à laïcis in Eccleſia offerebantur intelligendi ſunt.

Meritò dubitari poterat in noſtra explicatione, an eius munera & oblationes eſſent recipiendę, cui liceret preces ſuas cum cæteris fidelibus ſociare, & ob hanc cauſam cautum eſt in hiſce canonibus, ne ſolis precibus communicantes, oblationum etiam fierent participes. Sed quis vnquam (ſi veterem illam diſciplinam tibi proponas) dubitare potuit, aut exiſtimare Euchariſtiâ eum eſſe reficiendum, qui ſingulari beneficio ad precum Communionem reuocatus eſſet?

In Concilio Ilerdenſi, canone 9. Patres Euchariſtiam ab eiuſmodi oblatione (de qua eſt quæſtio in canonibus Concilij Ancyrani) diſtingunt, huncque ritum, quem modò explicuimus, quamuis leuiter perſtringant, nihilominus ſatis declarant de muneribus & donis pœnitentium eiuſmodi oblationes accipiendas eſſe, quòd eam oblationem ante Euchariſtiam po-

Digitized by Google

nant: *poſtea moderatione & clementia Epiſcopi fidelibus in Oblatione & Euchariſtia communicent:* hæc duo enim Euchariſtia & oblatione, particula illa, &, diſiungi voluit correctior Hiſpaniæ editio.

Id vnum in hac obſeruatione mirum videri debet, quòd hi orantes & ſubſiſtentes omnibus orationibus, quibus oblationes fidelium ipſa Euchariſtia & corporis Chriſti ſacrificio conſecrarētur, intereſſent, eaque omnia ſacra & myſteria auribus & oculis quodammodo haurirent, ijs tamen frui & participes eſſe prohiberentur. Atque non ſolùm ſi bene conijcio, Euchariſtię & oblationum communione & fruitione priuabantur; ſed ne quidem quantum in eis erat, & quantum ex animi ſententia & deſtinatione efficere poterant, ſinebant eos in partem beneficiorum, meritorum & gratiæ, quam ex ſacrificijs Euchariſtiæ promereri poterant, obrepere: quare neque eos oſculo pacis, vt cæteros inter ſacra ſalutatos reperies, quòd ijs ſolis ea darent, cum quibus, vt ait Tertulianus, de ſua pace volebant tranſigere, id eſt, vt ipſe explicat, de ſua operatione volebant aliquid communicare.

Cęterum quę cauſa eos impelleret, vt eiuſmodi pœnitentes ab Oblationibus remouerent, facile eſt expedire, cùm enim aliquid offerre, & ex aliorum Oblationibus aliquid deguſtare genus quoddam eſſet Communionis, & vltima quaſi diſpoſitio, & proxima qua ad Euchariſtiam perueniebatur, ea meritò pœnitentibus quarti gradus denegabatur, qui pœnitentiam non expleuerant, quique non ſatis purgati cenſebantur, vt tanta gratia donarentur.

Digitized by Google

NOMEN OFFERRE.

OBSERVATIO VII.

SI poſitè poſſem eloqui, & litteris mandare quæ de maiorum ritibus & veteri diſciplina inter legendum hauſi, nihil profectò (adeo operam in eam exercitationem ſtudiosè darem) illuſtrare non poſſem. Verùm ingenij tarditate aut elocutionis inopia ineptum ad hæc ſtudia me gratiæ effecerunt; tentabo tamen quid in eo genere poſſum, atque in hac obſeruatione conabor exponere, quid ſit *Nomen Offerre*; tum ſi minus obtineo, eorum ſaltem corrigere errorem qui de diptycis putant explicandum, quod de huiuſmodi nominum oblatione apud Antiquos reperitur.

Inſcribebantur quidem in diptycis Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, aliorum quoque tam viuorum, quàm defunctorum nomina, qui pro Eccleſiæ ſalute ſe ſe ad mortem obtulerant, aut aliquo apud illos in honore erant, vt non ſolùm hac mercede poſt mortem nobilitantur; ſed etiam vt cæteri, cùm eorum nomina die anniuerſaria in diptycis inſcripta, eaque in orationibus celebrari intelligerent, ad eandem gloriam incenderentur, vt ex Diuo Cypriano intelligere licet lib. 3. epiſtola 6. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotare, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poßimus:* & lib. 4. epiſtola 5. *ſacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paßiones, & dies anniuerſaria commemoratione celebramus.*

Sed hanc nominum recitationem, non commemini Oblationem nuncupari; & neſcio an aliqua antiquorum authoritate, ad hanc, quam volunt obtinere, explicationem & ſententiam ſtabiliendam, vti poſſent: multò minùs cùm de alicuius pœnitentis, lapſi, aut reconciliati eſt mentio, & nomen eius offerri dicitur, de diptycis exponendum eſſe probabunt. Nam quis crederet id partem remunerationis cum Martyribus aut eiuſmodi viris, qui in conſeruanda, & tutanda Eccleſia operam pręſtiterant, lapſos aut pœnitentes veniſſe, & iiſdem honoribus cumulatos fuiſſe, quorum profectò talis erat ſtatus & conditio, vt veniam potiùs quàm gloriam ambirent, & ſatis haberent ſi vel ex limine in Eccleſiam reducerentur. Præterea quantis, aut quàm amplis opus fuiſſet diptycis & tabellis, ſi omnium quotquot peracta pœnitentia Eccleſiæ paci reſtituebantur, nomina inſcribēda fuiſſent? Porro dicant quæſo, cur potius pœnitentium nomina, quàm cæterorum fidelium ex tabellis recitanda eſſent?

Neque etiam aliorum mihi probatur ſententia, qui, *Nomen alicuius Offerre*, nihil aliud putant eſſe quàm pro eo nullo ritu, nulloue loci aut temporis diſcrimine orare, & Deo ſupplicare: nam ex Diuo Cypriano nefas erat pœnitentis, & ex canone 29. Concilij Elibertini, energumeni nomen offerre, pro quibus oratum fuiſſe legimus in canone 29. Concilij 4. Carthag. & can. 14. Concilij Arelatenſis 2. in Tertulliano de pœnitentia, *omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere*.

Nobis igitur elaborandum eſt, vt aliquanto cla-

riorem lucidioremque horum ſententiam reddamus. Cùm igitur ſacris operarentur, & pro alicuius ſalute Euchariſtiam celebrarent, eiuſque dona & oblationes offerrent, eum ipſum non ex diptycis, propria & peculiari quadam oratione poſt Euchariſtiam & oblationes Deo commendabant, eiuſque nomen in eadem oratione proferebant: hoc eſt *Nomen Offerre*, ſiue niſi moleſtum eſt rem vberiùs explicari, Nomen Offerre eſt, cùm alicuius mortui, aut viuentis, in orationibus quibus ſacro-ſanctum ſacrificium fieret, & ſacra perficiebantur; aut quibus eleemoſynarum oblationes, quas attulerant, offerebantur, nomen enunciaretur & commendaretur, nulluſque vnquam oblàtiones & munera ſacerdoti in Eccleſia obtulit, quin Sacerdos eiuſdem nomen cum ipſis muneribus propria, & priuata quadam oratione Deo in ipſis Miſſę ſacris commendaret.

De Oblatione nominis eius qui diem ſuum obierat, varia extant apud Antiquos monumenta. In Concilio Aphrorum can. 48. *ſaltem poſt mortem anathema illi dicatur, neque eius nomen inter Dei ſacerdotes nullo modo recitetur.* In Diuo Cypriano epiſtola ſuperiùs notata. *Ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur: neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & miniſtros ſuos Leuitas auocare voluit.*

Eadem prorſus ratione, eodemque ritu pœnitentes, exanthlatis pœnitentię laboribus, cùm in ſocietatem fidelium admittendi eſſent, & ius Communionis recuperaturi, nomen eorum in ſacris offerebatur. Quod vt clariùs

clariùs, liquidiúſque concipiatur, rem totam eodem quo perficiebatur, & ordine, & tempore lubet exponere. Nam nullus primis illis ſæculis abſoluebatur, nec perfectæ & integræ Communioni reddebatur, niſi hoc ritu, & formula. Primùm paulò antequam orationes & myſtica liturgia celebraretur, ab Epiſcopo & limine Eccleſię in medium adducebantur pœnitentes: de eorum deinde pœnitentia & conuerſione paucis diſſerebatur, venia poſt modum eodem ab Epiſcopo accepta, id eſt maiori recóciliatione, ſacris Euchariſtię intererant, quibus peractis ea quę in gratiam reconciliationis, & veniæ impetratæ dona & munera attulerant, benedicebantur, Deoque offerebantur. Poſtremò certis deſtinatiſque verbis pro ipſorum pœnitentium ſalute ſupplicabatur, eorumque nomina inter ipſas orationes proferebantur: hoc eſt nomen pœnitentis offerre; neque vnquam pœnitentes Euchariſtia paſcebantur, quin prius eorum oblationes, munera, & nomina in orationibus ſacrificij, quę fiebant, antequam ſacra Communio deferretur, oblata eſſent.

Hoc ritu, atque hac formula eos vſos fuiſſe conſtat, vt pœnitenti integrum ius Communionis, quod peccando amiſerat, redderetur. Quamuis negare nollem varijs alijs modis, multiplicique ratione, vt aliàs dicemus, in partem Communionis eos veniſſe, verbi gratia, ad precum Communionem ſine nominis oblatione, eos admiſſos fuiſſe. Sed nemo vnquam antiquitus, perfectam, & vltimam Communionem adeptus eſt, quin in ijſdem ſacris eius nomen offerretur. Quin etiam eorum qui baptiſmi aquis abluerentur

Digitized by Google

nomina Deo inter ſacra offerebantur, vnde intelligas neminem olim cum cæteris fidelibus, vel in baptiſmo, vel poſt pœnitentiam ſocietatem coiiſſe, quin hoc ritu nomen eius celebraretur. Poſtremò non ſolùm defunctorum pœnitentium, aut baptiſatorum nomina inter ſacras orationes Deo offerebantur; ſed eorum omnium qui dona & munera obtulerant in ipſis ſacris, & de eorum nominum oblatione, Innocentij canon 2. eſt accipiendus. *De nominibus verò recitandis, antequam preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quàm ſuperfluum ſit, ipſe per tuam prudentiam recognoſcis, vt cuius hoſtiam necdum Deo offeras, eius antè nomen inſinues: quamuis illi incognitum ſit nihil. Priùs ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, vt inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia quæ antè præmittimus, vt ipſis myſterijs viam futuris precibus aperiamus.* Quo in canone multa quæ ad hanc obſeruationem pertinent, manifeſta fiunt: primum eorum, quorum Eccleſia oblationes & munera recipiebat & offerebat, nomina etiam peculiari oratione oblata fuiſſe Deo, & commendata. Deinde quoſdam eiuſmodi nominum oblationes celebraſſe, non ſolùm ante Euchariſtiam; ſed etiam antequam eorumdem munera offerrentur, quem morem & conſuetudinem corrigit Innocentius. Cæterùm eiuſmodi nomina vſurpata, & oblata fuiſſe, inter Euchariſtiæ confectionem, & eiuſdem Euchariſtiæ ſacrificium & ſumptionem, hęc ipſa verba declarant, *vt inter ſacra myſteria nominentur.* Et Conciliũ Emeritenſe canone 19.

Digitized by Google

Antequam finem huic obſeruationi imponamus, eiuſdem ritus, multa in calce huiuſce obſeruationis, teſtimonia addenda ſunt. Diuus Cyprianus epiſtola 14. lib. 3. *ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita, nondum manu eis ab Epiſcopo aut Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Item, *ante ipſum penè martyrum exceſſum communicent cum lapſis, & offerant, & Euchariſtiam tradant.* Indignatur quod nomen eorum offeratur, nec iniuria; quia iniquum erat eos, pœnitentia nondum expleta, cæterorum fidelium fratres & ſocios haberi, & ius conſequi Communionis: epiſtola 15. de eodem ritu accipiendum eſt quod ait, *ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare:* item quod ſequenti iterum epiſtola legitur, *iam cum lapſis communicare cœpiſſe, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, cùm oporteat per hæc ad ordinem peruenire.* In Concilio Elibertino c. 29. *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum Oblatione eſſe recitandum.* Quamobrem autem eorum & pœnitentium nomina ad altare non viderentur recitanda, ea eſt cauſa quod nulla alia re, magis confiteri poterant ſe cum aliquo ſocietatem & communitatem inijſſe, niſi cùm eius nomen priuata quadam oratione totius Eccleſiæ nomine, & per ſacerdotem eius legatum commendabatur. At verò eiuſmodi pœnitentes, & energumeni nondum perfecta & vltima Communione fruebantur; idcirco eorum nomina non erant offerenda nomine totius Eccleſiæ.

Digitized by Google

DE COMMVNIONE PER EVLOGIAS.

OBSERVATIO VIII.

GEnus quoddam erat Communionis apud Antiquos quod Eulogijs celebrabatur, quodque ideo inſtitutum eſſe ſuſpicor, vt abſentibus pars aliqua & ſocietas eſſet cum Epiſcopo & cæteris fidelibus, qui in matrice Eccleſia (vt vocant) morarentur: Nam cùm per vicos & pagos ſparſi & diffuſi ex eadem non poſſent ſumere Communione, cuperentque ſemper vnionis Chriſtianæ, & Chriſti corporis ſpecie quam poſſent maximam retinere, ſolenniſſimis diebus & feſtiuis ex matrice per parochias, benedictus mittebatur panis, ex cuius perceptione communitas quæ inter omnes fideles eiuſdem Diœceſis intercedere debet, intelligebatur, & repręſentabatur. Tanta enim apud eos huiuſce Communionis & ſocietatis erat religio, vti ſi vna Euchariſtia, id eſt, ab vno Epiſcopo conſecrata toti orbi ſufficere, & ex ea vniuerſa Eccleſia communicare potuiſſet, non alia, neque alio ſacerdote vſi fuiſſent; quin etiam hac religione ducti nonnulli ipſa ſacra, ipſamque Euchariſtiam ex vrbe per pagos mandabant, vt ex 14. Concilij Laodiceni canone licet colligere. Hanc huius inſtituti cauſam fuiſſe, ipſa Innocentij verba declarant, *vt ſe à noſtra Communione maximè illa die non iudicent ſeparatos*. Eulogiæ igitur mittebantur per Diocœſim, vt fideles qui ab eodem Epiſcopo regebantur, omnes ſcirent eiuſdem Chriſti

Digitized by Google

corpus vnum ſe ſimul componere & referre.

Sed in hac re duo ſunt conſideranda, primum an antequam ea conſuetudo per vicos Eulogias mittendi inualeret, ipſæ Eulogiæ celebrarentur, quod certiſſimum eſſe arbitror. Nam tametſi initio Eccleſiæ foras non mitterentur, tamen in vnaquaque Eccleſia panis benedictus inter fideles diuidebatur, id eſt ex oblationibus partes aliquæ in ipſis ſacris fidelibus offerebantur, quæ oblationes per benedictionem, Eulogiæ nuncupabantur: Aliud quod diſcutiendum eſt, an qui in matricibus feſtos dies agerent, ex ipſis Eulogijs, quæ per vicos mitterentur deguſtarent, hoc enim deſiderari videbatur ad perfectam & intimam vnionem exprimendam: quod ita factum fuiſſe exiſtimo, quamuis ex Concilij Carthaginenſis tertij canone 5. poſſit obijci fideles eo ipſo die quo Euchariſtiâ donarentur, à minoribus ſacramentis & myſterijs abſtinuiſſe; ſed poterant panem illum poſt Euchariſtiam ſumere, aut domum deferre.

CVR MORTVIS SACRAMENTA Baptiſmi, & Euchariſtiæ præberentur.

OBSERVATIO IX.

VIx vllus error aut hæreſis in Eccleſia ſerpere ac prodire cœpit, quin ſpecioſo quodam ac probabili rationum fundamento niteretur, atque adeo ab auſtera ac recepta Eccleſiaſtica diſciplina ortum ſuum duceret: Quam cùm iuſtis grauibuſque de

Digitized by Google

cauſis, aut mutare aut temperare vellet Eccleſia. Eam nihilominus hæretici mordicus ac tenaciter tueri vellent: Nam qui animo, & cogitatione veteris memoriæ hæreſes, erroreſque varios repetent, in meam facilè ſententiam deſcēdent: ita Montaniſtæ, ſua praua imbuti opinione à primorum ſæculorum ſeueritate errorem hauſerunt ſuum: quam illis retinere ac corroborare conabantur: Idem omnino dici poteſt de Nouatianis, qui, ab Eccleſia veniam dari non poſſe clamarent, non aliam ob cauſam niſi quod in cauſa lapſorum, ante tempus Cornelij his iudicijs vteretur Eccleſia, Quod eo ab Orthodoxis fiebat non aliqua diminutione poteſtatis quam Deus Eccleſiæ ſuæ præripuiſſet, ſed vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ vis ac robur non infringeretur; quæ indulgentia debilitari videbatur, imò vt metus quidam ſalutaris inijceretur perſecutionum temporibus, ne tam facilè fidem proderent: ſed non ſolùm hæreſeon, verùm & errorum quorundam qui non in hęreſim prolapſi ſunt, defenſio quędam ac origo deprompta ex Eccleſiaſtica diſciplina videtur: Inter quos errores, ille cenſendus eſt eorum qui ſcrupulo quodam implicabantur quos nunquam adduxiſſes, vt ante, ſed nec poſt ſacrificium, diebus quibus ieiunaſſent, ſuos fratres aut ſalutarent; aut oſcularentur. Id autem ex eo ritu Eccleſiæ profectum, quod publici ab Eccleſia decretis indictiſque ieiunijs, ab oſculis & pacis oblatione abſtinerent: Quemadmodum & error eorum fluxit, qui diebus ſtationum è templo egrediebantur, illaſque ſumpta Euchariſtia interrumpebant, hi autem morem illum ac conſue-

tudinem non repudiandam arbitrabantur, quod moris eſſet eo cultu ac veneratione Sacramentum illud proſequi; vt cùm eo refecti recreatique eſſent, omnem à ſe triſtitiam mœſtitiamque depellerent: nec vllum acerbitatis, vti ſunt ſtationes, aut afflictionis genus admitterent, negarentque poſt Euchariſtiæ ſumptionem, quam tanto in pretio haberent, licere corpori moleſtias vllas arceſſere.

Hic autem modus percommodus, & maximè vtilis eſſe poteſt, vt veteris diſciplinæ exacta ratio & via teneatur, ſi omnium hæreſeon atque errorum occaſiones ac ſemina perfectò cognoſcantur, multáque ſcitu ac cognitione digna ſeſe obijcient inueſtiganti, quæ alios fugient: Dæmon namque qui vt hominum improuidas mentes decipiat illudatque, veritatis ſemper imitator, eius ſpeciem quandam falſò adumbrat: quò faciliùs errores ſuos diſpergat: Ita qui veritatem acutè acritérque diſpexerit, à quo illa fonte dimanarit, agnoſcit: Sæpe enimuerò Tertullianus, alijque patres conſimili genere argumentorum vtuntur ad res Eccleſiaſticas confirmandas, paganorumque cæremonias, quo noſtræ corroborentur, arceſſunt: Quod veriſſimè ſentiant imitatione quadam, dæmonem ad ſuæ religionis propagationem, ac obſeruationem eas aſſumpſiſſe promulgandas: Ita cùm mecum ipſe perpenderem, quamobrem mortuis Baptiſmus, & Euchariſtia præberetur, & vndenam error iſte falſo quodam prætextu inualuerit, vt Balſamonis & Zonaræ ſententiam omittam, qui non aliam fuiſſe huius rei originem atque fundamentum contendunt, quàm quod aliqui

perperam interpretantes verba illa, *vt quid baptizantur pro mortuis*, baptizandos mortuos crederent. Opinor non alio fulciri fundmento, neque ſpecie veritatis quàm Eccleſię præcepto, quod generatim obſeruabatur: vt nullus vnquam pœnitens, aut catechumenus è vita diſcederet, quin antè in fidelium Communionem aduocaretur, aut corpori Chriſti Domini, vnde diſtractus fuerat, reſtitueretur: cæterùm ad id, quod inculco toties, remigrandum eſt, neceſſe, inquam, quo vetus illa Eccleſiæ diſciplina penitus cognoſcatur: confeſtim animo & cogitatione complecti & aſſequi temporum illorum, & antiquæ pietatis ſtatum, aliter omnia ad aniles fabulas quę dicuntur reuocanda: Omnino verò exiſtimandum eſt plurimos fuiſſe & pœnitentes, & catechumenos primis illis temporibus: Nemini enim ad Communionem accedere licebat, qui non antea diuturniori pœnitentia ſatisfeciſſet: neque ad Baptiſmum ſe conferre, qui non longo ante interiecto interuallo, rudimenta Chriſtianæ fidei combibiſſet: propterea non parua vis ac copia erat pœnitentium & catechumenorum: neque rarò contingebat vt ex illa multitudine aliqui antè vitam amitterent, quàm fidelium gregi conſociarentur, aut ſacro Baptiſmi fonte abluerentur, aut abſolutionem ſortirentur: Quidam ergo miſeram, & acerbam illorum conditionem deplorantes, quod eos pietatis quidam ſenſus angeret, ſimplicitate animi ducti, vt mandato Eccleſiæ obſequerentur, *Ne quis vacuus Communione decedat*, Euchariſtiam illis & dabant, & Baptiſmum poſt eorum mortem conferebant, cùm hoc modo

exiſtimarent

Digitized by Google

existimarent ad Communionem Eccleſiæ eos adoptari, & ius Communionis illis reddi.

Volo igitur & concedo canones iſtos, qui mortuos baptizari, aut illis Euchariſtiam miniſtrari vetant, vt puta ſextum tertij Concilij Carthaginenſis XVIII. & XX. Farraginis Grçcanicæ, Conciliorum Carthaginenſium LXXXIIII. Concilij in Trullo: XII. Antiſſiodorenſis, de pœnitentibus qui ſine abſolutione morerētur: & de catechumenis ſine Baptiſmo verba facere. Quod ad hoc vltimum attinet, in dubium reuocari non debet: Neque enim iterari poterat baptiſmus: illud autem probabile eſt, quorſum enim homini mortuo Euchariſtiam dediſſent, qui eam dum viueret ſumpſiſſet, aut qui inter fidelium gregem reperiretur? Nam cùm è corpore fidelium cenſeretur, idem poſtea ſi morte, ſine Euchariſtiæ perceptione extinguerētur, non propterea fidelis eſſe deſinebat: neque Communione Sanctorum priuabatur, neque quemquam eius miſereri poterat, aut Euchariſtiæ ei impertiendæ vlla cauſa & ratio ſuppetere. Quod verò ad eos ſpectat, qui dum pœnitentia à ſe pœnas repeterent, nec adhuc abſolutione gauderent, interim tamen morerentur: dolor ille & angor neſcio quis ex earum morte naſcebatur, qui hunc errorem in lucem intulit inuexitque: Quapropter nonnulli Euchariſtiam & Baptiſmum eis licet mortuis tribuebant, quod opitulari poſſe ſe ijs exiſtimarent, atque hoc modo illóſque in fidelium numerum tranſcribere; Ad hæc Canonibus fermè omnibus affirmatur errorem illum ex ſimplicitate & opinione populari eſſe profectum:

Adde quod conſtat, vt noſtra non inſulſa ſententia videatur, maxima ex parte Canones de Baptiſmo & Euchariſtia coniunctè ſimul diſputare: quod coniecturâ facit de pœnitentibus quos ſine abſolutione mors eripuiſſet, loqui eoſdem canones, idque ab antiqua illa ſimplicitate quo Cómunio Eccleſiæ illis redderetur, excogitatum tanquam quoddam ſubſidiũ, quo iuuarentur: Nam quando patres de Catechumenis, vnáque de Pœnitentibus loquuntur, eadem omnino ſententia eodemque ſenſu de vtriſque loquuntur: vt cùm Catechumenis quibus vocem morbus quidem repentinus occluſerit, Baptiſmum dandum aſſerunt, hoc addunt, *ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt*, id de pœnitentibus qui in morte abſolutione caruerint, intelligi oportet. Quapropter cùm Canones illi de Cathecumenis qui ſine baptiſmo è vita abierunt, agunt; Arbitror etiam de pœnitentibus in iiſdem Canonibus, qui expertes abſolutionis interierint mentionem fieri, triſtitiamque illam quæ ex eo contracta fuerat, quod ſine Communione & ſocietate fidelium deceſſiſſent, ortum illi errori occaſionemque commodaſſe: vt poſt mortem Baptiſmus & Euchariſtia præberetur: per quæ Sacramenta, quamuis hac lucis vſura frui deſiiſſent, opinabantur ad fidelium numerum cœtumque poſſe reuocari, iidemque imperiti & rudes, quamquam minimè mali, Euchariſtiam potiùs quàm abſolutionem tribuendam credebant, quod in abſolutione non tantum præſidij quãtum in Euchariſtia erat conſtitutum, vt pœnitens inter fideles reponeretur. Quare cùm talis premeret

neceſſitas, ad potẽtiſſimum remedium confugiebant. His adde abſolutionem non niſi loquenti, & peccata ſua confeſſione patefacienti, eaque deteſtanti dari ſolitam.

QVA RATIONE MORTVIS IVS Communionis redderetur.

OBSERVATIO X.

ECCLESIA non minùs ægrè moleſtéque ferebat nonnullos, cùm è cœtu fidelium ejecti extorreſque dicerentur emori, quã de quibus ſuperiori capite egimus, propterea que à ſe aliquid afferri opis & auxilij oportere meditabatur; ſed non ab Eccleſia fuerunt excogitata quadam cum temeritate præſidia, qualia fuerunt ea quæ ſuprà commemorauimus. Cùm igitur pœnitentiæ tempore quis necdum abſolutione percepta viuere deſijſſet: Eccleſia quicquid opis poterat, eius protegendi cauſa perfundebat, & ad Communionem fidelium reuocabat, non Euchariſtiæ aut Baptiſmi quodam beneficio, vt authores huius erroris præſtabant, ſed Oblationes, quæ eorum cauſa à cognatis aut affinibus proponebantur, admittendo comprobabat: id autem apertè docent Canones XII. Arelaten. II. II. Vaſenſis. I. XVII. Antiſſiodoren. poſtremus Epaunenſis LXXIX. IIII. Carthagin. XII. II. Toletani: XIIII. II. Aurelian. Adde id cognoſci ex reſponſione Timothei Archiepiſcopi Alexandrini, & alijs quàm multis locis, ex quibus clarè diſpicias qui ſine abſolutione

tempore pœnitentiæ obijſſent, eos verè in ſocietatem Chriſtianorum receptos, beneficio oblationum quæ fiebant: Duo ergo ex hoc ritu & obſeruatione educas oportet. Primum Oblationes fuiſſe inſtar modi, ſeu facultatis cuiuſdam qua ius Communionis comparabatur, quando illæ ab Eccleſia altari expoſitæ & repræſentatæ Deo à Sacerdotibus erant. Alterum poſt mortem ius Communionis, à quo viuus qui exciderat, poſſet recuperari.

Quòd ad primum attinet, Oblationibus ius Communionis acquiri, idque genus quoddam Communionis videri & dici, quia is cuius Oblationes excipiebantur, inſeri numero Sanctorum cenſebatur: non ſolum Canones ſuprà à nobis citati teſtantur, ſed etiam ea afferri cauſa poteſt, quod antiquitus impurorum hominum, & quos noxæ lethalis conſcientia vexaret, Oblationes reijciebantur: Quod in obſeruatione de *Communione ſine Oblatione* demonſtrauimus. Nam quantavis maxima Oblatione à pœnitente propoſita, aut argenti vi ac copia, quam Excómunicatus obtuliſſet Eccleſiæ, nihili pendebatur ea munerum magnitudo, cuius rei non alia ratio affertur, quàm quod ſi Oblationes pœnitentis probatæ, Deoque exhibitæ fuiſſent, ad Communionem Eccleſiæ admiſſus cenſeretur, à quo tanquam deteſtabili ſcelere, ita refugiebant, nulla vt vnquam ſibi aut potionis Communione cum aliquo pœnitente coniungi vellent. Quid ita? quòd arbitrarentur, ſi quiſpiam cum eiuſmodi hominibus, qui flagitioſè viuerent, congrederentur, eundem contagione quadam eiuſdem cri-

minis contaminari ſolere, & in eandem quaſi capitalem fraudem pertrahi: neque verò aliter putandum ob aliam cauſam Marcioni fuiſſe pecuniam redditam, quàm cùm poſtliminio ad Eccleſiam rediret ſecum attulerat, ne quid in Eccleſia reſideret, quod ab Excommunicato eſſet profectum. Par eademque ratio eſſe poteſt, cur pœnitentes quarti gradus, quique in partē precum & ſupplicationum veniebant, Oblationes aliquas offerrē non poſſent quę probarētur; quia necdum omni labe ſoluti, omninoque digni iudicabātur, quorum oblationes Deo gratæ acceptæque eſſent, vt hunc Communionis gradum aſſequerentur: quin Canone IIII. Titulo de Pœnitentia, Nicolai Papæ conſtat, non licere per illum pœnitenti oblationes adhibere, qui Euchariſtiam ſumpſiſſet, quaſi hoc facto beneficio longè maximo affectus putaretur. Vnde liquet maximum Communionis ius fuiſſe Oblationes offerre, longéque maius, quàm in Eccleſiam introire, rei diuinæ intereſſe, & ſupplicationibus: quandoquidem illa Communio ad poſtremum locum reſeruaretur, & perfectiſſima poſt Euchariſtiam haberetur. Nam qui quarto in gradu conſtituti eſſent, omnium aliarũ Communionum participes, præterquam duarum vltimarum erant, hoc eſt Oblationum, & Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ.

His & alijs rationibus apparet *ius Communionis* obtineri Oblationibus; ſed ab Eccleſia tamen receptis: propterea Patres indoluerant, ſi qui pœnitentiæ tempore mortis interciperētur; decreueruntque ad Communionem fidelium eſſe reducendos, tametſi vita fun-

ꝺti eſſent, Oblationum Beneficio, nullo alio ad id beneficium conferendum propoſito remedio, cæteris de quibus ſuprà actum eſt, magna ex parte ſi non cõtemptis, ac certè non probatis: ea eſt ſententia & ratio Canonis duodecimi ſecundi Arelatenſis, *de his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honorauit pœnitentiam, Oblatio illius recipiatur:* Quibus verbis perſpicuum eſt, ei qui extremum vitæ diem in pœnitentia terminaſſet, Oblationibus fuiſſe redditam Communionem: idem omnino II. Canone Concilij Vaſenſis traditur per Oblationes Communionem eidem fuiſſe reſtitutam: Canon XII. Concilij II. Toletani, magnam huic rei lucem affert, poſt mortem ad Communionem licere reuerti: ait enim hanc fuiſſe reliquam dubitationem, ſi deſcendentium pœnitentium ſine abſolutione oblationes aſſumerentur: *Quanquam diuerſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur,* & verè cùm alij antiqui Canones id conſtituerint, de eo fuiſſe aliquando dubitatum, argumentum eſt certiſſimum. Dubitationem autem fuiſſe non aliundè exortam certum eſt, quàm quòd vtrum ad Communionem fidelium reducendi eſſent ij, qui ſine abſolutione needum plena atque integra ſatisfactione expleta, deceſſiſſent, dubitaretur. Perlibenter autem quæſierim quam ob rem eorum qui ſe præcipites dediſſent, oblationes improbarentur: vt videre eſt Canone XVII. Concilij Antiſſiodorenſis: an non ea fuit ratio quòd oblationibus illorum receptis videbatur, quaſi quidam gradus fieri ad Communionem fidelium obtinendam; Quod

ſieri nullo modo poterat, quod in peccato mortui eſſent: ideoque Communio eorum fuiſſet quaſi inſtar fermenti quod totam maſſam corrumpit: & meo iudicio ſuggeri alia cauſa, ratioque non poteſt, cur tam diligentes eſſent in conquirendo genere mortis, quando de oblationibus faciendis agebatur: vt illa Timothei reſponſio probat, qui dicit parentes, *vt aſſequantur, oblationem & orationem mentiuntur, & dicunt eum non fuiſſe apud ſe,* proptereaque conquiſitione duriſſima perueſtigandum genus mortis eius, pro quo oblationes offerantur. Et certè hoc Eccleſiæ decretum. Communionẽ qui ſine abſolutione à nobis abijſſent, reſtitui oportere æquiſſimum videri. Quod cùm illi omnem curam & cogitationem eo contuliſſent vt ſatisfacerent, maximiſque de peccatis dolor, angorque eos prope cõfeciſſet, omnibuſque modis elaboraſſent vti in gratiam cum Eccleſia redirent, eos ipſa Eccleſia vt omni labe peccati perpurgatos cenſebat: vnde non eſt mirum ſi Eccleſia ad corpus fidelium, Chriſtique corporis ſocietatem eos aſciſcendos eſſe duceret: Opinor etiam & planè aſſeuerare auſim, (neque teſtimonia poſſe reperiri, quæ in promptu mihi eſſe non poſſunt) catechumenorum oblationes receptas eſſe, eorũ præſertim qui ante Baptiſmum ex hac vita migraſſent in ipſo catechumenatu: Nam cùm ad id omnem ſuam mentem & ſtudia contuliſſent vt baptizarentur, ipſiq; in numerum Chriſtianorum allegerentur, pari indulgentia & beneuolentia, atque ipſi pœnitentes cumulandi videbantur.

QVID SIT VIATICVM.

OBSERVATIO XI.

QVi hoc verbum *Viaticum* in omnibus canonibus Euchariſtiam interpretantur, non minùs errant, labunturque, quàm ij qui vbiuis animaduertunt & legunt hanc vocem *Communionem*, pro Euchariſtia eam accipiunt: Nam Viaticum meo quidem iudicio nonniſi generatim ſumi debet, cùm id ſignificet Communioni fidelium reſtitui, appropinquante mortis obeundæ neceſſitate: & inter *Viaticum* & Communionem generali quodam ſumpto nomine, vt corpori myſtico Chriſti Domini communicemus, nihil intereſt, niſi quod Viaticum ſit illa ipſa Communio, quæ Excommunicato redditur, quem breui moriturum conijcimus, quare tot ſunt gradus aut genera *Viatici*, quot & Communionis in corpore fidelium: aut vt clariùs res tota explanetur, tot ſunt genera Viatici, quot & modi viæque perhibentur ad Eccleſiæ Communionem, & quoddam quaſi corpus reſtituendi eos qui à morte propiùs aberant, neque vnquam in Eccleſia fuerunt, aut qui ab ea peccato quodam ſuo abrupti eiectique fuiſſent: atque hæc mea ſententia, non aliter explicanda vox hæc eſt, *Viaticum*, vt omnes canones, qui de Viatico diſſerunt, intelligantur, & quadam inter ſe ratione conſentiant. Nam qui paſſim verbum hoc, Viaticum, pro Euchariſtia exponunt; nunquam ita mentem iudiciumque canonum ita diſ-

picient,

picient, vt non aliquo modo inter ſe pugnent; obſcuraque ſit & minimè aperta eorum argumentatio & ratio. Nolim tamen eis negare Euchariſtiam, cùm datur pœnitenti ad mortem præcipitanti eſſe Viaticum, imò tutiſſimum, abſolutiſſimum, & potentiſſimum quod mortuis tali tempore præberi poſſit, tamen confiteantur neceſſe eſt, non omne *viaticum* dici Euchariſtiam, nam quemadmodum Eccleſiæ communio & ius multis alijs, præterquam Euchariſtiæ, modis cõparari poteſt, ita & pœnitens ex hac vita demigrans, aliud quàm Euchariſtiæ viaticum poteſt accipere, denuoq; alijs quibuſdam vijs & modis quàm Euchariſtię beneficio, eidem corpori reſtitui & inſeri, quamuis illud veriſſimum ſit vti dixi, Euchariſtiam, quemadmodum eſt perfectiſſima communio; & vltimus Chriſtiani finis & perfectio, ita eſſe perfectiſſimum Viaticum quod ſuppeditari poſſit morituris.

Antequam autem ad ea teſtimonia veniam, quibus declarem omne Viaticum non dici Euchariſtiam, plurimaque eſſe genera *Viatici:* quin tot videri & eſſe gradus, quot ſint modi reſtituendi, aut reuocandi aliquẽ ad communionem Eccleſiæ: & priuſquam ad explicandos canones progrediar, qui in medio quaſi conſtituunt illos gradus, quique planè conuincunt non paucos fuiſſe modos rationeſque exoluendi anathematis, & ſtabiliendæ ſocietatis fidelium; redigenda in memoriam eſt vetus illa diſciplina Eccleſiaſtica, & ante oculos conſtituendus ſtatus Eccleſiæ primorum temporum; aliter quidquid à nobis proferetur, more commentum hominum, ne dicam deliramentum

Digitized by Google

monſtri ſimillimum putaretur: Eccleſia ergo maiorum noſtrorum memoria, peccatum mortiferum excommunicatione, quaſi debito ſupplicio vindicabat; aut pœnitentia plurimorum annorum, vtputa VIII. X. XII. XX. XXV. & XXX. quandoque ad mortem vſque producta: vixque, ac ne vix quidem, demonſtres pœnitentem fuiſſe abſolutum antequam pœnitentiæ tempus definitum tranſegiſſet; quæ cauſa eſſe poteſt cur quamplurimi eſſent, qui pœnitentiam peragerent. Qui ergo ſecum conſiderarit Viaticum nihil aliud dici, quàm quod in morte ſumitur, & in alteram vitam proficiſcenti prodeſſe poteſt: non eam imbibit animo opinionem, vt Euchariſtiam ſolum Viaticum Chriſtianorum ſentiat; Nam cùm magna eſſet pœnitentium copia, multique ante præfinitum pœnitentiæ tempus poſſent emori, quibus ſi ſola concederetur abſolutio (canone enim 13. Nicæ. & 5. Cartha. 2. Euchariſtia nõ poterat dari pœnitentib⁹ morientibus, niſi ex authoritate & præſcripto Epiſcopi) non alio Viatico dimittebantur. Eaque verè eis erat Viaticum, cùm Euchariſtiâ non donarentur. Præterea Baptiſmus, Extrema-Vnctio, Confirmatio, bona opera, Abſolutio, Euchariſtiaque ipſa, Viatici nomine comprehendi poſſunt, quando ea morientibus impertiuntur, namque ea omnia morientibus prodeſſe poſſunt, quidni Viatica cenſeri poſſunt? Sic Patres, non prohibent, imo imperant, vt ſacro fonte intinguntur in morte, quod Baptiſmus ad ſalutem omnino requiratur & valeat: Propterea *Viaticum* appellant: Sanctus Baſilius Homilia de Baptiſmo. Balſamo in

Digitized by Google

Canonem XVIII. Concilij Carthaginenſis, & initio reſponſionum Timothei. Sanctus Cyprianus Eleemoſynam vocat *Commeatum* eorum qui ex hac vita diſcedunt: Verùm duo genera *Viatici*, hac acceptione generali dicuntur, quorum vnum Eccleſia ipſa tribueret, alterum quod quiuis in ſe accerſeret & applicaret, opera bona, & contritio: Eorum autem quæ Eccleſia largiretur, duo item genera: alia abſolutè neceſſaria ad ſalutem, vt abſolutio pœnitenti, & Baptiſmus catechumeno: alia non fuere merè neceſſaria ad promerendam Eccleſiæ communionem; ſed illa, quò acceſſio gratiæ maior fieret, iſque qui moreretur ad perferendas æquo & forti animo tentationes munitior, inſtructiorque redderetur, tradebantur: vt Euchariſtia, Extrema-Vnctio, & Confirmatio.

Canones multò ſæpiùs de ijs quæ ad ſalutem æternam promerenda neceſſaria ſunt, diſputant, quàm de alijs quæ minùs opportuna videbantur, vt Canon XIII. Concilij Nicæni, prima illa ſua parte aut diuiſione, quemadmodum in obſeruatione à me inſtituta & perfecta videre licet, Canon etiam VI. Concilij Ancyrani, *hic Communio propter Viaticum ſuum non negabitur* de reconciliatione illa ſumi debet, quæ inſtar Viatici ad ſalutem ſatis eſſet, non autem pro Euchariſtia: nam in illo canone agitur de ijs qui ingreſſi ſunt pœnitentiæ curriculum; quique in eo percurrendo morte ipſa intercepti è vita abeunt. In illis autem primis ſæculis obſeruatum eſt, ſatis præclarè & liberaliter cum illis agi, ſi illis abſolutio ſine Euchariſtia conce-

Digitized by Google

deretur: & quotieſcumque præſcriptum eſt, vt communio pœnitenti detur, ſi dum in curriculo pœnitentiæ verſatur, ad mortem ruere videatur, hæc communio eò pertinet, vt non de Euchariſtia, ſed de communione & ſocietate quæ illi eſſe poteſt cum fidelium corpore, & Eccleſiæ communitate, accepta abſolutione intelligatur: id enim ipſum ex ordine quodam & quaſi gradatim fiebat, vt in explicatione Canonis XIII. Cócilij Nicæni legitur. Canones item LXXVI. VII. VIII. IX. Concilij Carthag. IIII. id edocent, aliquod enim diſcrimen ponunt inter Viaticum abſolutionis, & Viaticum Euchariſtiæ, nam LXXVII. præcisè decretum eſt vt cuiuis morienti Viaticum ſubminiſtretur, quod tantùm de reconciliatione quę ante Euchariſtiam pręberi ſoleret, quæque ad ſalutem valeret, dici poteſt, nam præter rationem illam quæ à nobis generatim ſumpta eſt ſuprà, Patres eiuſdem Concilij nonne id ſatis indicant, & ſe præcedenti Canone de Euchariſtia verbum vllum feciſſe, quod cùm de ea loqui vellent, ſequenti canone non ſimpliciter dixerunt *Viaticum*, ſed additamento quodã protulerunt, *Viaticum Euchariſtiæ*, vt hoc pacto oſtenderent ſe non de Euchariſtia locutos eſſe, aut voluiſſe loqui canone LXXVII. Canone nono Concilij Bercendenſis, Patres pœnitentiæ benedictionem vocant Viaticum. *Pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per Communionem acceperit*, vbi Viaticum omnino accipi non poſſe pro Euchariſtia patet: Nam nemo vnquam Euchariſtiam pœnitentiæ benedictionem vocat: neq; verò illa verba quæ ſequuntur obijci poſſunt *per Com-*

Digitized by Google

munionem, ac ſi Canon diceret, cenſeretque pœnitentes illos ſtatim poſt pœnitentiæ benedictionem, quæ eſt abſolutio, Euchariſtiam ſumpſiſſe, atque ita ſemper Euchariſtiam eſſe quam appellant Viaticum, nam accipere pœnitentiæ benedictionem vel cōmunionem, nihil aliud eſt in illo canone, quàm vna eademque benedictione pœnitentiæ donum cum reconciliatione accipere: Rarò enim cum pœnitentia porrigebatur Euchariſtia, Canon ille 39. Concilij Arauſicenſis 1. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt*, omnem dubitandi cauſam præcidit: nam verbis illis abſolutionem peccatorum, & ſimplicem reconciliationem, præter illam quoque, quæ cæremoniarum quarumdam ritu peragere tur, nominari Viaticum cōſtat. In quo quidē canone nemo ſuſpicari, aut conijcere poſſit, de Euchariſtia verbum fieri: nam de communione vna diſputat, quæ ſine reconciliatoria manus impoſitione daretur: Euchariſtia autem nemini porrigebatur, quin pœnitens reconciliatoriam manus impoſitionem, & quidam maiorem recepiſſet: Canon 34. 3. Carthaginenſis, *vt ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerunt, baptizantur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt*, de duobus Viaticis, de Baptiſmo, & de abſolutione eſt accipiendus, & qui ſolertiùs illum examinarit, non diffitebitur, plereque Baptiſmum dici Viaticum neceſſarium catechumenis, aut non bapti-

ſatis, vt abſolutionem pœnitentibus, qua de cauſa Patres huius Concilij, vtrumque coniungunt, idemque de vtroque ſtatuunt, quid fieri placeat, quod, Viatici neceſſarij rationem vtrumque induat & ſuſtineat: canon 12. 1. Concilij Matiſconenſis, eandem ſententiam complectitur, verbumque illud *Communio*, quod morituris pœnitentibus dari oportere decernit, non ad Euchariſtiam, ſed ad abſolutionem peccatorum transfert: idem quoque Canon 3. Concilij Agathenſis, & in epiſtola Sancti Innocentij ad Epiſcopum Toloſanum ſtatuitur: Canones præterea omnes, qui de Viatico diſſerunt, nonniſi de abſolutione, quæ Viaticum quoddam ad ſalutem neceſſarium, eſt, & ſine Euchariſtia præberi ſoleret, explicandi ſunt, quid quod ea peccata non modò relaxabantur, ſed etiam pœnitentes ad fidelium communionem reducebantur: quemadmodum & 6. Ancyrani 77. 4. Carthaginenſis 9. Gerundenſis 13. Nicæni 29. Epaunenſis 24. Aurelianenſis 3. Syricius epiſtola ad Taraconenſem Epiſcopum, 2. 12. Toletani: Quo autem demonſtremus canones, qui ſtatuunt Viaticum non eſſe negandum pœnitentibus morituris· aut alios item Canones, qui præfiniunt non eſſe eos communione ſpoliandos, de abſolutione, non de Euchariſtia intelligi oportere: ac proinde non omne Viaticum eſſe Euchariſtiam, verbumque hoc *Communionem* non ſemper pro Euchariſtia ſumi debere: omnium hæc erit ſententia & conſenſio canonũ omniũ, qui hac formula verborum vtuntur, *in vltimo fine reconciliationis gratia tribuenda:* aut eos, *quibus per communionis gratiam volumus ſubueniri,* eodem

omnino ſenſu accipi & explicari, atque eos qui his verbis vtuntur *in infirmitate viaticum accipiunt*: adde quod canones promiſcuè ſcripti omnes idem deſignant, hoc eſt conſtituendum eſſe vt Viaticum ad ſalutem neceſſarium pœnitentes accipiant, qui nondum exacto pœnitentiæ tempore, ad mortem tamẽ ex improuiſo rapiuntur: neminem autem eſſe puto, qui affirmet hos canones in quibus illa verba ſcripta animaduertis, *reconciliationis gratia, ſubueniendum eſſe*, de Euchariſtia eſſe explicandos: notum quippe apud Patres olim reconciliationem fuiſſe ab Euchariſtia diſtinctam, ipſamque reconciliationem aliud nihil eſſe, quã corpori fidelium reſtitui eos, à quo peccata illos diſtraxerant: pœnitentéſque de ea, non verò de Euchariſtia ſollicitos fuiſſe: vt autem modus quidam huic obſeruationi conſtituatur, & ratio quædam diſtribuendi Viatici neceſſaria cognoſcatur, perpendenda ſunt varia multipliciáque genera mortis, quibus peccatores & pœnitentes poterant opprimi. Primum quando peccatores fato vrgerentur, antequam eis pœnitentię agẽdæ facultas fieret, hi duo ſibi dari poſtulabant, pœnitentiam ſcilicet, & abſolutionem, quæ Viaticum cenſebatur, nulli enim abſolutio vnquam impertiebatur, quin & vna quoque pœnitentia tribueretur, quæ cùm propter peccatorum ſatisfactionem concederetur, eáque ſemper pœnitentiam antecedere deberet, nunquam peccator antiquitus abſolutione donabatur, quin priùs pœnitentiæ ſatisfactione peccata diluiſſet: ideóque quamuis morte certiſſima interciperetur, breuiſſimumque temporis ei interuallum ad ſatisfa-

Digitized by Google

ctionem reliquum eſſet, tamen non illi pœnitentia denegabatur, & remedium pœnitendi, vt vocant, quo conceſſo abſoluebatur. Secundum quando pœnitentes aut in primo, aut in ſecundo, aut tertio, aut ad extremum quarto gradu verſabantur. Si primo anno aut duobus inſequentibus moriebantur, non pœnitentia, cùm in ea agenda occuparentur, ſed ſola abſolutio, qua carebant, tanquam Viaticum concedebatur: vltimo ſi in quarto, morbo conflictabantur. In eam propendeo ſententiam, vt exiſtiment, tametſi mihi exploratum non ſit, datum Euchariſtiæ Viaticum, nam arbitror eos qui in quarto gradu pœnitentiæ eſſent, abſolutionem peccatorum fuiſſe adeptos, aliudque nihil ab his quàm Euchariſtiæ Viaticum deſiderari: Ad extremum vt omnes intelligāt patres inter *Viaticum abſolutionis* & *Viaticum Euchariſtiæ*, diſcrimen aliquod conſtituiſſe, illud indubitatum eſſe oportet, quando decernunt, vt in morte Euchariſtiæ præbeatur, nomen Viatici non ſimpliciter aut communionis vſurpare, ſed aliquo adiuncto ſeu epitheto id deſignare, vt canone 18. Concilij Toletani 1. appoſuerunt Sacramentum. *Quinto Ilerdenſi* nominant hoc Euchariſtiæ Viaticum *ſanctam Cōmunionem*, alibi *abſolutam reconciliationem, perfectiſſimam, abſque Sacramentorum Viatico*. Vnde videas quotieſcumque ijſdem verborum formulis non vtuntur, & tamen ſtatuunt dandum eſſe Viaticum, id non pro Euchariſtia, ſed pro abſolutione accipiendum.

Ad hæc quaſi duo veluti capita reuocatur hæc omnis obſeruatio, omne Viaticum non eſſe Euchariſtiam,

toti-

Digitized by Google

totidémque genera eſſe Viatici, quot modi reperiuntur, quibus quiſpiam ad Eccleſiæ communionem adſciſcatur, aut eius communionis pars aliqua ei cumulatior addatur: ita abſolutio, reconciliatio Sacramentis, Euchariſtia, Extrema vnctio, Baptiſm⁹, & Confirmatio, in morte omnia illa collata, Viatici appellationem continent: cùm Patres ita appellarint; quare loci illi non indiligenter perſcrutandi, in quibus vox illa reperiatur, & quo de genere agatur, ne quid in eorum explicatione peccemus.

LÆTITIA OB SVSCEPTAM Euchariſtiam.

OBSERVATIO XII.

MVltis argumentis, luculentiſque teſtimonijs exponere poſſem in hac obſeruatione quanto olim gaudio, ex Euchariſtiæ ſumptione afficerentur Chriſtiani; quantaque ex eius participatione, in eorum oculis, vultu & ore hilaritatis & geſtientis animi ſigna & indicia notarentur. Sed cùm in ſequentibus obſeruationibus pleraq; quæ ad eundem ritum pertinent adducantur: ne eadem repetere videamur: præcipua tantùm capita, hoc loco perſtringenda duxi, & quantum neceſſitas ipſa ferret, vt probationis ſeries aliqua intexeretur & quaſi gradus ſtruerentur, quibus fides faciliùs ijs, quæ deinceps dicturi ſumus, adhiberetur. Itaque apud Antiquos tam inſignia erant gaudia, quibus ex Euchariſtia percepta complebantur, vt reperti ſint, qui ea

Digitized by Google

ſumptâ, mox ad martyrium quaſi impotentes lætitiæ, vltrò ſe ſe offerrent. Omnibus olim nefas viſum, ieiunijs, aut aliqua alia anxietate, quam ex ea conceperant, hilaritatem confundere. Et quidquid tantillum hanc interturbare poſſet, penitus illis diebus remouebatur. Eâdem religione, atque ob eandem cauſam, cùm eâ reficiendi eſſent, non genibus nixi, non humi iacentes, ſed erecti, & in cœlum intuentes preces concipiebant. Antequàm autem aris admouerentur, vt hoc tam diuinum & immortale munus haurirent, vidiſſes mutuos inter ſe complexus, quò tanta ſibi inuicem gaudiorum oblectamenta oſculo impertirent: cùm vt communi hominum vita, & conſuetudine contingat, mortales ipſos, mutuò ſe ſe complexu, & oſculis gaudia, voluptateſque ſuas, quas tacitis animis concipiunt, occurrentibus amicis communicare. Sacri & feſtiui dies, nō aliâ re ab alijs diſtinguebantur, quàm his clariſſimis & gaudij & lætitiæ, quibus Chriſtiani delibuti geſtiebant, argumentis. Hi dies, quibus Euchariſtiam ſumpſiſſent, vocabantur ab Antiquis dies lætitię, dies remiſſionis, dies immunitatis, dies ſolemnes, dies feſtiui; quorum omnium ratio & cauſa in ſequentibus fuſiùs exponetur.

Digitized by Google

DE CELEBRITATE ET IEIVNIIS Sabbathorum.

OBSERVATIO XIII.

QVod ad Sabbatha attinet, Græci & Oriẽtales eandem penè rationem ſequuti ſunt. Nam vt ex antiquioribus Authoribus cõſtat, feſta celebritate colebantur, Ieiuniumque interdicebatur. Latinorum autem varius in ea re vſus fuit. Ea enim aliàs perinde ac Græci celebrarunt, ſed ſenſim inductus eſt ille mos vt ieiunaretur, & triſtitiæ dies haberentur. Porrò apud Orientales & Græcos celebrata fuiſſe, feſtaque habita Sabbatha, vel ex cano. 5. Laodic. efficitur, vbi cauetur, ne alijs quadrageſimæ diebus quàm Dominicis & Sabbathis natalitia Martyrum celebrentur. Ex quo facile eſt animaduertere, eos dies ſolemnes, ipſis feſtoſque fuiſſe, quandoquidem publicæ Chriſtianorum lętitię, ſolemnioribuſque feſtis, perinde ac Dominici conſecrati erant, & ab alijs dieb⁹ diſtincti. Confirmatur iſtud prętèrea ex cap. 33. lib. 8. Conſtitutionum, quę vulgo Diuo Clementi attribuuntur, vbi expreſsè Chriſtiani iubentur diebus Sabbathi, atque Dominicis feriari à labore. *Vt ſerui quinque dierum opus faciant, Sabbatho autem & Dominica die vacent in Eccleſia:* 13. item reſponſione Timothei Alexandrini Patriarchæ, quę maritis vxorum vſum Sabbathis & Dominicis diebus interdicit, quò maiori cum pietate & reuerentia communicare poſſint. Denique nullum luculentius feſti diei argu-

Digitized by Google

mentum eſſe poteſt quàm ſi communicabatur. Ex his Gregorij Nyſſeni verbis, *quibus oculis vides diem Dominicum qui deſpicatus es Sabbathum*: his item Anaſtaſij Nicęni, *Sabbathum & dies Dominicus ſunt dies ſancti & feſti.* Denique innumeris alijs locis quos apud Annaliſtam videre eſt anno Chriſti 57. n.205. 6. & 7. id etiam ex pluriũ Sãctorũ vitis apud Palladium & alios efficitur, qui diebus Sabbathi perinde ac Dominicis ad ſacram ſynaxim accedebant. Huc accedit Orientalium cautio ne diebus illis ieiunaretur, quod in feſtos tantùm ac celebres cadere poteſt. Sed obijci contrà poſſunt verba cano. 29. Laod. *Quod non oportet Chriſtianos iudaiſare, & in Sabbatho otiari.* Quæ ſtatuta ante à nobis de Sabbathorum celebritate euertere funditus videntur, ſed duo reſponderi poſſunt. Primum eſt canonem in eos eſſe factum, qui non tantùm celebrare Sabbatha contenti erant, ſed ea more Iudæorum obſeruabant, hoc eſt, ſacrificabant, & ea qua Iudæi religione ab omni opere vacabant. Itaque non prohibet canon eo more celebrari Sabbatha, quo dies dominicos Chriſtiani obſeruabant, ipſumque inſertum canoni verbum *Iudaiſare* ſatis probat, eos tantùm peti ac notari, qui Iudæos imitarentur. Alterum eſt feſtorum obſeruationem apud Chriſtianos in eo ſitam non fuiſſe, vt ab omni prorſus labore abſtinerent, quod ex eodem canone ſatis patet, vbi non ſimpliciter iubentur Chriſtiani feriari ab omni opere diebus dominicis, ſed quantum commodè fieri poteſt, idque adeo multò manifeſtiſſimum eſt ex quinquaginta illis diebus, qui à Paſchate ad Pentecoſtem maximè ſolemnes erant,

Digitized by Google

quamquam nemo illos feriatos vnquam dicat: ſed obijci prӕterea poteſt Epiphanius, qui cùm exactè catalogum texuerit eorum dierum, quibus Chriſtiani communicabant, ſolemneſque habebant, nunquam tamen Sabbathi meminit, quod vtique homo Grӕcus nunquam prӕtermiſiſſet, ſi ſolemne & feſtum in Grӕcia fuiſſet, ſed reſponderi poteſt Cyprios Alexandrinorum vicinorum apud quos neque in Sabbathis, authoribus Socrate & Sozomeno, communiones fiebant, neque vt ſolemnia, feſtaque habebantur, ӕmulos fuiſſe. Verùm nutare poteſt iſta reſponſio, nam vt verum ſit horum hiſtoricorum tempore celebrata Alexandriӕ non fuiſſe Sabbatha, non continuò efficitur, eundem morem Epiphanij temporibus, qui Socrate & Sozomeno octoginta aut circiter annis antiquior fuit, obſeruatum prӕſertim eum conſtet primis ſӕculis, cùm Alexandriӕ, tum apud Orientales Sabbatha feſta fuiſſe, in ijſque Ieiunia interdicta. Commodiùs igitur veriúſque reſpondebimus, ſi dicamus commemorari tantùm ab Epiphanio generales conſuetudines, & Apoſtolorum traditionibus conſtitutionibuſque obſeruatas, cùm ſemetipſum his verbis interpretetur; *ordinata ſunt ab Apoſtolo*, item, *& tradiderunt Apoſtoli*. Itaque cùm hanc conſuetudinem ſciret non eſſe vniuerſam, vt quӕ ſuo tempore in Eccleſia Latina non obſeruaretur, noluit eius meminiſſe. Quod autem Socrates ait Sabbathis Alexandriӕ, auguſtiſſima myſteria celebrata non fuiſſe, vereor vt ſatis locuples author eſſe poſſit, tam multa enim in eodem illo capite parum fide digna ſunt, vt iſti etiamnum rei abrogent,

Digitized by Google

Verùm vt vtſit, tã multi ſunt loci, qui id dicãt, vt ſi attentè conſiderentur, nemini dubium eſſe poſſit, quin Orientalibus Sabbatha omnia, præter Sanctum, feſta fuerint.

Ieiunium autem Sabbathis, in Oriente interdictum facillimum eſt probare, nam vt vna eſſet antiqua conſuetudo, quæ feſtos dies eſuriales eſſe prohibebat, id ſatis conſtaret. Verum innumeri ſunt loci qui id euincant, cuiuſmodi eſt *66.* canonum, qui Apoſtolorum dicuntur. 24. caput lib. 3. conſt. D. Clem. textus Ignatij 4. epiſtola 55. canon Concilij in Trull. & quæ paſſim in Annalibus Eccleſiaſticis habentur. Sunt tamen qui hæc in dubium vocent, quod canones illos, & conſtitutiones Apoſtolorum eſſe negent, de quibus quando ſe commoda dedit occaſio, pauca dicam, vt omnes intelligant quænam in ipſis ineſſe authoritas, ponduſque debeat, etſi quod rem noſtram attinet, ſatis multa ſint, quamquam ille Apoſtol. canon, & D. Clem. conſtitutio reijciatur, quæ ipſam confirment.

Certè ſi quis eſſet qui canones Apoſtolorũ, & D. Clem. cõſtitutiones Apoſtolorũ authoritate ſancitas, publicataſque certo affirmaret, imperitus cenſeretur. nam qui antiquarum cõſuetudinum gnari, quo quidque tempore aut loco obſeruari, deſitum ſit, aut mutari cæptum norunt, de ijs ne dubitare quidem poſſunt. Et verò quæ mox dicam ita clara ſunt, ea vt reuinci à nullo poſſint. Multa ſunt in ijs adeo clarè, dilucideque explicata & conſtituta, vt de eorum ſenſu dubitari non poſſit, quæ tamen tertio, quartoque ſæculo ſumma contentione diſputata ſunt. Huiuſmodi

Digitized by Google

ſunt Sabbathorum ieiunia, pœnitentium, hoc eſt adulterorum, ſicariorum & idololatrarum receptio. De Baptiſmo hæreticorum. Si canones iſti, conſtitutioneſque ab Apoſtolis probatæ, ſancitæque fuiſſent, quis exiſtimet ea in dubium fuiſſe reuocanda, quæ ab Apoſtolis decreta ſancitaque fuiſſent. An adeo ignorantes erant illius ætatis Patres, vt ſi extitiſſent illi Apoſtolorum canones, eos continuò non produxiſſent. Sunt tamen illi canones conſtitutioneſque antiquiſſimæ, multaque in illis excellentiſſima & magni ponderis continentur. Nec dubito quin olim Græcæ Eccleſiæ pro legib⁹, manuali, Pōtificali, rituali vt vocant, ac codice fuerint, ſatis enim conſtat, nihil quicquam in ijs reperiri quod Eccleſiaſticæ 4. primorum ſæculorũ diſciplinæ cōſentaneum non ſit. Quod attinet ad canones exiſtimo eos ita appellatos eſſe ab antiquitate, nam cùm eorum aliquot ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui teſte Tertulliano de præſcriptionibus, Apoſtolici viri nominabantur; facti eſſent, Apoſtolicorum primùm canones, deinde nonnullorum Latinorum ignorantiâ, aliquot literarum detractione, Apoſtolorũ dicti ſunt. Et apud Græcos quoque res ita proceſſiſſe videtur. Aucti ſunt poſtea, cùm illis adiuncti eſſent, & eodem volumine comprehenſi Græcæ Eccleſiæ canones. Quod quidem confirmari duabus maximè rationibus poteſt: primum quod iis, qui eorum meminerunt, authoribus, non vnus aliquis conſtās canonũ numerus ſit, ſed 50. nōnunquã, plures aliàs, aut pauciores cenſeantur. Altera ratio eſt, quod ex toto canonum corpore, manifeſtè appareat alios alijs ſæculis factos

eſſe, quod controuerſias dirimant eas, quæ varijs ſæculis contigére. Cuiuſmodi eſt canon qui de admittendis ad pœnitentiam lapſis factus eſt, qui certè ante Cyprianum ſancitus eſſe non potuit, cùm alius eſſet Eccleſiæ vſus, & illa demum tempeſtatate admittẽdos eſſe lapſos decretum ſit. Hinc igitur manifeſtò conſtat canones eos, tempore auctos eſſe, idque ita factum cùm vnà colligarentur, vnoque veluti codice continerentur priuatarum Eccleſiarum ſtatuta quæ ab alijs poſt modum Eccleſijs obſeruarentur. Hęc autem coniectura eò probabilior redditur, quò certius eſt Græcos ſolitos fuiſſe vno eodemque quaſi titulo & volumine complecti cùm antiquos canones, tum recentes, nulla cõcilij, temporis, authorumque mentione facta, quique præcedentibus addebantur, tacito ordine numeroque, quem in concilijs, vnde decerpebantur, habebant, ab ijs ordinem, numerumque accipiebant quibus in illa collectione adijciebantur, quare ſi iam centum canones præpoſiti fuiſſent, qui de nouo addebatur centeſimus primus, quę ratio par fuit in cæteris, cenſebatur. Idque addo, certum eſt vt iam à plurimis ſit adnotatum puta Baronio anno 341. num. 34. Antonio Auguſtino libro primo de emendatione Gratiani. cap. 11. facit alia coniectura vt affirmem canones iſtos Apoſtolorum, de quo dixi modo, decurſu temporum, non autem ſimul collectos & compactos, nempe quod ſi & aliquot conſequentes ex Concilio Gangr. deſumpti ſunt, vt vel ipſa lectione conſtabit. Quod efficit vt credam id eſſe veriſſimum quod ante dixi, canones iſtos nihil eſſe aliud, quàm Breuiarium

& Epi-

Digitized by Google

& Epitomem priuatorum Conciliórum, & rerum ab Epiſcopis priuatis ſancitarum, qui Eccleſias Græcas ante Concilium Nicænum adminiſtrarunt. Nam & poſtrema verba, quibus cauetur ne octo libri conſtitutionum Apoſtolicarum publicentur, apertè indicant eas primis ſæculis factas non eſſe, cùm primi ſæculi Chriſtiani ſua lubentes myſteria, vt vel ex Iuſtino conſtat, enunciarent.

De Conſtitutionibus porrò iſtis nemini dubium eſſe debet, quin probus iuxta & antiquus liber ſit, certoque affirmare poſſum trecentis primis annis eo Eccleſiam Græcam, tanquam rituali, & Pontificali vſam eſſe, quique eas attentiùs legerit, eadem de illis quæ de canonibus iudicabit, additas videlicet decurſu temporum primis nouas, quemadmodum & nouæ leges, ac conſtitutiones in regimine Eccleſiæ, nouis occaſionibus enatis, factæ ſunt.

Sed ad Sabbatha noſtra videamus, & inquiramus porrò, quæ rationes maiores noſtros inducere potuerint, ea vt feſta ſolēniaque obſeruarent. Exiſtimāt antiquiores id eo factū eſſe, cùm vt creationis mundi memoria coleretur, tum quod ſeptimo die Deus ab omni opere conquieuerat. Baronius anno Chriſti 57. num. 105. vetiti in Oriente Sabbathis Ieiunij eam putat eſſe cauſam, quod in authoris mundi deteſtationem, quem malum Deum appellabant, Hæretici Sabbathis ieiunarent, quales fuere Saturninus, Baſilides, & ante Marcionem plurimi. Verùm iſtę rationes non vſquequaque legitimæ videntur, nam quod poſteriorem attinet, ea 2. tantùm ſæculo valere potuit, at ipſorum

Digitized by Google

etiam Apoſtolorum temporibus, Sabbatha vti feſta colebantur: exiſtimo igitur eam veram, ac germanam fuiſſe cauſam quod cùm primùm inter fratres, ac Iudæos diſſeminari Euangelium cœpíſſet, nollent aut certè non auderent ceremonias ſtatim omnes Iudaïcas reſcindere. Eam igitur quæ Sabbathum attinebat, quęque magnos motus, ſi ſublata fuiſſet, excitatura videbatur, ne eos à Chriſtianis ſacris amplectendis auocarent, retinuerunt. Nonne ex ipſis Apoſtolorum Actibus diſcimus magnum omnino tumultum contentionemque excitatam, quod ceremonias omnes legemque Moïſi deſtruere Paulus diceretur, eundemq; à Sancto Iacobo cùm Ieroſolimã veniſſet, perſuaſum eſſe, vt eam è mentibus hominum opinionem tolleret, contrariumque palam prædicaret, imò eam fuiſſe cauſam ſcimus quamobrem Paulus in carcerem datus ſit: non audebãt igitur primùm ceremonias omnes legis, ne Iudæos in ſe prouocarent, abolere, ſed earum præcipuas, & quæ ſacris Chriſtianis minus aduerſari videbantur, ſeruauerunt. Ea igitur mea ſententia ratio fuit quamobrem apud Chriſtianos Sabbatha feſta fuerint.

In Eccleſia autem Latina varius, vt dixi, vſus fuit, cùm aliàs eos dies feſtos habuerit, aliàs Eſuriales, id autem fusè & multis probare conuenit, quod plerique omnes quaſi certum & conteſtatum ponunt Sabbathis Romæ ieiunatum ſemper eſſe, id ego tanquam maximè dubium incertumque habeo, nam ſi efficitur primis ſęculis in Eccleſia Latina feſta fuiſſe, veriſimillimum eſt, Romæ pariter feſta ſolemniaque extitiſſe, nam ex omnium ſæculorum memoria conſtat, ea quæ

Digitized by Google

Romæ obſeruata,aut mutata ſunt,in omni pariter Ecclesia Latina obſeruata,aut mutata fuiſſe, atque adeo in hac ipſa, de qua ſermo eſt, materia cũ Romæ in Sabbathis ieiunari cœptum eſt, ea conſuetudo in vniuerſam Eccleſiam Latinam,quamuis paulatim ſparſa eſt. Sic Tertullianus Orthodoxos libro de Ieiunijs alloquens, notat eos Sabbathis, excepto ſancto, nõ ieiunare. *Et ieiunijs paraſceuem quanquam vos etiam Sabbathum ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſcha ieiunandum, ſecundum rationem alibi redditam.* Quibus ex verbis manifeſtum eſt,Tertulliani tempore Chriſtianos ne Romæ quidem,Sabbathis ieiunaſſe,nam ſi quæ varietas fuiſſet, eam nunquam Tertullianus, vt quæ maximè cauſæ ſuæ fauebat, omiſiſſet, quippe inde oſtẽſurus erat in obſeruatione Ieiuniorum, variam eſſe Eccleſiam & diuerſam, cùm aliqua Romæ obſeruarentur, quæ alibi repudiarentur. Quandoquidem eos notat quaſi plura Ieiunia obſeruantes, quam aut ſcripturam, aut Apoſtolorum traditionibus imperata eſſent. Et verò cùm ibi ageretur de nouitatibus quas Montani inducerent, ſi quid diuerſum fuiſſet in Eccleſia, quod ieiunia attinebat, num id omiſſurũ fuiſſe Tertullianum exiſtimamus hominem acutum, & qui eo, quod appellant ad hominem argumento,tam ſæpe vtebatur? præterea cùm Orthodoxos notat Romanam maximè Eccleſiam, quæ Orthodoxorũ caput eſt,petit, quare ſuperiora verba, minimum tam in Romanam Eccleſiam, quàm in vllam aliam dicuntur. Certè in omnibus alijs libris, quos de dogmatis ſuis ſcripſit, vnam præcipuè Romanam Eccleſiam, ſummoſque

Pontifices aggreditur, quippe Romanos ritus Africanæ Eccleſiæ ſequebantur, & ſi quæ in Eccleſia Africana conſuetudo obſeruabatur, ea à Romana Eccleſia profluxerat, ſed præter locupletiſſimum illud teſtimonium, de non obſeruatis in Sabbatho Ieiunijs, primis temporibus, author eſt Auguſtinus epiſtola 86. variam in ea re fuiſſe Occidentalis Eccleſiæ conſuetudinem, imò etiam æuo ſuo aſſerit, non ſolùm Mediolani, & in aliquibus Africæ Eccleſiis, Sabbathis non ieiunari, ſed in eadem Eccleſia, in ipſa Africa varium fuiſſe vſum ac diuerſum. Eò ſpectant etiam canones 26. Concil. Eliber. hæc verba, *Errorem placuit corrigi, vt omni Sabbathi die, ieiuniorum ſuperpoſitiones celebrentur:* quibus manifeſtum eſt, nouam aliquam legem fuiſſe inductam, ea enim verbi *ſuperponere* vis eſt, vti & canone 23. probatur. Sed præterquam quod verbo ipſo *imponere*, ſatis cōſtat nouam aliquam obligationem, & quaſi arctiorem diſciplinam intelligi, & aliquid additum eſſe cùm de Ieiunijs agitur, Eccleſia, antiquioreſque ſcriptores, cum illa his vocibus vtuntur, *Iugum imponere*, Actorum 15. *vt imponatur iugum*, Tertullianus cap 2. de Ieiunijs, *ſic & Apoſtolos obſeruaſſe, nullum aliud imponentes iugum* pari ſenſu Concil. Elib. *ſuperponere*, non autem imponere dixit, quo manifeſtiùs ſignificaret, nouū aliquod onus imponi, & quaſi ſuperaddi, cùm in Sabbathis ieiunia imperaret, quibus antea non ieiunabatur. Nec alia ſignificatio vocis huius eſt, falluntur que, qui volunt idem eſſe, atque Græcis ὑπερτίθεσθαι, hoc eſt cibum differre. Ex quo facile eſt colligere Sabbathi ieiunia in Hiſpanijs huius Concilij

Digitized by Google

tempore, tum primùm celebrata fuiſſe. Ad hæc Sãctus Innocentius in Sabbathis ieiunandum eſſe docet 4. cap. 1. ep. eiuſque diſciplinæ, propter variam illius obſeruationem ſuper ea re conſultus, rationem reddit. Vnde apparet nihil adhuc certum, & determinatum fuiſſe, neque vbique obſeruatum, quod & ipſum, vt dicebam, confirmat Auguſtinus eius æqualis. Notandum porrò, ſimul ac Sabbathis ieiunari cœptum eſt, apud Latinos diei Mercurij ieiunium deſijſſe, & in Sabbathum tranſmiſſum eſſe.

Cæterùm, cùm apud Latinos in Sabbathis non ieiunaretur, probabile admodum eſt, ea etiam feſta, ſolemniaque fuiſſe, cùm ieiunia, & feſta ſimul eſſe non poſſent: facilèque adducor, vt credã, primis ſęculis, ęquè atque Oriẽtales Latinos in Sabbathis communicaſſe. Neque quicquã facit quod neque Iuſtin⁹, neque Epiphanius meminerunt, cùm ille nõ locutus ſit de communionibus ſtationũ, quas æq; ac Sabbatorũ obmiſit: iſtius autẽ tẽpore, iam in Eccleſia Latina Sabbathis ieiunaretur. Tertullian⁹ ſanè aduerſus Iudæos negare videtur, celebrãda eſſe Sabbatha, ſed intelligẽdus eſt more, modoq; Iudęorũ; itaque vnas ceremonias, ſacrificia ſeueritatẽque qua apud Iudęos obſeruabantur, attingit. Nonnulli ex his D. Innocentij verbis. *Quid vtique non dubium eſt, in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato, vt traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari.* Confirmare voluerunt Innocentij tempore, Sabbathis myſteria, communioneſque celebratas non fuiſſe, ijſque obſeruandis, Eccleſiam Latinam omni tẽpore abſtinuiſſe. Sed à vero longiſſimè aberrarunt, hęc

Digitized by Google

enim verba D.Innocentij,dies omnes Veneris Sabbathique non complectuntur, ſed de ſanctioris duntaxat hebdomadę diebus intelligenda ſunt,& hęc verba *biduo iſto*, pro ſingularibus tantùm duobus illis diebus, apud D. Innocentium capienda ſunt.

PRIMIS SÆCVLIS TEMPORE ieiunij nemini licuiſſe Euchariſtiam ſumere.

OBSERVATIO XIIII.

PRIMIS ſęculis Chriſtianos, iniecta quadam religione,metuque propoſito,videmus prohibitos tangere, videre, ſumere,atque adeo ſacroſanctum Domini noſtri corpus conſecrare, quo tempore ieiunium celebrarent:propterea planum eſt diebus illis,quibus ieiunia integra exercebãtur, hoc eſt quibus abſtinebant,*vſque ad auctoritatem demorantis ſtellæ*, vt loquitur Tertull. nunquam miſſas celebraſſe, neque Euchariſtiam prębuiſſe manducandam, cõſuetudinemque, ac morem illum miſſas celebrandi, diebus ieiuniorum non vſurpari ſolitum, niſi cùm dimidiato die, non autem pleno, atque integro ieiunium ita obſeruandum iudicarunt.

Quò autem ſolertiùs, probabiliúſque rationes allatę perpendantur, duo fuiſſe ieiuniorum genera ignorandum non eſt, ieiunia integra, & dimidiata: hęc,ſtationes appellabantur, quas curabant diebus Mercurij & Veneris, cùm ad nonam vſque, cibum non ſume-

Digitized by Google

rent: illa autem dicebantur, cùm ad noctem vſque proferebantur. In ieiunijs integris, nec interruptis, rei diuinæ, ceu miſſæ ſacrificio non operabantur, quod ieiunium ad noctem protraherent: idque ex Concilio Laodicenſi cognoſci poteſt, quod quadrageſima offerri ſacrificium vetat, ſi excipias Dominicum diem, & Sabbathi, quia in Græcia totum *quadragintale* tempus ad noctem ieiunantes, prætermiſſis diebus Dominicæ, & Sabbathi tranſigebãt. Canon interponendus 49. *Non oportet in quadrageſima panem offerri, niſi Sabbatho in Dominica tantùm.* Id autem anni conſequentes conteſtantur, qui paulatim (conſeneſcente & intermoriente priſtina illa ſeueritate, quæ tum erat) cùm ſe aliquantulum ad mitiorem diſciplinam deflexiſſent; ſed ita tamen, vt antiquam illam diſciplinæ durioris vim, non omnino imminuerunt, imò veſtigijs eius propiùs inſiſterent, ſemper Miſſę ſacrificij horam, tempuſque, cum ea hora, & tempore quo ieiunium diuidi interrumpique poſſet, coniunxit. Quamobrem quæſo 4. 5. 6. & 7. ſæculis celebratur Miſſa, hora nona, veſperique ieiunij temporibus, niſi quod ſacrificium offerri, neque ſumi Euchariſtia potuit, quandiu ieiunium perſeueranter obſeruabatur.

Quod autem ijs ſæculis Miſſa fieret veſpertino tempore, quibus ieiunium colebatur, non deſunt infinita, & prope innumerabilia, ad id probandum teſtimonia. Paulinus tempore D. Auguſtini.

——Et ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos, tunc ergo ſolutis
Cœtibus, à templo domini.

Digitized by Google

16. Canon Concilij primi Bracarenſis, quod ex eorum imputatione, ac recenſione habitum, & indictum eſt, æra 599. qui eſt annus Domini 561. *Si quis quinta feria paſchali, quæ eſt cæna Domini, hora legitima poſt nonam ieiunus in Eccleſia Miſſas non tenet; ſed ſecundam ſectam Priſcilliani, feſtiuitatem ipſius dici, ab hora tertia per Miſſas, defunctorū ſoluto ieiunio colit, anathema ſit*: 9. & 10. ſecundi Concilij Bracarenſis, *tertio autem die, celebratis hora nona, ſiue decima Miſsis*, Gelaſius, & Gregorius ſecundus decreuerunt, *Sabbathi ieiunio, circa veſperam nouerint celebrandas*, item, veſpere Sabbathi, *nouerint celebrandas.* Micrologus de ecc. ob. ca. 49. *Eſt Eccleſiaſtica conſuetudo, vt ad nonam reficiamur, cùm ad ſextam Miſſam celebramus, ad veſperam autem cùm ad nonam ſacrificamus.* Theodulphus ad Preſbyteros Aurelianenſes de ieiunijs diſſerens, *auditis Miſſarum ſolennibus, ſiue veſpertinis officijs, largitis eleemoſinis ad cibum accedendum eſt*, ſuprà dixerat, *mox, vt ſignum audiunt ad nonam*, & Concilio Gerund. c. 3. *Et in Sabbathi veſpere Miſſa facta finiatur, quibus tamen diebus, à carnibus & vino decreuimus abſtinendum.* Quodam capite Concilij Catalaunenſis ſcriptum, non niſi veſperi ſacro Miſſæ ſacrificio, veſpertiniſque precibus ſolēni religione peractis, ieiunium ſoluendum.

Ex his omnibus quę authoritate temporum nituntur, concludendum omnino, & colligendum eſt, temporibus illis Miſſę ſacrificium peragi ſolitum circa veſperā diebus ieiunij: cuius rei atque facti alia non ſubeſſe cauſa, aut ratio poteſt, quàm quod id inſtitutum ex antiqua diſciplina hauſtum, & delibatum eſſet, quę

contingendi,

Digitized by Google

contingendi, videndi, & adorandi corporis Chriſti copiam non faceret ieiunij tempore, & cùm à primis illis temporibus, quātum fieri poſſet, non diſcreparent, reieciſſe Miſſam in dieb⁹ ieiuniorum cùm adueſperaſceret; quod ad eam tēporis horā ieiunium produxiſſent, & ad noctem protraxiſſent cōtinuaſſentque, non minùs Miſſæ auditione, quàm primis ſæculis caruiſſent.

Quod quò probabilius reddatur quod ſupra dictum eſt, noſtræ huiuſce tempeſtatis, & diſciplinæ ratio ſpectanda maximè: nonne ex illo vetere & antiquo ritu, ad nos quodammodo id tranſlatum dimanauit, vt publica & ſolennia in Eccleſijs cathedralibus precum aut orationum myſteria, non niſi circa meridiem, ieiuniorum diebus peragantur? quod ea maxime hora, ieiunium ſuo quodam termino ac fine definiatur.

Id ex ijs quæ de ſtationibus, & dimidiatis ieiunijs ſuprà commemorata ſunt, planiſſimè probabitur: dies quippe *Mercurij, & Veneris*, qui deſtinati aſſignatique erant ſtationibus, non niſi circa nonam Miſſam celebrari patiebantur: quo tempore ciborum abſtinentia præfiniebatur, teſte Epiphanio in Ancorato, *communiones autem ſiue ſinaxes fieri, ordinatæ ſunt ab Apoſtolo, quarta & pro Sabbatho & Dominica*: & infrà, *cæterùm pro communionibus, quæ quarta, & pro Sabbatho ad horam nonam fiunt, in die Dominica matutinis horis fiunt cōmuniones*. Quæ verba clariſſimè patefaciūt diebus Mercurij, & Veneris, (vti in obſeruatione de ſtationibus docuimus) preces illas ſolennes recitari, & cōmunionē præberi ad nonam tātùm: Dominicis autē diebus, matutinis horis eadem præſtari. Cedo rationem aliquam

Digitized by Google

huiuſcę diſcriminis çeu diuerſitatis diſciplinæ aliam, ab ea quæ à nobis commemorata eſt. Communionem ſcilicet, neque ſacrificium diebus Mercurij & Veneris offerri maturiùs potuiſſe, quàm circa nonam, propter ieiunium. Et quanquam Epiphanius non id ſatis diſertè, & perſpicuè explicat, tamen videtur eam non obſcurè afferre & tangere, cùm eodem in loco dicat, duos illos dies fuiſſe ſtationum ieiunijs præſtitutos. *Quarta verò, & pro Sabbatho ieiuniũ ſtatutum eſt vſque ad horam nonam.* Tertulianus qui ætate & tempore Epiphanium anteibat, ab eo nullo modo diſſentit, ſtationum tempore Miſſam non niſi circa nonam fuiſſe procuratam: increpita namque grauiter, & accuſata quorumdam nimia feſtinatione, libro de oratione, qui è templo Eccleſiaque proſilirent paulò antè alios, ſtationeſque interrumperent: ſumptaque quàm primùm Euchariſtia, necdum peracta recitataque ſacrificij quadam precum orationumque formula, quæ ſupererãt, quæque poſt communionem, & ſacrificium pronunciabãtur: declarat non ſolùm omnes qui in ſtationũ excubijs erãt, exire ſolitos, paulò pòſt cõmunionẽ, & ſacrificiũ; ſed etiam Miſſam eo tẽpore, quo ieiunij & ſtationis modus, finiſq; appetebat, celebrari ſolitam, id eſt, vt ait in libro de ieiunijs, ad horã nonã. Nã cũ ait paucas ſupereſſe preces ſacrificij, quæ eſſẽt à ſacerdote dicẽdę, innuit non lõgiùs à fine & termino ſtationũ, ſacrificiũ fieri ſolitum illis diebus, quàm eæ preces durarent; ſed ea clariùs, in obſeruatione de ſtationibus.

Cæterùm, cùm ex varijs Patrum locis animaduerterent nonnulli, vti ex D. Baſilio Epiſtola ad Corſa-

riam, *nos quater in quaque hebdomada communicamus, Dominica, feria quarta, Paraſceue, Sabbatho; ſed & diebus cæteris, in quos memoria Martyris alicuius incidit.* Et ex Tertulliano libro de Oratione, hiſce ſtationum diebus ſacrificia, & communiones celebrari ſolitas, quod de ieiunio dictum quoque, ſæpius apud antiquos occurrit, nulla in eo peracta fuiſſe myſteria, Chriſtianoſque dum ieiunarent ab Euchariſtia abſtinuiſſe, id de ſolo quadrageſimali ieiunio intelligendum eſſe arbitrati ſunt, verùm egregiè hallucinantur. Nam quamuis quarta, & ſexta feria, quę ſtationum erant dies, Euchariſtia antiquitus ſumeretur, tamen certum eſt eos nunquam ipſiſmet diebus participaſſe corpori dominico, aut ſacrificijs operatos eſſe, niſi hora nona, & cũ ſtationis, & ieiunij exitus immineret, quapropter nuſquam reperient, neque vllo teſte, aut Patrum loco oſtendent religionem illam, qua tempore ieiunij à ſacris & myſterijs abſtinebant, violatam antiquitus fuiſſe. Hic ego cauſam aliam aut rationem lubens audierim, quam quæ à me allata eſt, quamobrem ſtationum tempore non niſi circa nonam Mſſę ſacrificium procuraretur, fuiſſe opinor omnino hanc, quod cùm ieiunium ſibi indixiſſent, eo tempore durante ieiunio, religione quadam, & triſtitia impediti cõſtrictique, non facilè auderent, vellẽtque ad Euchariſtiam accedere. Huius autem antiqui inſtituti ac cõſuetudinis, hæc veluti apud nos impreſſa, conſignataq; ſunt veſtigia, quod die Veneris Sãcto, neque Miſſam dici, neque ſacrificari, neq; quẽquã de Euchariſtia ſumenda cogitamus: cuius rei quidem non alia

Digitized by Google

afferri, aut ſubijci poteſt ratio verior, aut probabilior, quàm quod id ad nos è vetere primorum temporum memoria tranſmiſſum & deportatum eſt, & quia nos, aut ſaltem plerique eodem ipſo die imponimus nobis hanc legem, & cõditionem vitæ indicimus, vt auſtero quodam more ad conſpectum vſque veſpertinarum ſtellarum, aut noctis aduentum ieiunemus: aut quia exiſtimamus illius diei ieiunium ſeuerius ducendum eſſe. Ideo retenta eſt hæc, & quaſi corroborata tempore conſuetudo, vt neque Miſſam dicere neque communicare liceat.

Huius antiqui ritus ſeu moris Zonaras & Balſamõ has rationes proferunt. *Sacrificare Deo feſtiuæ celebritatis eſt, ea verò celebritas hilaritatis atque lætitiæ, at quo pacto mærori quiſpiam ac lacrymis indulgere, idemque ſimul exultare lætitia ac triumphare gaudio queat*, minùs honeſtum, decorumque, & tempori conſentaneum iudicabant, tempore ieiunij celebrare Miſſam, & ſacro ſe Euchariſtiæ pabulo reficere: propterea ieiuniorum tam integrorum, quàm dimidiatorum diebus, quibus ſtationes decernebantur, nemini fas erat vlla ratione Chriſti Domini corpus contrectare, ſiue vt offerretur ſacrificium, ſiue vt ſumeretur Sacramentum.

Quod quò commodiùs quod à Zonara prolatum eſt intelligatur, & quamobrem ieiunium non committeret, vt Euchariſtiæ Sacramentum palam repræſentaretur, aut offerretur: conſiderandũ qua in re antiquorum ieiunium verteretur, hodierno autem die, aut noſtra hac ætate tolerabilia iſta sũt, & apud nos inualuit vt cùm ieiunio ſit, & Euchariſtiæ frequentatio

& vſurpatio. Ieiunium igitur veterum, non in ciborum, aut eduliorum quorumdam abſtinentia, temperantiaque, diminutione, aut mutatione quadam poſitum erat, quemadmodum hoc tempore nos ea acceptione ſumimus, ſed eorum publica ieiunia non alia erant, quàm coïtio, ac veluti coniuratio totius Eccleſiæ contra Deum, vt ita loquar, ſanctè inita: qua communi quodam conflato ac conſpirante conſenſu, ad Eccleſiam ſummo manè omnes confluerent, horrido, inculto, cinereque conſperſo, ſacco ſqualidi, tectique ſe ſe ad Chriſti Domini conſpectum proſternebant, ac omni genere precum, orationum, ieiuniorum armati, manantibus vbertim ex oculis lacrymis, magno cum eiulatu cælum ipſum laceſſantes oppugnabant, *& quaſi manu facta*, vt ait Tertullianus, eò Deum perpellebant adigebantque, ad id quod obnixè peterent concedendum: atque ita dies noctesque, hoc eo ſqualore ſituque prope perditi, ac profligati traducebant: eò pertinent illa Tertulliani, eoque grauiſſimus Author reſpexit, cùm ait, *inuidia cælum tundimus, Deum tangimus*. Hac ratione atque via freti quadam fideles nihil non à cælo extorquebant, ſic vt cælum ipſum ex condicto, atque pacto quodam vltrò quod exigeretur, impensè & prolixè effunderet; hinc tam multa portenta, atque miracula diuinitùs facta produntur, vt ipſi primi Chriſtiani non diffidenter, neque titubanter pollicerentur, ſe è cœlo pluuiam, imbreſque neceſſarios, cùm vellent, & ſalutares expreſſuros: adeo vt Imperatores, fama, atque celebritate harum rerum commemorabilium compulſi, quò

Digitized by Google

ſitis ardentiſſima, qua conficiebantur armatorum hominum copię reſtingueretur, ad id à Deo ſuo poſtulandum beneficium illos inuitarent & ſollicitarent, *quando geniculationibus, & ieiunationibus noſtris*, ait Tertul. *depulſæ non ſunt ſiccitates*, quid quod auertendæ, aut depellendæ peſtis, famis atque belli cauſa, non alio armorum genere ſuffulti Chriſtiani vtebantur. Hi ſunt fletus clamoreſque in cœlum emiſſi conuerſique, quibus venti, procellæ, tempeſtateſque obſecundabant, tam promptè & obedienter, vt ad eorum petitiones, obſecrationeſque exaudiendas omnia quodammodo elementa conſpirarent, hæc ſunt quæ appellabantur antiquorum Ieiunia.

Ideoque cum luctu lacrymiſque quodammodo contabeſcebant: Euchariſtiã locum inter lamentationes, & afflictati corporis cruciatus dare nefas ducebant. Quod Euchariſtiã apud maiores noſtros & quodammodo proſeminatores, iam inde ab Apoſtolis tanto in honore & pretio fuiſſe deprehendimus, vt cùm eius aſpiciendæ, contrectandæ, aut ſacrificandæ facultas daretur, incredibili quodam gaudio primorum Chriſtianorum mentes perfuſæ triumpharent: omnem animi mœrorem, triſtitiamque funditùs deponerent, hæc erat illis fœderis arca, ad cuius iucundiſſimum conſpectum exultantes, ac tripudiantes voces gaudij quo complerentur indices continere non poterant; ſimul inquam atque Euchariſtia oculis obſeruabatur, illico omni dulcedine voluptatis delibuti, ſtantes erecto corporis ſtatu, omnem qui requirebatur cultum, vt lætitiam teſtarentur, præ ſe ferebant, quod

ſe mentis oculis intueri dicerent, Deum illum, quem ſuæ ſalutis vindicem, & aſſertorem, communis & ſempiterni exitij depulſorem, æternæ vitæ, ceu fœlicitatis authorem ac parentem, bonorum omnium fontem inexhauſtum & perennem aſſeuerarent.

Sexcentas prætereo rationes, quas enumerare longum eſſet, quibus adducebantur Chriſtiani, vt ad lætitiam potiùs, quàm ad vllam triſtitiam animum applicarent, cùm ijs Euchariſtiam ipſam aſpicere liberet. Quamobrem mirari deſine, ſi primis illis temporibus, inter illa ſolennia ieiunia Euchariſtiam cernere, pulchrum ſibi & decorum non ducerent. Neque toto illo temporis interuallo, quo ieiunij vis omnium animos, & mentes occuparat, Miſſæ Sacrificium vllum eſſe vellent, neque vllius communionis, ceu cœleſtis pabuli vſuram. Quò pertinet & illud, quod tempora illa quæ à primis propiùs aberant, (vti diximus) non niſi circa veſperam rem diuinam, ceu Sacrum fieri oportere contenderent, eo nomine maximè, quod ad veſpertinum tempus ieiunium proueheretur, hodieque Eccleſiarum Cathedralium diuinum officium, vt ſic loquar, tum tantùm ſolenni religione decantatur cùm ieiunij ceſſatio, finiſque contigerit.

Quod autem hilaritas, & alacritas illa ſumma animorum, quam Chriſtianis ſacræ ſynaxis frequentatio vſurpatioque pariebat, non ferret, neque committeret, vt cum ieiunio Euchariſtia coniungeretur: præter ea quæ ſupra à nobis fusè ſatis ac copiosè tractata ſunt, Tertullianum lo-

Digitized by Google

cuple.em teſtem habemus. Nam cùm graui quodam pondere verborum oppreſſiſſet, & inſimulaſſet eos qui cæteris in æde Sacra, ſeu Eccleſia commorantibus, confeſtim ex ea ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, properanterque egrederentur, exēploque propoſito militarium ſtationum, non eſſe facile, aut omnino quæcunque tandem lætitiæ aut mœroris cauſa, ratioque ſe ſe obtuliſſet, è templo diſcedendum, ſatis clarè, vel etiamnum tacitùs demonſtrat non alia fuiſſe cauſa commotos illos fideles, vt tam feſtinanter ſe ex Eccleſia proriperent, ſtationeſque infringerent, quàm quod tanta lætitia efferrentur poſt Euchariſtiam ore delibatam, hauſtamque, vt indignum planè iudicarent angoribus quos in ſtationibus perferebant, mœſtitiæque ſe dedere: verba huius ſunt, *vtique nulla lætitia ſiue triſtitia obueniens caſtris ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentiùs, triſtitia ſolicitiùs adminiſtrabit diſciplinam:* Et quanquam id tanquam quid inſolens, abſurdumque carpat, non ideo tamen illos ab eo reprehenſos putes, quod poſt Euchariſtiam populo adminiſtratam, tanto gaudio afficerentur, vt geſtu motuque corporis incluſam animo voluptatem indicarent: ſed quod paulò maturiùs exirent, ex Eccleſia, nec tantiſper procraſtinarent, dum precum & orationum formula quædam, quę poſt Euchariſtiam datam fieret, abſolueretur: neque verò id obſtat, quod illo exemplo & ſimilitudine militarium ſtationum, non ſecus de triſtitia, quàm de lætitia verba faciat; vnde quiſpiam ambigere poſſet, non minùs vtrumq; videri, dicique cauſam egreſſus, ſeu diſceſſus illius:
neque

Digitized by Google

neque enim niſi caſu, aut ex accidenti, vt ita dicam, de triſtitia loquitur, quemadmodum verbum illud, *ſiue*, deſignat, poſitaque primũ illa voce, *lætitia*, manifeſtò indicat totam illam ſuæ comparationis vim ex ea voce pendere. Ad hæc idem author lib. de Baptiſmo vocat gaudium quod ex Euchariſtia concipere debent fideles, *neceſſarium gaudium, quid impedit*, inquit, *niſi neceßitas gaudij*, quibus docet non ſolùm Chriſtianos olim ſumma lætitia ex Euchariſtia affectos, verùm etiam eandem obſtare lætitiam quominus à Paſchate ad Pentecoſten ieiunarent.

Verùm ad hæc quæ diximus reſponderi, aut opponi illa poſſunt, contrectatam ab ijs fuiſſe Euchariſtiam, quo tempore ieiunijs conflictarentur, cùm ex Concilio Laodicenſi, & ſexto in Trullo, & ordine Romano Miſſam facerent in *præſanctificatis*, in quadrageſima, & die Veneris, & Sabbathi ſacro. Reſpondeo, primò illis duobus primis ſæculis exiſtimare me non fuiſſe Miſſæ ſacrificium oblatum in *præſanctificatis*. Secundò diminuta, aut magna ex parte ieiunij ſeueritate relaxata, id ſolatij, aut alleuamenti fuiſſe Chriſtianis conceſſum, vt ſaltem ijs Euchariſtiæ videndæ copia fieret, cùm ipſum ieiunium finiendum eſſet. Tertiò longè maximum communionis, & Miſſæ faciendæ in *præſanctificatis* diſcrimen, vel offerendi ſacrificij & conſecrandi, quemadmodum vſu & conſuetudine receptum eſſe videmus.

Digitized by Google

QVÆ FESTORVM DIERVM SOLEMNITAS A PASCHATE AD Pentecoſten interiecta fuerit.

OBSERVATIO XV.

ADmirandam planè, & propè continuam primis illis temporibus, à Paſchate ad Pentecoſten vſque ſolennitatem fuiſſe comperimus, adeo vt Tertullianus confirmet dies omnes feſtos Paganorum, & numero, & dignitate, & illuſtri hilaritatis omnis ſignificatione, nullo negotio ſuperari, ſi eius temporis interpoſiti per ſe religio, celebritaſque ſpectetur: *excerpe ſingulas ſolennitates nationum, & in ordinem retexe, Pentecoſten implere non poterũt.* Eius autem ſolennitatis non leue, aut contemnendum operæpretium fuerit cauſas omnes perueſtigare, quas ad ſolenne Miſſæ ſacrificium, niſi me fallit animus, referendas eſſe cenſeo, quod ſcilicet pari cultu, religione ac ceremonia per totos illos quinquaginta dies, Dominicarum dierum celebritatem æquabat. In eo autem omnis opera, actioque fidelium verſabatur, vt ſumma cum animi voluptate, Chriſti Domini laudes ac præconia fundendis, concinendiſque hymnis, ac canticis, in cœlum efferrẽtur, crebræque per hos quinquaginta dies, ac quotidianæ ſacrę ſinaxes viſerentur, atque vt diebus Dominicis, ita à Paſchate ad Pentecoſten ieiunia Chriſtiani intermitterent, neque in genua procumberent, vt ait Tertull. *nec de geniculis adorare,*

Digitized by Google

eadem immunitate à die Paſchæ, ad Pentecoſten gaudemus; Sed præcipua, ni fallor, eius ſolennitatis & feſtiuitatis ratio fuit, quod toto illo tempore omnes fideles Sacramento Euchariſtiæ reficerentur, quam tanto cultu, ac veneratione proſequebantur, incredibili gaudio colliquefacti, vt diem illum quo ſacro pane veſcebantur, feſtum ſolennemque ducerent. Quinquaginta autem illos dies ſine vllo labore, ac ſeruili opere, cum ſumma ceſſatione (vt apud nos hodieque feſti dies agitantur) ab illis fuiſſe traductos, non eſt credibile, alioqui agnoſci facilè quis potuiſſet Chriſtianus, ſi tandiù operas intermiſiſſent. Ad hæc non pauci Chriſtiani quibus tenues fuiſſent opes, maximum ea operis intermiſſione detrimentum capere potuiſſent. Tertul. lib. de Baptiſmo, ait, hanc quinquaginta dierum ſolennitatem adeo neceſſariam fuiſſe, vt Chriſtianis neceſſe fuerit, tanto dierum interuallo, profuſæ illi lætitiæ & hilaritati, ſed ſine ſcelere ſeſe dedere; cuius rei neceſſitas non aliunde quàm ex Euchariſtiæ perceptione oritur. Illud perinde accipiendum eſt, quod idem author aſſerit, Chriſtianos Dominicis ſolere diebus lætari magnopere, diemque illum ſumma religione recolere, ob id maximè quod ſacræ Euchariſtiæ participes omnes efficerentur. Nam quod ea cauſa afferri poteſt reſurrectionis memoriam repræſentari, non id quidem reijcio, cùm vtraque ratio atque cauſa ad vnam, eandemque rem pertineant. Nam vt Dominicę & quinquaginta illi dies, continua quadam religione traducerentur, præſcripta, deſignataque eo tempore fuit communio, qua fa-

ćta perceptaqueChriſtiani omnes, ad iſtos dies cum Dominico rite & intimo ſenſu pietatis concelebrandos incitabantur, vel eo magis, quodcùm Euchariſtia dici propriè poſſit reſurrećtionis noſtræ pignus, ſementiſque certiſſima, vt memoria huius rei infixa animis Chriſtianorum hæreret, quinquaginta illis Dominiciſque item diebus ſuauiſſimé compellebantur, & cogebantur Chriſtiani ſinguli, Euchariſtiam, quod ea, vti dixi, reſurrećtionis, çeu æternæ vitæ ſpes explorata eſſet, ſumere.

DE STATIONIBVS CHRISTIANORVM.

OBSERVATIO XVI.

QVid ſit Statio, quidue apud antiquos Ecclesiæ ſcriptores, hoc vocabulo ſignificetur, quoue ritu celebraretur, non tam facile eſt explanare, quàm Pamelium qui de ea ſcripſit in notis ad Tertullianum, qui eam à ieiunijs minimè diſcrepare exiſtimat, refellere. Nam ex ipſis locis & verbis Patrum quę ad ſententiam ſuam confirmandam affert, liquidò conſtat magnum inter vtrumque diſcrimen eſſe, vt paulò poſt dicemus: Interea non erit alienum à propoſito eius rationes diſcutere, vt tota res, & controuerſia clarior euadat. Ea potiſſimùm ratione nititur Pamelius, vt Stationes Chriſtianorũ à ieiunijs nihil differre perſuadeat, quod antiquitus moris erat abſtinere à ieiunijs diebus Dominicis, vt probatur ex Tertulliano lib. de Corona militis *die Dominico ieiunium nefas ducimus*, quo die idem author eodem libro,

ait, non licere Chriſtianis ſtationes facere, *iam ſtationes aut alij magis faciet quàm Chriſto, aut & Dominico die, quã-do nec Chriſto*: vndè colligit ieiunium, & ſtationem pro vno eodemque accipi debere, quoniam neutrum diebus dominicis fieret: quæ ſanè ratio parùm firma eſt, quandoquidem nec multæ aliæ ceremoniæ, diebus ſolis haberentur, quibus tamen nihil commune cum ieiunio: quemadmodum *de geniculis Deum adorare*: ait enim idem ipſe Tertulianus, non licere diebus Dominicis de geniculis preces fundere. Meminiſſe debuit atque animaduertere, vnam eãdemque cauſam omnibus his ritibus, qui mœrorem aliquem inferrent, impedimento fuiſſe; hoc eſt, Chriſtianos ieiunij ſimul, & ſtationum, earúmque rerum quæ hilaritatem turbarent, diebus dominicis vſum remiſiſſe: nec tamen indè ſequi ex Tertuliano ieiunium, & ſtationem idem ſonare: cauſa hæc eſt, quòd Chriſtiani diem ſolis tanquam reſurectionis Domini noſtri honoratum, & eius eternæ memoriæ conſecratum, omni alacritate & exultatione celebrarent, vt ex eius Apologetico cap. 16. licet intelligere, *æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgeamus, alia longè ratione quàm religione Solis*: & ex Minutio Fœlice, & Beato Iuſtino: vndè factum eſt, vt Ethnicis perſuaſum eſſet Chriſtianos adorare Solem. Ne itaque lætitiæ atque alacritati publicæ aliquid detraherent, immunes illis diebus agebant ab omni auſteritate, & corporis vexatione, atque adeò ab omnibus auſteris rebus, vt ſunt ieiunium, ſtatio & de geniculis adorare.

Altera Pamelij coniectura hæc eſt, quòd ſtationem

Digitized by Google

nonnulli Patrum ieiunium vocent, vt Hermas, lib. 3. ſimili. v. *Quid eſt*, inquit, *ſtatio? & dixi* ieiuniū? Diuus Ambroſius ſermone 36. *Stationes vocantur ieiunia, quòd ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus.* Rabanus Maurus lib. II. de inſtitutione clericorum, cap. 18. *Ieiunium eſt cuiuslibet diei abſtinentia. Non per legem, ſed ſecundum propriam volontatem: Statio, Obſeruatio ſtatutorum dierum, vt quartæ, & ſextæ feriæ vel quadrageſimæ*: quibus ſibi perſuaſit inter ieiunia & ſtationes, id diſcriminis tantum eſſe, vt illa ex arbitrio, ſtationes verò ex præſcripto Eccleſiæ fierent: ſed facile eſt reſpondere, ſtationes à Patribus propterea vocari ieiunia, quòd durante ſtatione, cúmque in ea Chriſtiani morarentur ieiunarent, vt explicabitur poſtea, ideò fieri vt ſtationem dicant eſſe ieiunium Chriſtianorum: Sed ex multis alijs Patrum locis oſtenditur, eas à ieiunijs differre, vel ſaltem multa in eis fieri, & pręſtari à Chriſtianis præter ieiunia.

Quòd autem ſtationes differant à ieiunijs, verba Tertulliani lib. 2. ad vxorem clarè demonſtrant, *vt ſi ſtatio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas, ſi ieiunia obſeruanda ſunt, Maritus eadē die conuiuium exerceat.* Primùm enim manifeſtò ieiunium à ſtatione diſtinguit, deindè vtrique opponit res diuerſas, ſtationi balneum, ieiunio epulum: denique ſi ſtatio nihil aliud fuiſſet quàm ieiuniū, quid in hæc mulier vtrique ſatisfeciſſet, & ieiunaſſet, & ad balneas iuiſſet? ſed quoniam diebus ſtationum manendum erat in Eccleſia, vſque ad horam nonam, ideò dicit huic mulieri fore vt maritus Ethnicus eam impediat balneis, quò minùs

Digitized by Google

Eccleſijs intereſſe & ſtationes obire poſſit.

Nunc verò quid ſit ſtatio, & quo ritu potiſſimùm expleatur, hoc loco diligentiùs inquirendum eſt, ne cùm aliorum ſententiam refutauerimus, meliorem nō ſubſtituamus: Omnes igitur Chriſtiani prioribus illis ſeculis diebus Mercurij, & Veneris, ſummò manè in Eccleſias conueniebant, ibique ad horam nonam morabantur, & precibus, & rerum diuinarum contemplationibus vacabant, corporaque ieiunijs adgeniculantibus, lachrymis, pœnis, & laboribus exercebát: denique hora nona ſacris peractis, Euchariſtiaque accepta (nam nunquàm à ſtatione niſi ea accepta recedebant) ſtationem ſoluebant, domúmque reuertebantur. Hoc religioſum officium, & moram illam quam in Eccleſia illis diebus ducebant, vocabatur inter eos ſtatio, nomenque ſumpſiſſe videtur à militari ſtatione. Nam quemadmodum excubiæ militum & eorum pro foribus palatij ſtandi, excubandiue functio, ſtatio vocabatur, ita veriſimile eſt Chriſtianos moram illam atque officium illud quod pro tutela Eccleſiæ, atque vt Dei miſericordiam & gratiam ſibi cōciliarent, in Eccleſia vſurpabant, excubias & ſtationem vocaſſe, vt inſinuat Tertul. lib. de oratione, *ſi ſtatio de Militari exemplo nomen accepit.*

Supereſt vt ſingula quæque quæ in eiuſmodi ſtationibus fieri diximus, diſcutiamus & probemus, tum demum liquidò conſtabit, ſtationes ieiunia dumtaxat non eſſe, eoſque qui eas à ieiunio non ſecernunt veteres Eccleſiæ ritus & officia, ob eorum certè eximiam pietatem digna ſtudio, & quæ ab omnibus intelli-

Digitized by Google

gantur, non ſatis explicaſſe & commendaſſe.

Primùm occurrit probandum eos ſummo manè in Eccleſia conueniſſe, quòd ex verbis Plinij ſecundi in Epiſt. ad Traianum colligere licet, qui de Chriſtianorum conuentibus loquens, eos antelucanos vocat: deinde ex his verbis Tertulliani ad vxorem, *ſi ſtatio facienda ſit, Maritus de die condicat ad Balneas:* nam ait Balneis ſtationem eiuſmodi mulieris, quæ Gentili nupta eſſet, impediri poſſe, at verò ait alibi Gentiles non niſi ſummo manè lauari, in Apolo. cap. 42. *Non lauor diluculo*, vt Gentiles ſcilicet, *ſed lauor honeſta hora.* Igitur cùm eadẽ hora, eodem diei tempore, eumdum eſſet ad Balneas, & ad ſtationes, vterenturque balneis tempore matutino, liquidò conſtat incipiendis & conuocandis ſtationibus idem tempus conſtitutum fuiſſe.

Verùm an diuturniores in Eccleſia moras agerent, partemque illam diei à matutina ad nonam integram & ſolidam in eadem Eccleſia conſumerent, ad rem pertinet inquirere, ex huius enim rei illuſtratione quæcumque apud authores de ſtationibus reperiuntur, plana, & perpicua fiunt, neque deſunt argumenta quæ ſuadeant eos à ſtatione, & ab Eccleſia ante nonam non receſſiſſe, functionemque illam tres illas diei partes integras duraſſe: ſi enim ſecundùm ſtationis vocabulum de hac re differendum ſit, quemadmodum de Oratione de corona militis, & aduerſus Pſychicos differit Tertullianus, in ſtationibus & excubijs certum eſt milites diem integrum & ſolidum permanſiſſe: Prçterea ſi ad exempla, quibus eodem libro vtitur, rem deferas, diuturnam aliquam moram, & ſtationem omnia in-

nia inducere videntur. *In Exodo habitus ille Moyſi aduerſus Amalech orationibus prœliantis vſque in occaſum perſeuerans, nonne ſtatio fuit ſera?* Item, *quæ ipſis elementis ſtationem imperauit*, item, *ſtetit ſol medio cœlo.* Item, *inſtantem tandiu in officio, ſtationem etiam ſera longiorem.* Deinde quænam potuiſſet eſſe horum dierum ſolemnitas, aut pietatis officium, niſi in ipſa aſſiſtendi commorandique functione: denique cùm ſtationes eſſent ieiunia, eaque non domi, ſed in Eccleſiis olim trãſacta fuiſſe conſtet, credibile ſit Chriſtianos, ab Eccleſia hiſce ſtationum diebus, ante nonam non receſſiſſe: vnde à vera horum verborum Epiphanij ſententia, *Cæterùm pro ſinaxibus quæ quarta & pro Sabbatho ad horã nonã fiunt, in die Dominica matutinis horis ſynaxes fiũt:* eos aberrare certum eſt, qui pro hac voce *ſynaxis*, conuentus reddunt: exiſtimantque de Euchariſtia illic mentionem non eſſe, ſed de conuentibus Chriſtianorum, quos docet Epiphanij ſummo manè diebus Dominicis, quarta verò & ſexta feria hora nona incœpiſſe. Nã qua ratione id tueri poſſint non video. Si enim pro ſynaxi hoc loco conuentus ſubſtituunt, neceſſe eſt fateantur diebus ſtationum eos ipſos conuentus hora nona inchoatos, cùm hoc ipſo loco dicat Epiphanius ſynaxes, quarta & ſexta fieri hora nona: aliunde verò certiſſimum eſt, vt poſtea probabitur ex Tertulliano, & alijs Patrum locis, Chriſtianos ſtationes, & conuentus quartæ & ſextæ, eadem hora nona diremiſſe, neque vltra hoc tempus productos: quapropter doceant quæſo, quomodo eadem hora eodemque temporis puncto conuentus eiuſmodi potuiſſent, & ce-

Digitized by Google

lebrari & dirimi, & qua ratione Tertulliani & Epiphanii verba quæ inter ſe pugnare videntur, conciliari poſſint: quæ ſi in eodem Epiphanii loco pro ſynaxi, vt vulgaris fert explicatio, communionem & Euchariſtiam ponas, nulla erit inter Epiphanium & alios authores pugnantia, cùm enim acceptâ Euchariſtiâ ſoluerentur Stationes, & conuentus quartæ, & ſextæ feriæ: vna eademque hora nona Chriſtiani poterant communiones facere, id eſt Euchariſtiam ſumere, & à Stationibus recedere. Quapropter retinenda eſt prior explicatio, quam vir ille doctus non mutaſſet, ſi rem ipſam potiùs quàm Caſauboni verba conſideraſſet.

An verò omnes tenerentur aliqua pœna, aut peccato Stationes facere ex verbis Tertulliani aduerſus Pſychicos, quibus eorum rationes proponit, & ſibi obijcit, conſtat id munus vniuſcuiuſque arbitrio permiſſum fuiſſe: *paſsiuè tamen currant, neque ſub lege præcepti*, item, *hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes*.

Quod hiſce Stationum diebus Chriſtiani ieiuniaque ſua ad nonam vſque, & pari menſura cum ſuis precibus continuarent, nullo negotio obtinere poteſt. Nam quæ à Pamelio afferuntur, ſufficerent ad id probandum, ſi alijs careremus argumentis: quorſum enim Hermas, & Diuus Ambroſius ipſas Stationes vocarent ieiunia, ſi Stationum tempore non ieiunaretur? Præterea Tertullianus vocat ieiunia Stationum ſemiieiunia, quod argumento eſt, eos in Stationibus à cibis abſtinuiſſe, quin etiam hæc ver-

Digitized by Google

ba eodem inclinant;*poſſum æquè ſeræ Stationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, vt ieiunemus ad ſerum*: item omnia omninò exempla quæ ex veteri teſtamento profert, vt perſuadeat Stationes ad veſperam, & vltra nonam producendas eſſe: omnia inquam ea exempla de ieiunio mentionem faciunt, & ex ieiuniis, aut ieiunantibus deſumpta ſunt. Quid ſit autem, cur à Tertulliano ieiunia Stationum, dicantur ſemiieiunia, facile eſt concipere, vt enim res ſuas & Montaniſtarum ſententiam, & mores extollat, qui ad veſperam Stationes producebant, eaſque hora nona, vt Orthodoxi, dimittere nolebant, per contemptum vocat ea ieiunia quibus Orthodoxi diebus Stationum ſeſe exercebant ſemiieiunia, quia ea non continuabant vltra horam nonam, qua hora ieiunia, æquè ac ipſas Stationes, dirimebant.

De geniculis eos adoraſſe hiſce Stationum diebus, id eſt in genua prouolutos, non autem ſtantes, preces concepiſſe veriſimile eſt: nam quoties à Deo aliquid impetratum vellent, aut imminentem ab Ethnicis procellam, ac tempeſtatem auertere cuperent, toto corpore iacentes ac cernui, non autem ſtãtes precabantur. Stationes autem fuiſſe luctum publicum, & preſſuram publicam, & eas inſtitutas, vt Dei iram mitigarent, idem ipſe Tertullianus oſtendit in eodem libro de Ieiunijs: quapropter dubium non eſt, quin procumbentes orarent illis diebus: deinde erat apud antiquos & naſcentis Eccleſiæ Chriſtianos, quædam immunitas, & quod-

Digitized by Google

dam genus gaudij de geniculis non adorare, vt ait idem Tertullianus de Corona militis. *Die Dominica nefas ducimus de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus.* Quare cùm hunc morem & precandi habitum, diebus duntaxat lætitiæ vſurparent, contrarium omnino veriſimile eſt, eos vſurpaſſe diebus illis, quibus mœrorem, & ſquallorem ſuum Deo obijciebant. Præterea quoties de ieiunijs loquitur Tertullianus, adgeniculationes adiungit, tanquam ieiunij partem: *quando non geniculationibus, & ieiunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ.* Neque obſtat, quod à ſtando vocabulum illud ſtationis deducitur: nam verbum illud, ſtare, eaque quæ ab eodem deriuantur in pedes ſtare, & manere non ſemper ſignificant, quin imò ſtatio militaris quæ ab eodem verbo nomen accepit, eum vſum ac notionem non habuit, militeſque qui excubabant, quouis modo hanc functionem obire poterant, ita hic ſtatione nihil aliud deſignatur, quàm mora, ac præſentia Chriſtianorum in templis, dum preces, & alia pietatis exercitamenta facerent.

In publicis ieiunijs aut Pœnitentijs lacrymas non cohibuiſſe Chriſtianos ſatis liquet ex Patrum ſcriptis; in his ideo pietatis officijs, & ſtationibus quibus vt cœlum mouerent, & miſericordiam Dei extorquerent, fungebantur, par eſt credere eaſdem eos lacrymas Deo obtuliſſe, & oſtendiſſe. Quid autem præter ea quæ diximus, toto hoc ſtationum tempore, à matutina videlicet ad nonam agerent, quibus-ve

Digitized by Google

operam darent, non alienum erit oſtendere. Primum orationibus vacabant aliquantulum, hoc ex Tertulliano dignoſcitur lib. aduerſus Pſychicos cap. 10. vbi cùm de Stationibus fiat mentio, hęc habentur, *ad horam nonam orationis templum introgreſſi leguntur.* Item, *vbique & omni tempore orandum.* Item, *tertio orantem ſupremæ orationis munere.* Item cap. 11. *Quando & orationes ferè hora nona concludebat de Petri exemplo.* Cæterùm argumenta quę ex veteris Teſtamēti hiſtorijs obtrudit, vt ſeras Stationes ſuas confirmet, penè omnia de precibus & orationibus Danielis, Moyſi, Ioathan, aut aliorum mentionem faciunt. Pſalmos quoque & hymnos in eiuſmodi excubijs & Stationib⁹ Chriſtianos ceciniſſe, ex his verbis Tertulliani confirmatur, quibus de eiſdem Stationibus agens, ait, *Hoc tu pſallere non facilè noſti, niſi quo tempore cum pluribus cœnas* Locus hic obſcurus ſatis, quē vt intelligas opus eſt vt ad authoris ingenium & argutias reſpicias: vult enim dicere Montaniſtas, diebus Stationum non cœnaſſe eadem horâ, qua Orthodoxi cœnabant, ſed eâdem ipſâ Montaniſtas in Eccleſia ſtetiſſe, & pſalmis & orationibus Stationes ſuas continuaſſe. Nam cùm hora nona, ieiunia ſua dirimerent Orthodoxi, & cibos ſtatim ſumerent, Montaniſtæ verò ea continuarent vſque ad veſperam, eadem hora qua hi pſallebant in Eccleſia, & cantabant, *vide quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum.* Eadem inquam Orthodoxi ſimul cœnabant & manducabant, & eumdem pſalmum ad cœnam ſuam recreandam poterant canere: vno verbo arguit Orthodoxos quod illis melius atq;

iucũdius videatur habitare fratres in vnum, in cœna, quàm in Eccleſia, quia hora veſpertina vel ante eam cœnarent diebus Mercurij & Veneris, qua hora ipſi Montaniſtę hunc pſalmum in Eccleſia canerent. Sed quicumque tandem horum verborum ſenſus eſſe poſſit, ex his ſemper elicitur in Stationibus Chriſtianos pſalmos decantaſſe.

Quibus autem diebus Stationes fierent, non eſt ambiguum: nam omnes antiqui ſcriptores Mercurij & Veneris dies, hiſce officijs ſeponunt, Tertullianus, *cur Stationibus quartã, & ſextam Sabbathi dicamus*, item, *cui & quarta Sabbathi, et ſexta plurimum fungimur*, item, *proinde nec Stationum quæ & ipſos ſuos quidem habeãt quartæ feriæ et ſextæ.* Epiphanius in compendio doctrinę Chriſtianę. *Quarta verò et proſabbatho ieiunium ſtatutum eſt vſque ad horam nonam.* Idem aduerſus Aërium, *à quo verò non eſt aſſenſum in omnibus orbis regionibus, quod quarta et proſabbatho ieiunium eſt in Eccleſia decretum*, idem, *deinde verò ſi non de eodem argumento quartarum, et proſabbathorum ijdem Apoſtoli in conſtitutione dixiſſent.* Petrus Alexandrinus, *non reprehendet nos quiſpiam quartam et ſextam feriam obſeruantes, in quibus nobis ieiunare ſecundum traditionem præceptum eſt*: Hos verò dies eiuſmodi Stationibus adſignarat Eccleſia, quia vt eſt in conſtitutionibus Clementis, deliberatum eſt à Iudęis de interficiendo Chriſto, aut vt docet Petrus Alexandrinus, quia *quarta initium de proditione Domini à Iudæis factum eſt, ſexta autem, quod ipſe paſſus ſit pro nobis.* Ex ijſdẽ veterum teſtimonijs, ni conſtaret Stationes vltra nonam non duraſſe, multa ad id probandum

ex Tertulliano afferrem, qui reprehenſus ab Orthodoxis quod ea Montaniſtæ ad veſperam producerent, nititur oſtendere, aduerſus Pſychicos, ſolemniores eas fore, ſi ad noctem producantur, & nona non ſoluantur: Ex Prudentio in Agone Fructuoſi eadem hora finiendis Stationibus notatur.

Ieiunamus, ait, recuſo potum,
Nondum nona diem reſignat hora.

Nam die Veneris, vt in actis eius martyrij legitur, morte & ſanguine ſuo Chriſti nomen & fidem confeſſus eſt: quid ſit cur Stationes nona potiùs quàm ſexta, aut recedente Sole, finirent, Stationumque ieiunia minùs ſeuera, breuioraque eſſent, quàm ea quæ ab Epiſcopis iubebantur, aut ea quę ex more & inſtituto Eccleſiæ, obſeruabantur in Quadrageſima; nihil reperio quod magis ſatisfaciat, quàm quod eiuſmodi muneribus & officiis cupiebant ſibi & Eccleſię Deum placatum reddere, quę cùm eſſent vſitata, & ſæpius in vnaquaque hebdomada vſurparētur, ſatis grauia & oneroſa viſa ſunt, ſi vltra nonam non detinerentur: Alia verò quæ mandabantur ob aliquam Eccleſiæ ſollicitudinem, vt ait Tertullianus, non niſi ob grauem aliquam cauſam mandabantur, ideo in ſerum producebantur.

Cæterùm in hac obſeruatione nihil difficilius occurrit· nihil in his Stationibus plus negotii viris eruditis exhibuit, quàm inueſtigare, qua hora Stationum diebus ſacra, & Euchariſtiæ ſacrificia offerrētur: quaue hora fideles qui iiſdem Stationibus intererant, ipſa communione donarentur: Denique an ipſæ Stationes

ipſius Euchariſtiæ ſumptione finirentur, an verò poſt communionem aliquantulum etiam durarent, ſed quia in alia obſeruatione de ſacrificio & communione dierum ieiunii multa dicentur, hoc loco eadem adſcribere ſuperſedi, ſatiſque viſum eſt de vltima difficultate diſſerere: qui negant Stationes illas antiquas accepto corpore Chriſti ſolutas fuiſſe, hoc vno Tertulliani loco nituntur libri de Oratione: *Similiter de Stationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum Orationibus interueniendum, quod Statio ſoluenda ſit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obſequium Euchariſtia reſoluit, an magis Deo obligat, nonne ſolemnior erit Statio tua, ſi ad aram Dei ſteteris accepto corpore Domini, & reſeruato vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij.* Quib[9] verbis Tertullianus innuere videretur Chriſtianos, poſt acceptam Euchariſtiam in eadem Statione manſiſſe, eamque poſt communionem duraſſe. Cùm enim caſtiget quoſdam, qui ea accepta volebant diſcedere, dicatque orationes ſacrificii ſupereſſe, quibus non intererant qui diſcedebant poſt communionem, ſatis demonſtrare videtur, nequaquam ſolui Stationes ſumptione corporis Chriſti, ſed ſi ſingula quæque horum verborum explicentur, ſeorſimque exponantur, ex his conſtabit Stationes miſſas & ſolutas fuiſſe Euchariſtiæ acceptione: *Sacrificiorum orationibus interueniendum*, hoc loco ſacrificia, aut pro corporis Chriſti ſacrificio, aut pro oblationibus quas fideles peractis ſacris offerebant, accipi poſſunt: Quod de ſacrificiis in plurali locutus ſit, ſenſum ad oblationes torquere non nihil videtur, nihilominus de ſacrificio corporis Chriſti

Chriſti hæc accipienda eſſe ſuadet, quod hæ oblationes diebus Dominicis potiùs, quàm quouis alio die, ex ritu antiquo, & moribus Eccleſiæ, offerrentur, ſed quidquid huius ſit, nemo eſt qui velit eiuſmodi orationes, quæ pro oblationibus, aut poſt ſacrificium Euchariſtiæ fierent in altari, paulò longiores fuiſſe. Nam cùm ex Iuſtino manifeſtum ſit, & ex conſtitutionibus Clementis, atque ex Canone 19. Laodiceni Concilij, fideles acceptâ Euchariſtiâ ſtatim ab Eccleſia receſſiſſe, vel etiam diebus Dominicis Euchariſtiam ſub fine Miſſæ porrigi ſolitam, Tertullianuſque loquatur de orationibus quæ poſt ſacrificium fierent, non eſt quod eas multum duraſſe exiſtimemus.

Quod Statio ſoluenda ſit, multùm intereſt ſcire quorſum hi, quos Tertullianus caſtigat, volebant recedere à Statione, accepto corpore Domini, cuius nulla alia poteſt eſſe cauſa, quàm quod lætitia, quam ex ſumptione Euchariſtiæ conceperant, non patiebatur eos diutiùs in Stationibus, quæ erant preſſura & luctus publicus, remanere: Quam cauſam ipſe Tertullianus indicat his verbis, *nulla lætitia à capite, ergo deuotum Deo obſequium*, id eſt Stationem: *Si ad aram Dei ſteteris*, ſtare, ni fallor, hoc loco ſignificat in pedes ſtare, nam accepta Euchariſtia, non licebat ex eorum inſtitutis, & ex veteri diſciplina, de geniculis orare. Quare cùm eis ſuadeat ſtare ad aram acceptâ Euchariſtiâ, hoc verbum, *ſtare*, ea ſignificatione accipiendum eſſe videtur, quamuis in notis ad hunc de oratione libellum, vocem illam non ita acceperim.

Digitized by Google

Accepto corpore Domini & reſeruato olim in manus cuiuſque fidelium, Euchariſtia à Diacono tradebatur, eamque poſtea manducabant: Tertullianus igitur his verbis docet, qua ratione fideles poſſint vtrique ſatisfacere, id eſt, qua ratione poſſint remanere in Eccleſia, & intereſſe precibus ſacrificiorum, Stationeſque vſq; ad exitum producere, & nihilominus poſſint ſaluam facere conſuetudinem illam, qua viſo aut accepto corpore Chriſti, in omnem lętitiam ſe ſe effundebant. Hi enim quos redarguit, non videbant ſe poſſe triſtes, & alacres ſimul vuſtus ſumere: Quapropter potiùs ducebant, Euchariſtiæ reddere, quod ex veteri Religione illi deberi ſciebant, & à Statione ſtatim diſcedere eâ acceptâ, & eiuſmodi excubias mœroris & triſtitiæ plenas diſrumpere, vt lætitię indulgerent, quàm in ijſdem Stationibus remanere. Quibus hanc viam aperit Tertullianus, & modum quo poterunt officio & ſacrificio ſatisfacere, id eſt, quo poterunt Stationes integras facere, & nihil detrahere ex lætitia quæ Euchariſtiæ debebatur: ſi nimirum tantiſper reſeruent in manibus ſuis Euchariſtiam, eamque non manducent, quin hæ exiguæ orationes, quæ poſt ſacrificium, atque vt id Deo commendarent, habebantur, dictæ eſſent: Is eſt, ni fallor, horum ſenſus, neque alium fingere quiſquam poterit, qui ad ritus Eccleſiæ antiquæ reſpexerit.

Ex his igitur licet colligere, eos Stationes ſuas ſumptione corporis Chriſti finijſſe, neque quidquam in contrarium ab illo authore dictum, nam cùm vtrumq; ſaluum vult fieri, id eſt Stationes, & lętitię publicę

conſuetudinem, ſatis demonſtrat communionem cum Stationibus conſiſtere nequaquam poſſe, eaſque finiendas eſſe Euchariſtiæ manducatione.

Quæ de beato Fructuoſo martyre leguntur ad idem comprobandum, & quod Stationes Euchariſtiæ ſumptione & manducatione ſoluerentur, ſi integrè incorruptèque explicentur, magnopere conferunt. *Cumque multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum, vti permixtum poculum ſumerent, ait, nondum eſt hora ſoluendi ieiunij, agebatur enim hora diei quarta, ſiquidem in carcere quarta feria Stationem ſolemniter celebrauerunt. Igitur ſexta feria lætus atque ſecurus feſtinabat, vti cum martyribus & prophetis in Paradiſo, quem Dominus præparauit amantibus ſe, perſolueret Stationem.* Ex his vt ſenſum aliquem qui ad propoſitum faciat, eliciamus, ſingula quæque ſunt conſideranda. Primùm, non aliam eum ob cauſam poculum recuſaſſe certum eſt, niſi quod Stationis erat dies, eiuſque ſoluendę nondum adeſſet hora, nam quarta ad ſupplicium ducebatur, vt ex Prudentio apparet.

Quoſdam de populo vidit ſacerdos,
Libandum ſibi poculum offerentes.
Ieiunamus, inquit, recuſo potum,
Nondum nona diem reſoluit hora,
Nunquam conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſoluet.

Nam per ieiunium, ius dicatum, & ſacrum, Statio intelligēda eſt, cuius erat dies & tempus, cùm hęc verba penè moriens proferebat: ſed hęc in eius vita obſcura videntur, *ſiquidem in carcere quarta feria Stationem*

ſolemniter celebrauerunt. Nam quę ratio hac die poculum aſpernandi potuit eſſe, quod quarta feria Stationem perſoluiſſet? nonne potuit de illo poculo deguſtare, & illud ebibere, quamuis quarta feria ieiunium & Stationem præſtaſſet? niſi quod Stationem, & excubias ſuas, piamque illam erga Deum functionem perfectã & integram, & ſatis ritè ea ſeſe defunctos eſſe non exiſtimarent, ni duobus illis diebus eiſdem officijs vacarent, atque de ratione Stationis eſſet, vtroſque diei quartæ, & ſextæ feriæ in eiuſmodi officijs conſumere. Quapropter cùm Stationem & officium illud quartâ exorſus eſſet, ne ſextâ illud corrumperet, à poculo abſtinuit, & hoc verbum, *igitur*, hanc notionem & explicationem offerre videtur, nam refertur ad ea quę antè leguntur: & innuit & ſignificat Fructuosũ non minùs Stationẽ eo ipſo die ſe velle facere, quam die Mercurij.

Præterea verbum illud, *ſolemniter*, alicuius eſt momenti in hac hiſtoria, nam vix reperies quemquam antiquitus eo vſum eſſe, niſi ad Euchariſtiam ſignificandam. Quare hoc loco ſignificat, Fructuoſum quartâ Stationem ſuam ſolemnem Euchariſtię ſumptione feciſſe: His itaque explicatis ſæpiùs mecũ ipſe cogitaui, quæ vis huiuſce ſermónis, quænam in eo poſſet eſſe gratia, qua denique ratione in Paradiſo potuerit beatus ille martyr Stationem ſuam, quam hic inter humanos inchoaret, perficere & perſoluere: verùm hanc tandem eſſe reperi, quod quemadmodú die mercurij, Stationem ſuam vſu & manducatione Euchariſtiæ expleuerat, & ſoléniter perfecerat, ita illius diei Stationẽ ſperare ſe poſſe in cęlis terminare, & implere eiuſdem

Digitized by Google

corporis fruitione, ſed nudi, aperti, & omni ſpecie & velo purgati: quamobrem autẽ haſce Stationes inſtituerant, non alia commodior ratio apparet, quàm eos has excubias & officia pietatis, & mœroris plena vſurpaſſe, vt Deum eiuſque iram demulcerent: vti enim videmus oborta aliqua noua perſecutione, ad ieiunia, preces, lacrymas, & adgeniculationes ſolitos olim Chriſtianos confugere, ita veriſimile eſt primis illis ſeculis quibus miſerijs, & perſecutionibus vndique, & quaſi perpetuis ſtiparentur, has functiones, & pia officia inſtituiſſe, vt peccata ſua expiarent, Deumque Eccleſiæ, & fidelibus pacatiorem redderent.

Vt nihil in hac obſeruatione deſideretur, nihilque relinquatur quod non illuſtratum ſit, animaduertendum eſt haſce Stationes à die Reſurectionis ad Pentecoſtes remiſſas fuiſſe: nam quemadmodum omnia omnino ieiunia, vigiliæ, & alia eiuſmodi officia toto hoc tempore remitterentur, ita Stationes eodem tempore non habebantur, & ſi in eoſdem dies veneris, & mercurij Natiuitatis Chriſti dies, & ſolemnitas incidiſſet, Statio quoque quæ eodem die erat facienda, differebatur, Epiphanius. *Inſuper verò in quinquaginta diebus Pentecoſtes, de quibus dixi, non eſt ieiunium, neque in die Epiphaniarum, hoc eſt apparitionis, & aduentus quando natus eſt in carne Dominus, ieiunare licet etiamſi contingat vt ſit quarta aut pro-Sabbathum.* In fine huiuſce obſeruationis duo ſunt explicandi Tertulliani loci, qui ad Stationes pertinent. Primus de corona militis: *iam & Stationes aut alij magis faciet quàm Chriſto?* Quibus ait, ſi Chriſtianus miles fiat, fore vt Stationes magis faciat impe-

Digitized by Google

ratori, quàm Chriſto, quia cùm Stationes Chriſtianorum nona finirentur, militiæ verò excubiæ noctem diemque integrum, & ſolidum durarent, Stationes Chriſtianus miles maiores faceret imperatori, quàm Chriſto. Secundus à viris doctiſſimis obſcuriſſimus videtur, is legitur in capite decimo quarto libri aduerſus Pſychicos: *Cur Stationibus quartam & ſextam Sabbathi dicamus, & ieiuniſs Paraſceues*: cùm enim ieiunia Stationum vltra nonam non producerentur, ieiunia verò integra ad noctem vſque obſeruarentur, quomodo fieri poteſt, vt eoſdē dies Veneris Stationibus ſimul & ieiuniis dicatos eſſe dicat Tertullianus? Bonus noſter Pamelius, vt ex hac difficultate ſeſe explicet, ait *Paraſceues*, hoc loco accipi debere pro Sabbatho, quo nihil à mente Tertulliani magis alienum fingi potuit, vt rectè monet Dionyſius Petauius in ſuis ad Epiphanium notis. Alij exiſtimant rem ita illuſtrari, & componi poſſe, nimirum vt quarta, & ſexta feria Stationes fierent, ambæque ad nonam vſque producerentur, ſed feria quarta ſtatim poſt Stationis exitum, horamque nonam ieiunium ſoluere licitum eſſet, ſexta verò feria, expleto Stationis tempore, non ſtatim fas fuiſſe cibis vti, ſed ad veſperam tantùm: vnde feria quarta ſemiieiunium, vt Tertullianus vocat, obſeruatum eſt, ſexta ieiunium integrum: ſed hæc explicatio non magis conſentanea videtur hiſce Stationum ritibus: nam omnes conſtanter affirmant Stationes, & ieiunia Stationum, ſolui poſſe hora nona, quare nulla authoritate, aut ratione hanc explicationem defendere poſſunt. Præterea, cùm tota quæſtio, & controuerſia,

quæ hoc loco inter Orthodoxos, & Montanum agitatur, in eo potiſſimùm verſetur, quo tempore, & hora ſoluendum ſit Stationum ieiunium, & abſtinentia, & hi ad veſperam, illi non vltra nonam cenſerent eam eſſe obſeruandam, ſi vera & legitima ea eſſet explicatio, quæ inter eos potuiſſet eſſe diſſentio? aut quamobrem quæſo Tertullianus, cuius acre ingenium nihil potuit effugere, mirum ſibi videri non clamaſſet in hoc libello, quòd Orthodoxi ſeras Montaniſtarum Stationes culparent, & reprehenderent, cùm ipſis diebus veneris ſuas, vel ſaltem earum ieiunia ad noctem continuarent? vnde planum fit hanc vocem, *Paraſceue*, non eſſe de ſingulis alijs diebus veneris, accipiendam.

Ego verò exiſtimo hoc loco *Paraſceue*, poni à Tertulliano pro diebus maioris hebdomadæ, quibus ieiunium ſtrictiùs multò, quàm tota Quadrageſima obſeruabatur, & id facile eſt credere ex eius loquendi more; vt enim Paſchatis voce, non ſolùm ad diem Paſchæ, ſed etiam vt totos illos dies ſeptimanæ ſanctæ ſignificet, vtitur ad vxorem lib. 2. *Quis denique ſolemnibus Paſchæ abnoctantem*, ſecurus ſuſtinebit, aliquando etiam pro paſſione Domini, & die veneris eandem ipſam vocem vſurpat: vti libro aduerſus Iudæos, ita etiam hac voce Paraſceue, eum vſum eſſe fas eſt credere, vt dies eiuſdē ſeptimanæ indicaret, præſertim, cùm præparatio quædam ea ſignificetur, & totam illam hebdomadam ieiunijs, & orationibus conſecrarent, vt gratioſiores reſurrectionis Chriſti memoriam, & diem celebrarent; qui ſenſus, & ſignificatio ſi admittatur

Digitized by Google

nihil in hoc loco ſupererit difficultatis,nam in illa maiori hebdomada Stationes non fiebant ordinariæ,quia ſeueriùs erat ieiunandum,ideo dicit Eccleſiam dicaſſe quartam, & ſextam feriam Stationibus,dies verò illius hebdomadæ ieiunijs.

AB OSCVLO PACIS ABSTINEBANT Diebus Ieiunij.

OBSERVATIO XVII.

MORIS erat apud Chriſtianos primis illis, temporibus oſculo ſe ſe inuicem ſalutare,quod genus officij non ſolùm certo quodam, & præſtituto Miſſæ tempore, verùm etiam domi intra priuatos parietes, ſed & in vicis vſurpabant: à qua tamen conſuetudine abſtinebant diebus illis,quibus indictum, & promulgatum eſſet plenum, atque integrum ieiunium,quemadmodum de die veneris magnæ Septimanæ teſtatur Tertullianus lib. de Oratione his verbis.Sic & die Paſchæ,quo communis & quaſi publica ieiunij religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cùm omnibus faciamus, idem etiam colligitur ex ordine Romano, & alijs ſcriptoribus de Diuinis Officijs, qui omnes planè, & apertè declarant, die veneris ſancti & Sabbati proximè inſequentis, à pronuntiatione illorum verborum, *Pax Domini*, abſtinuiſſe Eccleſiam, quod dicatur inter fideles, oſculum eſſe illo tempore

inter-

Digitized by Google

intermiſſum.

Cuius quidem conſuetudinis non ſum neſcius à Patribus vnam præſertim afferri rationem, quod Iudæ oſculum refugeret, & execraretur Eccleſia, memoriamque radicitus ex animis hominum euelli cùm vellet, propterea illis diebus Oſculi intermiſſionem fuiſſe factam: ſed illius moris aliæ atquæ aliæ rationes proponi poſſunt, quarum nonnullæ concionibus ad populum inſeruntur: aliæ omnino veræ, & quæ intimam rei naturam, eiuſque conſuetudinis cauſam germanam indicant, qualis illa eſt quam Tertullia. eodem in loco profert, non fuiſſe oſculum vſurpatum, quod publicum populo ieiunium, die Veneris ſancto celebrandum indiceretur: vnde videns ieiunium in cauſa fuiſſe, cur die Veneris ſancto, oſculo parcerent Chriſtiani. Qui autem errorem illorum quem Tertullianus carpit, perpenderit accuratiùs, (nolebant quippe aliqui, quibus diebus ſua ſponte, non alio quodam Eccleſiæ præcepto coactè ieiunabant, oſculari fideles) itemque rationes eiuſdem auctoris, quas contra obijcit, diſcuſſerit, ſimul & quod dico probabit, & Tertullianum verum ſcopum attigiſſe nõ negabit, videlicet huius conſuetudinis cauſam, & rationem attigiſſe: ait enim ab imitatione quadam illius conſuetudinis publicæ, errorem hunc deriuatum, & quod illam cõmunem ſeu popularem cõſuetudinem æmulari vellẽt, iſtos quoſdam particulares homines, ieiuniorum voluntariorum tempore, noluiſſe oſculo quodam ſuos fratres ſalutare, qua ex re concludas oportet, Eccleſiæ conſuetudinem hoc vno quaſi fundamento ieiuniorũ

Digitized by Google

nixam fuiſſe: quandoquidem qui illum morem quodammodo adumbrabant; ab Oſculo Pacis cum priuatis ſe ſe ieiunijs exercerent, caput auerterent, & verbum hoc, conſuetudini domi ſatisfaciẽt, referri aut traduci debet ad Eccleſiæ conſuetudinem generalem: non autem ad priuatum quoddam eorum inſtitutum quos reprehendit, intelligique vult, cùm priuatis in ædibus amicos ſuos & domeſticos ieiuniorum, quæ ſibi imperaſſent, diebus, non oſculo impreſſo ſalutarent, communi Eccleſiæ cõſuetudini ſatisfeciſſe: indeque planũ fieri à ieiunio id profectum, vt cùm ieiunij tempus obtigiſſet, intermiſſio oſculi conſequeretur.

Supereſt, vt rationes ſuggerentur: cur ieiuniorum integrorum temporibus Oſculum Pacis exluderetur, neque enim quo huius antiquæ diſciplinæ ratio penitus cognoſcatur, ſatis fuerit dicere, die Veneris ſancto, oſculum quodammodo vetitum, quod ieiunium eo die non interruptum, ſed integrum eſſe: Sed præterea demonſtrandum eſt, cur diebus ieiuniorum integrorum minus honeſtum decorumque oſculum putaretur, qua de re obſcurè neque ſatis planè, & perſpicuè Patres loquuntur: neque quid ſentiendum ſit, niſi coniectura aſſequi potes, cuius quidem coniecturæ ratio ſola, non ea eſt meo iudicio, oſculum lætitiæ & gaudij publici teſtimonium quoddam, & indicium fuiſſe certiſſimum: quod animi lætantis, & geſtientis argumentum die ieiunij præſertim in lucem quodammodo proferre nefas ducerent, ſed hoc vnum verè, appoſitè, & propriè dici poteſt, cùm ieiunia illa integra inducerentur primis illis temporibus, neque ſacrificij,

neque communionis vſum vllum extitiſſe: ex eoque conſectarium illud, nullum vt oſculum multas ob cauſas libaretur: primò, cùm neque ſacrificij, neque communionis vlla mentio fieret: neque Miſſa, neque ſacrificium vllum ſolemne vſurparetur, oſculum ideo fuiſſe quaſi neglectum, & omiſſum: ſecundò, prætermiſſo Miſſæ ſacrificio, ſacerdotem pacem domini populo non impertiri conſueuiſſe: propterea Chriſtianos nó mutuò inter ſe circumlato oſculo vſos fuiſſe: Tertiò verba illa ſancti Chryſoſtomi afferri poſſunt, homilia de proditione Iudę: *Sanctũ oſculum teneamus, quod animas ſociat, reconciliat mentes, & vnum corpus oſtendit, quia vnum corpus videmur eſſe ſortiti, & ideo miſceamus nos in corpore vno, non in corporum mixtione, ſed animorum charitate deuincti, vt ſic diuinæ menſæ poſſimus fructibus ſatiari.* Oſculum inſtar pignoris ac Symboli communionis, ac propè fœderis omnium Chriſtianorum in vno eodemque corpore, ſumpta ad cibum Euchariſtia, præbebatur: eamque ob cauſam, quibus diebus à Chriſti corpore ſumendo abſtinerent, eius Symboli intermiſſio fiebat, adde, quod oſculum ante Euchariſtiæ ſacram communionem, ſeu participationem porrigebatur, vt ante Chriſtianorum inter ſe concordia, ac reconciliatio gratiæ iniretur, quam Deo, illi, ſuo paſcerentur, quo ſi non reficiebantur, reconciliationis eius omnino nulla componendę memorię refricabatur: Ad extremum Tertullianus, Oſculo Pacis in partem meriti, & gratię, quæ tempore Miſſę ſacrificii comparabatur, vnumquemque à fratribus

cooptari, & aſciſci: cuius ſacrificij ceſſatione eius quoque fruendi cauſa nulla erat, vt ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace tranſigere fratri: vno verbo, vt paucis perſtringam, quid aliud his verbis innuit, quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur, quàm oſculum dari omnino conſueuiſſe, propter ſacrificium. Sed obijcitur Diuus Ambroſius ſermone 34. cuius expreſſa ſunt verba, quæ confirment, etiam in Quadrageſimis ieiuniis oſculum datum eſſe, quemadmodum pacem Epiſcopo porrigentis, ne fortè ipſo ſpiritu oſculi veſtri vos reprobet: poſſunt & ſtationum dies proferri, quibus, & ſi hora tantùm tertia pomeridiana ieiunium ſolueretur: Pacis tamē Oſculum intercederet: ſed reſpondeo, vera illa eſſe, tantúmque à nobis aſſeri ieiuniorum integrorum diebus oſculum vetitum: ieiunijs, inquam, ijs, quæ ſub veſperam tantùm ſoluerentur: quibus quia ſacrum, nullumque ſacrificium offerebatur, ita etiam nullum Pacis Oſculum interponeretur: ſicuti neque feria ſexta maioris hebdomadæ, Sabbatoque ſancto, extraordinarijſque ieiuniis, quæ grauiori aliqua de cauſa ab Eccleſia imperarentur. Sed quibus diebus ad nonam tantùm, aut etiam ad meridiem ieiunium protrahebatur cùm in iis etiam ſacrum fieret, Oſculum etiam porrigebatur. Quare cùm in Quadrageſimæ Stationumque diebus, primùm hora tertia pomeridiana, & deinde remittente ſe nonnihil ſeniore diſciplina, meridie ſacrū procuraretur, Oſculi etiam erat conceſſa vſurpatio, atque eam eſſe cauſam

Digitized by Google

illius conſuetudinis arbitror,non autem in Iudæ oſculum quaſi deteſtandum referendam: ſed enim tantùm in feriam ſextam ſanctioris hebdomadæ: non item in Sabbathum ſanctum cadere poteſt. Deinde conſtat ex Tertulliano, eos qui lubenter & extraordinariè quocunque anni die ieiunarent, voluiſſe etiam Oſculo parcere, imitantes in quo quidem,ſed malè Eccleſiam, quæ integris ieiunijs Oſculo interdiceret.

Addendum item ceſſari ab Oſculo in ſacrificijs, & ſacris quæ pro mortuis offeruntur, quod vt author eſt Almainus lib. 3. cap. 44. ea Chriſti mortem referant & repræſentent:diebus autem qui ei recolendæ celebrandæque conſecrati ſunt, cùm nullum ſit Oſculum, neque in ſacris quæ pro mortuis offeruntur eſſe debet. Sed cùm omiſſi in morte Chriſti recolenda Oſculi, cauſam in Iudæ proditoris Oſculum referat: non video quî conuenire mortuorum ſacris poſſit. Exiſtimo itaque probabilius eſſe, ideo in mortuorum ſacris oſculum non perſolutum eſſe, quod olim priuata eſſent illa ſacra, non autem ſolemnia, hoc eſt non eſſent inſtituta,vt in eis publicè fideles omnes communicarent, perinde atque Dominicis, feſtiſque diebus fieret, ſed autem apparet ex Canone 4. Concilij 2. Vaſenſis, vbi diſcrimen ponitur inter ſolemnia, mortuorumque ſacra. Itaque cùm in ijs ſacris non communicaretur, nullum etiam Oſculum dabatur, quod quidem ſymbolum quoddam, & argumentum erat communionis fidelium, eoque tantùm nomine permittebatur, vt ad communionem fideles præpararentur, & ad mutuam beneuolentiam excitarentur. Eadem ratio facit pro

Digitized by Google

Monachorum ſacris, in quibus pariter oſculo parcebatur, non quidem, vt nonnulli authores de diuinis officiis volunt, quod mortui mundo cenſerentur, quaſi mortuos inter & viuos nulla intercederet communio: & cum ijs communicandum non eſſet, qui vno eodemque cum viuis Eccleſiæ corpore cõprehenduntur: quare ſi cum mortuis communicandum eſt, non eſt in eorum ſacris prohibendum oſculum: quandoquidem communionis ſignum eſt, coarguitque & conuincit Chriſtianos, vt ſimul oſculo coniunguntur, ita & eodem Eccleſiæ corpore ſimul omnes conſociari. Vera igitur ac germana ratio inde reſumenda eſt, quod Monachorum Miſſæ, ſacrificia priuata eſſẽt, & in iis nulla generalis communio fieret, quare oſculum quod ad ſolas pertinebat generales cõmuniones, omittebatur. Huc accidit raro admodum Monachos Euchariſtiam percepiſſe, quod laici eſſent, perpetuoque pœnitentiæ, & aſperitatibus vitæ conficerentur, quo in ſtatu, ſeu tempore vix ad Euchariſtiam participandam, ac nec vix quidem accedere ſolerent.

Digitized by Google

DE AGAPIS.

OBSERVATIO XVIII.

COnducit ad intelligentiam Patrum, & ad defenſionem doctrinę, fideique Eccleſię planum fieri, quid eſſent Agapæ, doce- rique in illis nullam fuiſſe Euchariſtiæ mentionem: nec ibi ſumi omninò aut conſecrari ſolitam, nam inde aduerſarii argumenta in nos depromunt, & propè eſt vt dicant, minimè probabile videri, Chriſtianos ſuſcepturos fuiſſe Euchariſtiam inter conuiuia, ſi præſens corpus Chriſti, reque ipſa ineſſe arbitrari eſſent, etiam poſt epulas, & vbi ſe alijs cibis ſaturaſſent. *In conuiuijs Chriſtianorum*, inquit Pleſſęus lib. 1. c. 3. *panis & vinum apponebantur, vt eis benediceretur, de quibus epulis loquitur Tertullianus in Apologetico his verbis, cæna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt.*

Diebus igitur Dominicis cœnas celebrabant, quas Agapas vocabant, quibus omnes intererant, & in priuatam aliquam domum conueniebatur, vbi poſt fuſas ad Deum preces ſimul cœnabant, cœnati manus abluebant, candelas cereoſque accendi iubebant, Deum precabantur, precibus functi, ſcripturam ſacram legebant, quo peracto, præſes vnum aliquem è cœtu, de fide ſua interrogabat, mox inter ſe omnes de rebus diuinis ſermones ſerebant, pecunias aliquas colligebant in alimenta viduarum, inopum, & pupillorum, naufragorum, atque martyrum, tum de dormi-

Digitized by Google

tione cogitabant, at de Euchariſtia ibi nullum verbum; id quod perſpicuè demonſtratur his rationibus, quod Agapæ cœna erat, quæ fiebat tantùm veſperi. Tertullianus in Apologetico c. 34. *Ita ſaturantur*, (de Agapis videlicet loquens) *vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe.* Niſi nocti proximum fuiſſet hoc conuiuium, non vtique dixiſſet, eos meminiſſe dandam de nocte operam orationi. Quæ mox ſequuntur, idem etiam oſtendunt: *Inde diſceditur, non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum.* Hæc de die fieri non ſolent, ſed ſunt nocturnæ ebriorum, ac temulentorum graſſationes, obuios quoſque pulſantium, & cædētium. De corona militis de Agapis fortè loquens, *ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia.* Quamuis autem reſponderi poſſit, candelas poſt cœnam non in vſum luminis, ſed ob preces accendi ſolitas, tamen inde quoque colligitur nocturnum tempus fuiſſe. Nam & Gentiles eis exprobrabant, quod candelas extinguerent, vt ſublata verecundia quamlibet impietatem committerent.

Supereſt etiam, vt elucidemus eos non niſi mane ſumpſiſſe Euchariſtiam, & ante omnem etiam cibum; quo probato, lectori diiudicandum relinquam, an cùm Agape non niſi veſperi fieret, Euchariſtia non niſi manè ſumeretur, hæc duo vnquam concurrere potuerint? Libro ad vxorem: *non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes.* Sumebant igitur Euchariſtiam manè, & ante omnem cibum. Libro de corona militis, *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & in omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus,*

Digitized by Google

tibus, nec de aliorum manu, quàm Præſidentium ſumimus. Quibus verbis apparet eos non niſi manè ſumpſiſſe Euchariſtiam. Etenim quamuis Dominus noſter eam celebraſſet, ac ſumpſiſſet inter cœnandum, tamen ſic ab Eccleſia inſtitutum fuiſſe, ne alio quàm matutino tempore, atque ante alia eſculenta ſumeretur. Mitto alios Patrum locos qui idem aſſerunt, contentus authoris noſtri teſtimonijs, libro contra Pſychicos, videtur hunc morem tetigiſſe in hunc modum, *quales nos ante pabulum, & potum, in virgine adhuc ſaliua exhibere conſueuit, rebus dumtaxat ſenſim agendis, quo diuina tractantur:* & Plinius ſecundus in epiſtola ad Traianum, docet Chriſtianos ſtato die ante lucem conueniſſe, vt ſua ſacra facerent, atque eadem epiſtola, rurſus omnes coijſſe ad cibum capiendum, vbi vtriuſque Euchariſtię, & cœnę capiendæ tempus diuerſum fuiſſe oſtendit.

Cùm ergo in Agapis nuſquam celebraretur Euchariſtia, magnopere falluntur aduerſarij, qui in cæremonijs Agaparum formam celebrandæ Miſſæ præſcribere intendunt, & quod illarum eſt, huic attribuunt; videlicet quia in Agapis familiariter inter ſe verſarentur, edêrent, biberent, pani & vino atque cibis tantummodo benedicerent, lingua vernacula loquerentur, viri, fœminæ, puerique promiſcuè pſalmos canerent, miniſtrique habitu conſueto degerent. Hęc & alia eiuſmodi vbi comperere aduerſarij, ceu validis freti argumentis, ad Miſſam omnia eadem transferunt. Quod quid aliud eſt, quàm non diſcernere vnum ab altero, & imperitè Agapas cum Euchariſtia cōfundere.

Digitized by Google

Sed obijci poteſt, vnde igitur enata opinio inter Gentiles in eiuſmodi Agapis, Chriſtianos comediſſe infantem. Nunquid ex eo quod celebrarent, aut comederent Euchariſtiam in illis cœnis? quæ cùm verè caro eſſet, ac pro Domini noſtri corpore ſumeretur, Chriſtianis crimini datum eſt, quaſi carnem humanam manderent. Reſpondeo confictum eſſe hoc crimen, & inſimulatos eius rei Chriſtianos, iam inde à Tiberio, hoc eſt ab Apoſtolis, vt docet Tertullianus in Apologetico; nam loquitur de hoc ipſo crimine quod Chriſtianis intentabatur, quod à temporibus Tiberij commentos ait, ſiue Iudæos, ſiue quoſuis alios religionis Chriſtianæ ignaros.

Atqui non inficias ierim, tempore Apoſtolorum, Agapas fortè factas eſſe cum celebratione Euchariſtiæ, quod non prohibet, quin Euchariſtia huic impoſturæ colorem, ac locum dederit; vel quod Gentiles ſacrorum ignari, Miſſam, & ſolemnia cum Agapis confunderent.

Alia ratio admittenda videtur: ſi Euchariſtia data eſſet in Agapis, vtique potiùs à cœna, quàm antè dari conueniſſet: quoniam vt ait Tertullianus, tunc preces funderentur, cerei accenderentur, pſalmi cantarentur, Scriptura ſacra exponeretur. Quinetiam volunt aduerſarij has preces, & pietatis exercitamenta, quæ Tertullianus poſt cœnam commemorat, omnino pertinere ad Euchariſtiam: atqui abſurdùm eſt credere, contra teſtimonium Tertulliani, eos poſt conuiuium Euchariſtiam ſuſcepiſſe, ſcilicet poſtquam ſe alijs cibis ingurgitaſſent.

Digitized by Google

Cæterùm, in eiuſmodi conuiuijs nulli prorſus præter fideles admittebantur: nam neque Catechumeni, neque pœnitentes accumbebant; propterea quod ius communicationis & fraternitatis, aut amiſerant, aut nondum eſſent conſecuti.

An verò eiuſmodi conuiuia à Philone deſcribantur, vt ait Diuus Hieronymus, non crediderim facilè, quoniam negat in eis & ſeruos miniſtraſſe, & vinum apponi ſolitum: vtrumque tamen ex Euſebio & Tertulliano probatur. Euſebius libro 4. ex epiſtola Lugdunenſium, & Viennenſium: *Accidit autem etiam ſeruos comprehendi quorumdam ex noſtris Paganos, quoniam quidem publicè iuſſum fuerat requiri omnes & teneri. Quique dæmonis inſtinctu, cùm tormenta pertimeſcerent, quæ inferri ſanctis videbant, monentibus ſe hoc in ipſum militibus, quibus ita fuerat præceptum, commenti ſunt aduerſum nos, velut Thyeſtæas cœnas, & inceſta Oedipia perpetrantes, & alia quæ nec proloqui, aut cogitare nobis fas eſt.* Per tormenta de ſeruis Chriſtianis non quæſijſſent, ni epulis Chriſtianorum interfuiſſent. Plinius quoque eadem docere videtur, nam ex duabus àncillis dicit ſe inquiſiuiſſe per tormenta, quid eſſet veri de ſacris, & conuiuijs Chriſtianorum. Denique Tertullianus, & Minutius aiunt, vinum accumbentibus præbitum fuiſſe, *bibitur quantum pudicis eſt vtile.* Item, *hinc probatur quomodo biberit.* Itaque quæ de conuiuio, quod Gentiles infamarent, habent Patres, cùm ea omnia de Agapis, non de Euchariſtia accipienda ſunt, vt in Apologetico c. 7. 8. 9. & in fine 39. Priora enim de ſacris dicta ſunt. Item cùm ait, lib. 2. ad Vxorem. *Quis ad*

Digitized by Google

conuiuium illud dominicum quod infamarent. Ad Scapulam: *quam inceſtam, quam crudelem nemo tanto tempore probauit.* De ſpectaculis c. 19. *ſi tales ſumus, quales dicimur, delectemur ſanguine humano.*

Quod non animaduertentes, plerique perperam de Euchariſtia explicarunt. Similiter quæ apud Minutium de inhumanis cibis, de infante farre contecto, quod coëunt ſolenni die, & quæ hiſce obiectionibus reſpondet Minutius, de Agapis neceſſe eſt intelligere, & apud Euſebium, Irenæum, & Iuſtinum.

DE FRATERNITATE CHRISTIANORVM.

OBSERVATIO XIX.

QVæ de Fraternitate Chriſtianorum apud Antiquos Authores commemorantur, neminem reperies, qui ſe ignorare putet; cùm nulla ſit pagina quæ huiuſce affinitatis mentionem non faciat, verùm in hiſce tritis & vulgatis plerumque euenire ſolet, vt non ſatis intelligantur, quia plus ſatis cognoſci, & intelligi putantur, quod in hac re mihi videor obſeruaſſe: quis enim in Apologeticis non legit Chriſtianos fratres eſſe, totamque Eccleſiam Fraternitatem appellari? verùm huiuſce neceſſitudinis rationes, aut quo modo id iuris acquireretur, quâue ex cauſa amitteretur, non tam facilè reperies, qui tibi explicet à Tertulliano, & Minutio Fœlice; huiuſce conſanguinitatis cauſæ, hæ afferuntur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt.

Digitized by Google

item, *qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis*: item, *qui de vno vtero ignorantiæ, eiuſdem ad vnam lucem expauerint ſanctitatis*: item, *ſic nos, quod inuidetis, fratres vocemus, & vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei cohæredes.*

Hæc amicitia religionis ſocietate tam fortiter erat coniuncta, vt Gentilibus ſuſpecta eſſet, eamque magno aliquo ſacramento aut myſterio contractam, & coniuratam eſſe crederent; *vt pro alterutro mori ſint parati.* Ab hac ſocietate, non ſolùm arcebantur hæretici, Schiſmatici, Abſtenti; ſed etiam pœnitentes, & Catechumeni; qui omnes à cæteris fidelib⁹ fratres non appellabantur, quod ſcilicet, neque ſui hæredes, neque ius ad hæreditatem Chriſti habere cenſerentur. Hoc ius fraternitatis in quadam bonorum, precum, meritorum, voluntatis denique, ac animæ coniunctione, ſocietate, & communione conſiſtebat, vnuſquiſque pro facultate, & modo fortunæ cæteros libenter iuuabat, neque erat quiſquam inter Chriſtianos ea tempeſtate, qui oſtiatim mendicaret, in ægrotis curandis, in viduis, captiuis, & ijs qui ad metalla, aut arenarias damnati eſſent, alendis, quantam diligentiam, quantam curam adhiberent? Puellis quæ tempeſtiuæ viro ad ætatem nubendi peruenerant, ex publica pecunia dos adſignabatur, prorſus nullum officij genus prætermittebatur, omnia præter vxores, vt ait Tertullianus, illis erant communia. Si quiſpiam fratrum obuiam fieret, ſi è longinquo rediret, ſi peregrè proficiſceretur, continuo ad amplexum, & ad oſculum currebant: mutua ſibi fratrum appellatione, &

Digitized by Google

ſalutatione congratulabantur.

His legibus, atque his moribus, Eccleſia in eam quã videmus amplitudinem, & magnitudinem excreuit. Ex hac etiam conſuetudine & iure D. Polycarpi verba ad Marcionem clariora multò ac magis perſpicua euadunt: quem vt ſeſe vellet agnoſcere roganti, ferunt reſpondiſſe. *Agnoſco primogenitum Satanæ*, ſatis ex facie, & conſuetudine notus erat D. Polycarpo Marcion, neque hoc petebat, vt ſe pro noto, & familiari intueri vellet; ſed cùm moris eſſet apud Chriſtianos hoc nomine ſeſe ſalutare, optabat plurimum Marcion pro fratre haberi, & appellari à D. Polycarpo: quem cùm ab Eccleſia receſſiſſe, & nouam ſectam inſtituiſſe ſciret, eum ſe pro fratre habiturum negauit, qui communem matrem deſeruiſſet: quod reſponſum in hanc conſuetudinem referas, non video quomodo conuenire poſſit.

Cæterùm, quemadmodum hoc iure non vterentur, ita non niſi à lauacro Dei & Ieſu Chriſti filij nuncupabantur. S. Cyrillus Hieroſolimitanus in præfatione, *vnius matris filij, & filiæ facti eſtis omnes quicunque hic nomina dediſtis*, in prima Catecheſi, *ad ingenuam adoptionis regenerationem peruenire.* D. Ambroſius lib.5. de Sacramentis cap. 4. *Ex malo ſeruo factus es bonus filius.* D. Cyprianus ad Pompeiũ, *qui filius Eccleſiæ non eſt, vt habere quis poſſit Deum patrem ante matrem Eccleſiam.*

Hoc loco collocandum mihi videtur quod obſeruaui de Oratione dominica, nam ad idem argumentũ pertinet, qua enim ratione ijdem ipſi Catechumeni, neque fratres, neque filij Dei cenſebantur, eadem

prorſus Deum patrem neque appellant,neque orationem dominicã,qua ipſius vocis ſignificatio cõtinetur, antequam ſalutaribus aquis purgati eſſent,recitabant; indignum enim illis videbatur Deum Patrem eos inuocare,qui nondum à diabolo manumiſſi, filij tenebrarum eſſent. D. Ambroſius ibidem, *ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lauacrũ genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, & dic Pater noſter:* item, *Dic ergo & tu per gratiam Pater noſter, vt filius eſſe merearis.*

Huiuſce obſeruationis confirmatio dubia non erit intuenti, quo tempore,& hora eandem ipſam orationem dicebant:nemo noſtrum ignorat Catechumenos ab Eccleſia poſt primas conciones,& antequam ſacrificium celebraretur,ex templo receſſiſſe,neminẽ etiam latere puto,hanc orationem ad ſacrificium faciendum adhibitam fuiſſe, vnde rectè ſequitur ne quidem eos in ipſius orationis recitatione interfuiſſe: At verò de hac oratione, quomodo ſcripſerunt Patres, aut quibus ſcripſerunt? neminem reperies, qui non eodem tractatu,eadem pagina, eodem denique loco & linea, de Euchariſtia ſimul cum ea ipſa oratione verba non fecerit: quod argumento eſt Catechumenos orationem illam non didiciſſe, neque recitaſſe, cuius explicatio, & cognitio eis occultabatur: conſule D. Cyprianum de Oratione Dominica, Tertullianum in eodem libello, D. Ambroſium de Sacramentis, D. Cyrillum in catecheſibus, cæteroſque qui de eadem oratione cõmentarios reliquerunt,coniunctam ſemper vtriuſque, & Euchariſtiæ, & orationis explicationem reperies.

Addam quædam ex D. Cypri. in probationẽ eiuſdẽ

Digitized by Google

obſeruationis, *homo nouus renatus, & Deo ſuo per gratiam eius reſtitutus, pater primo in loco dicit*, item de eadem oratione verba faciens, *Et profiteatur ſe Dei filium, dum nominat Patrem ſibi eſſe in cælis Deum*: item, *Nec hoc ſolùm fratres dilectiſsimi animaduertere, & intelligere debemus, quod appellamus Patrem qui ſit in cælis, ſed coniungimus, & dicimus Pater noſter, id eſt eorum qui credunt, eorum qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritualis natiuitate reparati filij Dei eſſe cœperunt.*

Præterea ſi ab illa prima Eccleſiæ ætate ad poſteriora demum tempora deſcendamus, & huiuſce ritus & conſuetudinis veſtigijs inſiſtamus, nonne à D. Auguſtino monentur competentes in illa homilia 42. quam habuit feria ſecunda palmarum, orationem Dominicam ita ediſcere, vt eam memoriter Sabbatho ſequenti & proximo poſt baptiſmum reddere poſſent? *Accipite hodie quomodo inuocatur Deus*, & paulò poſt, *tenete ergo, & orationem hanc quam reddituri eſtis die Sabbathi nouiſsimi quo baptiſandi eſtis*: Nonne in ordine Romano, & cęteris qui de ritibus Eccleſiaſticis, atque de diuinis officijs ſcripſerunt, inter cæteros ritus reperięs, certis quibuſdam diebus quadrageſimę Catechumenos orationem dominicam percepiſſe, ad eam ſcilicet Sabbatho Paſchę reddendam?

Poſſem etiam authoritatē ſeptimi Canonis eorum nouem qui in calce ſextę Synodi Conſtantinopolitanę ſuſpecti habentur, addere, ſed nullus eſt, vt puto, quin ex his quę tum attulimus, exiſtimet Catechumenos toto tyrocinij tempore, ac decurſu ad Deum inuocandum, & adorandum ea oratione vſos fuiſſe: nam ſi tribus

tribus modò aut quatuor diebus antequam Baptiſmo purgarētur, eius verba, non dicam explicationem, aut myſteria docerentur, nonne vinco orationem ipſam olim illis ignotam fuiſſe? atque vt eam tantùm memoriæ mandarēt, paucos dies eis ante lauacrum creditam, non verò vt Deum antequam filij lucis eſſent, hac oratione interpellarent.

Denique vt hanc obſeruationem concludam, eorum mihi nequaquam probatur ſententia, vti Vicecomitis lib. 3. c. 16. qui exiſtimat eiuſdem orationis arcana, & myſteria ante Baptiſmum expoſita fuiſſe Catechumenis, & competentibus, quod fieri potuiſſe mecum negabit, ſi animo repetat hæc verba, *panem noſtrum quotidianum*, ab omnibus penè de Euchariſtia explicari, cuius myſterij participes eſſe non poterant Catechumeni, vt ex eadem ipſa homelia 42. Diui Auguſtini nemini dubium erit: quà etſi verba orationis moneat eſſe diſcenda, paucaque de eorum explicatione, & ſignificatione perſtringat, nihilominus vbi ex ordine ad illa *panem noſtrum* ventum eſt, eadem conſultò prętermiſit, fidelibuſque nota eſſe maluit dicere, quàm explicare: *norunt*, inquit, *fideles quid accipiant, & bonum eſt eis accipere panem quotidianum huic tempori neceſſarium.*

Digitized by Google

DE MARTYRVM AVTHORITATE.

OBSERVATIO XX.

QVanti, amabo, debet eſſe hominibus ſanguis & crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, cùm Deus in hoc, & altero ſæculo, tantam mercedem reponat ijs Martyribus, qui vel vnam ſanguinis guttam profuderint, vel aliquas pœnas & cruciatus, perpeſſi ſint. Antiquitùs Eccleſia nihil rarum, aut pretioſum habebat, quod non imperti-retur Martyribus, de omni quaſi eius iure, ac authoritate illi ſuccurrebant: etſi nullum ordinem, nullumue characterem haberent: tamen & ſoluebant, & ex laicis Epiſcopi, ſi non dignitate, ac munere, ſaltem poteſtate fiebant, eóque exiſtimationis apud homines peruenerant, vt plus propemodum authoritatis, & ponderis, quàm vel Preſbyteri, vel Epiſcopi haberent. Tertullianus, *Quid ergo? ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit*: vbi pluris facere Martyres quàm Epiſcopos & Preſbyteros, atque aliquid ſupra Epiſcopum addere videtur.

Canone 34. Concilij Laodiceni, tantam de eorum authoritate opinionem olim eos concepiſſe apparet, vt etiam ad falſos, & hæreticos confugerent: *non oportet* (inquit Concilium) *omnino Chriſtianum, derelictis Martyribus Chriſti abire ad falſos Martyres; Hi enim alieni à Deo ſunt. Quicunque autem abire voluerit, anathema ſit.* Legimus in Concilio Eliberino Canone 25.

Digitized by Google

Omnis qui attulerit litteras confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eoquod ſub hac nominis gloria partim concutiant ſimplices, communicatoriæ ei dandæ ſunt litteræ, & in Concilio Arelatenſi primo canone 9. *De his qui Confeſſorum litteras afferunt, placuit, vt ſublatis ijs litteris, alias accipiant communicatorias*: quorum etſi variæ ſint expoſitiones, nulla tamen eſt, quâ non intelligatur, ſummæ eos in Eccleſiâ authoritatis fuiſſe.

Sed ne prolixiores ſimus, miſſum faciamus quanto in pretio fuerint, quibus laudibus ornati ſint, quæ omnia ediſcētur ex Patribus, & præcipuè libellis ad Martyres, Tertuliani de Pudicitiâ, de fugâ in perſecutione: & à Diuo Cypriano epiſtolis 5. lib. primi 12. lib. ſecundi 4 6. 25. lib. tertij, 1. lib. quarti, & de exhortatione martyrij. Veniamus tantùm ad eorum poteſtatem, quam quis faciliùs concipiet, ſi intelligat illis temporibus tales ſe in eccleſiaſtica diſciplina retinenda præſtitiſſe, vt nullius omnino (dummodo præcipiti morte non raperetur) culpa, niſi ab Epiſcopo, & expleto pœnitentiæ tempore tolleretur: at Martyres, ſi eſſent ſacerdotes, vtrumque perficere poterant, & à culpa ſimul & pœna abſoluere; ſi verò tantùm eſſent laici, à pœnis, & ab ipſo tempore permultum diminuere poterant: Tertullianus, *quam pacem quidam non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt*. Sed validiùs de Pudicitia. *At tu iam, & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem*, locutus præcedenti capite, & toto libro de poteſtate ſoluendi & ligandi, & de abſolutione peccatorum mortalium. Item, *ad metalla confugiunt, & inde communicatores reuertuntur*, non poterant redire in com-

Digitized by Google

munionem Eccleſię niſi abſoluti eſſent. Item *Quis permittit donare quæ Deo reſeruanda ſunt.* Explicat duobus his poſtremis capitibus, quod Deo reſeruatum erat, nempe noxas mortales, proinde infert Martyres ea tempeſtate illas condonare potuiſſe. Item, *quis alienam mortem ſuâ ſoluit, niſi ſolus Dei filius?* Item, *proinde qui illam æmulans donando delicta,* Item, *ſi verò peccatores, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere, & tibi & mihi poterit?* Teſtimonia equidem nullo pacto refellenda, quibus cõuincitur, Martyres ſacerdotes purè & abſolutè culpas mortales remiſiſſe: atq; in omnibus his locis, alijſq; etiam patribus, quamuis non ſit diſtinctum inter Martyres, Preſbyteros & laicos: tamen crediderim ſacerdotes pœnam, & culpam, laicos verò pœnam dũtaxat, & pœnitentiæ tempus remiſiſſe.

Veniamus ad D. Cyprianum qui epiſt. 15. lib. tertij refert formulam, qua Martyres ſignificabant ſe lapſos abſoluiſſe: *communicet ille cum ſuis*, quod ſatis oſtendit eos abſolutos fuiſſe cùm redirent: nam non potuiſſent aſſequi ius communicationis niſi abſoluti. In eadem epiſtola ait nonnullos ſacerdotes dare ſolitos Euchariſtiam lapſis, *ante manum ab Epiſcopo, & clero in pœnitentiam impoſitam*: quia videlicet à Martyribus abſoluti, & liberati erant, quod quamuis improbet, tamen interea docet nos, rei vſum vel abuſum talem fuiſſe ortum ex opinione, quam Eccleſia imbiberat de Martyribus, eorum magnam eſſe vim, & poteſtatem. Epiſt. 16. idem dicit, ſed multò dilucidiùs epiſtola decima ſexta editionis Pamelij, & 22. eiuſdẽ editionis, *cũ benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocauit me, & dixit mihi, Lu-*

Digitized by Google

ciane, coram Chriſto tibi dico, vt ſi quis poſt acceſsionē meam abs te pacē petierit, des in nomine meo. Et tractatu de lapſis. *Credimus quidem poſſe apud iudicem plurimū valere Martyrum merita, & opera Iuſtorum: ſed cùm iudicij dies venerit.* Itē, *ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſsionem ſe dare cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed obeſt lapſis.* Id quidem damnat, ſed improbando, nihiloſecius declarat talem vſum fuiſſe, nempe recipiendi lapſum ſine vlla alia abſolutione, cùm Martyris commendatione niteretur, nam paulò ſuprà dixit in eodem tractatu: *Ante purgatā conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis.*

Profertur epiſtola 2 .editionis Pamelij, ad probandum non ſatis fuiſſe lapſis à Martyribus pacem obtinuiſſe, niſi per Epiſcopum reconciliarentur Eccleſiæ: tamen Diuus Cyprianus hac ipſa epiſtola ſcribit Lucianum, nomine aliorum Martyrum ſcripſiſſe: *vniuerſis eos pacem dediſſe*: Item, *& pacem quam ſemel cunctis à Martyribus, & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coegerint.* Item, *pacem dari, & peccata dimitti in Pauli nomine*: quæ certiſſima ſunt teſtimonia, Martyres id iuris ſibi arrogaſſe, tolerante etiam Eccleſiâ. Fateor quidem Tertullianum primum negaſſe id iuris & authoritatis eſſe Martyribus: fateor Diuum Cyprianum contrahere in anguſtum poteſtatem Martyrum quantum poteſt: fateor quoque id ſublatum fuiſſe ex Eccleſia circa tempora Diui Cypriani, aut paulò ante Nicænam Synodum, vt ex canone Concilij Laodiceni apparet, aliquid ex tanta authoritate Martyribus ſuperfuiſſe, ſed negari non poteſt vſque

Digitized by Google

in illa tēpora, eos quos pertulimus locos, ſatis adſtruere tanto in pretio Eccleſiam habuiſſe Martyres, vt quicquid feciſſent, rectè & ordine factum, quicquid remiſiſſent, rectè remiſſum arbitraretur.

Eſt *Aurora conſurgens,* quæ ſemper augetur & perficitur, ſemper naſcitur, vt quod vno tempore receperit, in altero conſultò reijciat. Perſcrutanti mihi quamobrem, & quo fundamento nixa eſſet illa Martyrum authoritas, quamuis laici, & non ſacerdotes eſſent (nam epiſtola illa 27. dictum eſt, Aurelium cuius nomine litteræ Lapſis dabantur, ſcribere neſciuiſſe, *quod litteras ille non noſſet*) non aliæ efficaciores occurrunt rationes, quàm quas affert Tertullianus de Pudicitia, prima quod tantùm Martyris meritum eſſet, vt alijs peccatoribus communicari poſſe in ſatisfactionem delictorum crederent: *Si verò peccator es quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere, & tibi & mihi potuit?* Altera quod exiſtimarent Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum peculiari quodam modo Martyribus ineſſe & inſidere, vnde abſoluendi authoritas illis emanaret: *Si propterea Chriſtus in martyre eſt, vt mœchas & fornicatores Martyr abſoluat.*

Cæterùm, ex ipſis Diui Cypriani verbis coniecturam facio, Martyrum commēdationem nulli penitus, niſi poſt eorum mortem profuiſſe, id eſt, ſi quis veniam à Martyre impetraſſet, eum Eccleſiam neque recepiſſe, neque ad communionem admiſiſſe, niſi poſt mortem eius Martyris à quo liberatum eſſe iactabat, epiſtola 14. libri tertij, *Ante ipſum penè martyrū exceſſum communicent cum lapſis, & offerant,* exceſſus enim, &

Digitized by Google

excedere pro morte vſurpantur à Diuo Cypriano epiſtola 13. *ſufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceßiſſe ſine pace, vel cæteris ſubueniatur qui ſuperſunt*, epiſtola 7. libri ſecundi, *poſt exceſſum nobilißimæ memoriæ viri Fabiani:* Eos igitur increpat, qui antequam Martyres è vita migraſſent, eorum petitioni ſatisfacerent, atque lapſos ea pace quam ab ijſdem Martyribus acceperant, frui ſinerent: epiſtolæ 22. Pamelij verba quæ paulò antea protulimus, in hanc coniecturam deducere videntur, *Cùm Benedictus Paulus Martyr adhuc in corpore eſſet, vocauit me, & dixit mihi. Luciane coram Chriſto tibi dico, vt ſi quis poſt arceßionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Fatetur Lucianus, quamuis in carcere detineretur, non ſuo, ſed Pauli nomine peccata condonare. Idem epiſtola 23. eiuſdẽ editionis, *vt manu eius ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur.*

DE MARTYRIBVS, CONFESSORIBVS, EXTORRIBVS, LIBELLATICIS, Thurificatis, Sacrificatis, Blaſphemis, & Lapſis.

OBSERVATIO XXI.

ETſi omnia hęc nomina, quæ Chriſtianis, ob odia Gentilium, perſecutiones, & proſcriptiones, indita ſunt, cunctis penè nota ſentiam, vno tamen intuitu ea omnia complecti poſſe, atque diſcrimen eorum intueri, non iniucundum fore ſputaui: Confeſſoris, & Martyris no-

mina, & gloriam merebantur, qui in tuenda fide & religione Chriſtiana pœnam aliquam ſubierant, etſi Martyres ij ſolùm verè ſint exiſtimandi, qui morte, aut aliqua leuiori pœna mulctati eſſent, Confeſſores verò qui ante Magiſtratum conſtituti, nomen, fidemque Chriſti conſtanter, & impauidè profeſſi fuiſſent. Extorrum duo erant genera, quidam ob religionem & fidem Chriſtianam in exilium pellebantur: Alij verò ſecedebant, vt ſe ſe periculis ſubducerent, & tormẽtis, in quibus deſpondebant ſe animum inuictum, & propoſiti tenacem retenturos.

Cæterùm hos aliquando reperies, obiurgari à Diuo Cypriano, interdum etiam laudari. Cuius rationem non aliò referes, quàm ad temporum ſtatum, & conditionem. Nam initio perſecutionum, vt cæteris animos ad mortem pro Chriſti nomine obeundam augerent, puſilli animi, & infracti eſſe in perſecutione fugere clamitabant, ea verò ingruente: nulli vitio dabatur, quoquo modo fidei, vitæque ſuæ conſulere. Ita factum eſt, vt lib. 2. epiſtola 5. habeatur *nec Extorribus quæ oportuit obiurgatio*, quos tamen tractatu de lapſis ſtantes appellat, & in illo triumpho Martyrum quem repræſentat, ouantes eos in Eccleſiam poſt Martyres triumphantes, inducit. De Thurificatis, Lapſis, Sacrificatis, non dubitatur. De Blaſphemis nihilo magis, quos Gentiles abiurata fide, probra inſuper & conuitia in Chriſtum conijcere compellebãt, vt refertur à Plinio, *vt maledicerent Chriſto*.

Qui verò ſint *Libellatici* quæſtionis eſt: Card. Baronius anno Chriſti 253. rem ita explicat. *At colligitur*

ex ijs

ex ijs non ſic Libellaticos eſſe dictos, vt multi putãt, quod libellum offerrent magiſtratui, quem potiùs ab eo acciperent, & paulò inferiùs, *tamen aliqua per ſe, vel per alium edita profeſſione fidem negaret, ne verò ſicut cæteri, traheretur ignominioſè ad aram, id pecunia redimebat*: Idem, *dicimus Libellaticos non eſſe eiuſmodi, vt pretium ſoluerent, ne cogerentur negare, ſed negaſſe eos Chriſtum verum, nec palam, vt alij, offerre ſacrificium, vel libamina cogerentur, ſpopondiſſe pecuniam.*

Duo tamen, inter legendum, Libellaticorum genera mihi videor deprehendiſſe, primùm eorum qui in carcere conſtituti pœnas quæ de Chriſtianis ſumebãtur, quoquo modo effugere, quàm ſubire malebãt, & vt id conſequerentur, Libello affirmabant ſe neque eſſe, neque Chriſtianos fuiſſe; de his eſt mentio apud Diuum Cyprianum tractatu de Lapſis. *Qui etſi nefandis ſacrificijs manus non contaminauerunt, libellis conſcientiam polluerunt*, epiſt. 5. lib. 3. *vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent*, epiſt. 4. lib. 1. *Baſilidem, & Martialem libellis idololatriæ maculatos*, Ibidem. *Actis publicè habitis, apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit*, epiſt. 7. lib. 2. *illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderunt*, epiſt. 3. lib. 1. *vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum.*

Porrò, hos Libellaticos non exiſtimarim pecunia iudices corrupiſſe, neque libellum ab eis accepiſſe, nam quid amplius ab eis, exuta fide, deſiderari poterat? Diuus Cyprianus ad Demetr. *Torqueri enim debui, ſi negarem*, Tertul. *Abſoluimur negantes, quia nominis prœlium eſt*: Idem, *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum*

cogis negare, vt abſoluas. Idem, *Cæteris negātibus adhibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum.* Idem, *Vociferatur homo Chriſtianus, ſum quod eſt, dicit, tu vis audire quod non eſt.* Et quamuis, vt ex Plinio cognoſcitur, mutata religione, Dijs nihilominus libare cogerentur, ſæpiùs tamen expugnata fide dimittebantur. Satis prætereà firmum nō videtur, quod ait Baronius, eos ne palam ſacrificarent, pecuniam obtuliſſe: nam de Baſilide Libellatico habetur in D. Cyp. *Cū actis publicè habitis, obtemperaſſet idololatriæ.*

Libellaticorum aliud in eodem Diuo Cypriano genus obſeruabis, epiſtola ad Antonianum. Hi enim vbi pecunia iudicis animum tētari, atque commoueri poſſe ſentiebant, mox Chriſtianos ſe eſſe non dubitabant fateri, & ob hanc cauſam ſibi non licere idolis ſacrificare; rogare ne vi neue tormentis ad id faciendum inducerentur, pecuniam vt libellum obtinerent, quo ſeſe in poſterum in libertatem vendicarent, libenter offerre. *Cùm occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſset occaſio, ad magiſtratum veni, vel alio eunte, mandaui Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, nè, quod non licet, faciam.* Idem in eadem epiſtola, *& peior ſit moechi, quàm Libellatici cauſa, cùm hic neceſſitate, ille voluntate peccauerit, hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe, ſi non ſacrificauerit, errore deceptus ſit.* De Libellaticis igitur eſt mentio, qui neque Chriſtum negauerant, neque ſacrificauerant, nam mœchi cauſa peior non eſſet eius libellatici, qui Chriſtum negaſſet, aut ſacrificia feciſſet.

Digitized by Google

Ex his vtroſque Libellaticos licet inter ſe conferre, & vtriuſque diſcrimen ex hac comparatione deprehendere: dixit illos Chriſtum, eiuſque religionem & fidem repudiaſſe; hos verò ſe Chriſtianos facere & fateri: pecuniâ ſeſe præterea liberaſſe, illos verò pecuniam obtuliſſe nō reperies, eorumdem etiam ſcelus & ſacrilegium multis verbis execratur; hos verò ait non tam crimine, quàm errore deceptos eſſe, qui ſi Chriſtum negaſſent, nequaquam eos errore, non crimine, deceptos fuiſſe dixiſſet: fatendum igitur neceſſe eſt Libellaticorum duo fuiſſe genera.

DE SACERDOTIO GENTILIVM.

OBSERVATIO XXII.

De Ethnicorum Sacerdotio aliquid in hiſce notis ſcholijſque inſerere, non alienū, neque inutile erit: non eo quidem conſilio, vt ritus omnes, ceremoniaſque perſcrutemur; ſed vt canonum quorumdam explicatio illuſtrior multò exiſtat, quorum vis, intelligentiaque quamplurimos interpretes effugit: cuius rei perficiendæ cauſa primùm illud obſeruandum erit, Chriſtianos cùm omnes falſorum Deorum cultus, anileſque fabulas non ignorarent, eo tamen flagitioſè progreſſos, vt Sacerdotia Gentilium ambitioſa quadam prenſatione nundinarentur. Deinde, non omittemus oculis ſubijcere edicta illa, & rationes quibus Eccleſia vetuit ne dignitatum illi gradus expeterentur. Tertiò

Digitized by Google

quantùm erit in nobis, connitemur ex his quæ dicta erant, afferre lucem quibuſdam canonibus, quorum alium fuiſſe ſenſum, ac ſententiam, ac antiqui Patres cenſerent, plerique iudicarunt.

Trium rationum momenta quædam impellebant Chriſtianos ad Sacerdotij Ethnicorum petitionem: Primùm ambitio, cuius incenſa cupiditate conflagrabant homines ætate florentes, nihil enim æquè, cùm Romæ, tum in alijs Prouincijs, ad conſequendos honores, authoritatemque, & nominis exiſtimationem comparandam valuit, ac ludorum quorumdam apparatùs & magnificentia, quod eorum commiſſio, populi gratiam animoſque conciliaret: ijs autem in prouincijs, & municipijs flamines pręſidebant, nonnunquam etiam eos populo, ſuis ſumptibus exhibebant: ad ciuium ergo beneuolentiam eo genere obſequij deuinciendam, non pauci Chriſtiani ſpretâ religione incitabantur, vt eiuſmodi honorum gradus, & flaminium ſibi deferri vehementer poſtularent, quò faciliùs editione ſpectaculorum, & ſcœnæ pompa maximâ, imperitę multitudinis applauſum, & acclamationem promererentur. Id perſpici poteſt ex L. vnica 4. tit. 61. libri 10. Cod. in qua, rogatione interpoſitâ, ſumptus neçeſſarios & liberales qui ad ludorum commiſſionem requirerentur, ſe ſuppeditaturum Parens quidam profiteretur, modò filio ad Sacerdotium venire liceret. *Si de proprio ſuo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromiſerit, ideoque etiam ſacerdotem te creari impetrauit, onus erogationis commune omnium hæredum eius eſſe, Præſes prouinciæ non ignorabit.* Verùm id ita eſſe facilè

crediderint, qui tempore Tertulliani didicerint Chriſtianos, qui idola fabricarentur, extitiſſe: *adleguntur in ordinem eccleſiaſticum artifices idolorum*; quin tempore Siricij, & Innocentij non deerant, (quamuis otio & tranquillitate maximè Eccleſiâ frueretur, rerumque publicarum munera à Chriſtianis hominibus adminiſtrarentur,) qui ad impia illa ſacerdotia prouehi ſe cuperent, eorumque officio fungerentur. Siricius Epiſcopo Tarraconenſi c. 5. *De ijs verò, qui acta pœnitentia, tanquam canes, ac ſûes ad vomitus priſtinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates.* Innocentius epiſtola 4. c. 3. *De Curialibus autem manifeſta ratio eſt, quoniam, & ſi inueniantur huiuſmodi viri, qui debeant clerici fieri.* Item epiſt. 24. c. 4. *Neque de Curialibus aliquem ad eccleſiaſticum ordinem venire poſſe, qui poſt Baptiſmum, vel coronati fuerint, vel ſacerdotium, quod dicitur, ſuſtinuerint, & editiones publicas celebrauerint.* Secundò, metu quandoque perculſi aliquo cogebantur obire illa ſpectaculorum ſeu ludorum munia, ne ſi id facere detrectarent, pro Chriſtianis haberentur, ætate namq; & opibus florentes, ſi ea pro nihilo habuiſſent, in ſuſpicionem veniſſent Chriſtianæ fidei, & religionis admiſſæ: accedit & illud, exerceri illa potuiſſe munia, etiamſi ſacrificium nullum feciſſent, vt planum eſt, can. 55. Concilij Eliberini, quare Eccleſia cùm videret homines mortis oppetendæ propoſito horrore magnopere commoueri, in eos non ita grauiter animaduertere conſueuerat, quamuis munera illa non defugiſſent, modò ab omni ſacrificio, manus, oculoſque cohibuiſſent, eamque ob cauſam eodem in Concilio

Digitized by Google

non duriùs quicquam ſtatuendum in illos iudicat, qui domi ſuæ idola reſeruarent, modò ab eorum adoratione, atque cultu abſtinerent, atque ea ſuis ex ædibus deturbare non poſſent, quin à ſeruis iudicibus deferrentur, & detegerentur, can. 41. *Admonere placuit fideles, vt quantùm poſſunt, prohibeant, ne idola in domibus ſuis habeant, ſi verò vim metuunt ſeruorum, vel ſeipſos conſeruẽt, ſi non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur.*

Tertiò, ratio illa afferri poteſt, quæ Chriſtianis eam vim afferebat, vt illa quaſi munera, officiaque non recuſarent, quod ſacerdotia illa erant munera patrimonialia, vt aiunt Iuriſconſulti, à quibus Curiales non poterant excuſari. Quare Chriſtiani quocumque locorum, aut gentium conceſſiſſent, ſi eſſent Curiales, aut fortunæ ampliſſimæ, ſuſtinere illa munera cogebantur, aliter ad eos bona illa omninò tanquam hæreditates perueniſſent, qui, illorum vicem in adminiſtratione eorum munerum ſubijſſent. Sacerdotium autem fuiſſe quoddam officium, çeu munus patrimoniale, probatur, lege 8. tit. 41. l. 10. Cod. *Nec protoſtaſiæ vel ſacerdotij, vel decaprotiæ, munera corporalia ſunt, ſed tantùm patrimonij eſſe non ambigitur.* In quam legem Cuiacius hoc habet. *Sacerdotiũ autem interpretor, veluti Alytarchiam, Aſiarchiam, Syriarchiam, Phœniciarchiã, quo qui funguntur, ludis præſunt in honorem Deorum inſtitutis, cum ſumptu aliquo*: Idem auctor in l. Vnicã de mulieribus, in quo loco Cod. ait. *Sacerdotium Prouinciæ munus patrimoniale eſt, veluti Aſyarchia, nam qui eo fungitur, ſumptu eius eduntur certamina, & ludi in honorem Deorum*: & obſeruat. lib. 1. c. 13. aſſerit: *inde ſacerdotium ipſum, Alytarchia*

Digitized by Google

dicitur, ea forma qua & Aſiarchia, & his ſimilia ſacerdotiorum nomina, & flaminum. Præter ea quę narrat Cuiacius, magiſtratus & ſacerdotes ſolere ſpectacula ſeu certamina edere, ſuccurrunt & alia teſtimonia l. 1. Cod. Theod. lib. 15. tit. de ſpectaculis. *Magiſtratus, & ſacerdotiorum editiones, quæ aut in ciuitatibus, aut certè in his debent exigi, quas delegit antiquitas.* Tertullianus de ſpectaculis. *Quis tibi Prætor, aut Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua liberalitate præſtabit.* Munera verò patrimonialia ab vnoquoque ſuſtineri oportere plurimæ leges teſtantur 1. tit. 41. lib. 10. Cod. *Ciuilia munera per ordinem, pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt.* Vbi Cuiacius ait, *Et non omnia, ſed patrimonialia, vt apparet*, ex l. 2. eiuſdem tituli. *Munera quæ publicæ vtilitatis causâ indicuntur, ab omnibus ſubeunda ſunt*, & alijs omnibus legibus illius tituli: apparet ab eiuſmodi muneribus neminem liberũ ſolutúque videri. Cùm igitur Chriſtianus ſuo quaſi ordine ac per vices, illius in quo commorabatur, loci, deſignari flamen aut ſacerdos deberet, tametſi illa renunciatio, creatioque ſuæ religioni fideique repugnaret, cogebatur eam oblatam admittere, eiuſque perinde ac aliorum munerum, procurationem capeſſere. Ex his verò locis quos ex Diuo Innocentio dedimus, ſatis cõſtat Curiales ab ordinibus Eccleſiaſticis prohibitos, quod quibus in locis Curiales eſſent, inde digredi ijs non liceret, ſuæque Reipub. ac publicorum munerum habere eos rationem oporteret: nec quæ in ijſdem locis ex præſcripto, inſtitutoque legum præſtanda eſſent, negligere; cùm autem ex ijs locis quorum Curiales erant, demigrarent, eò poſtliminio reuerti neceſſe

Digitized by Google

erat, quamuis in ordines ſacros adlecti eſſent: quæ cauſa eſſe poteſt, cur Patres præciſè & aſſeueranter Curiales ad illos ſacros ordinum ritus accipiendos, vrgeri, aut admitti non oportere arbitrarentur; quia eo honore affecti, adigi poterant, vt eò vnde deceſſerant, quod ibi Curiales eſſent, redirent, atque adeo Prouincijs publicis defungerentur: in quorum numero ac recenſione, (vt non dubiè, neque obſcurè apud Sanctum Innocentium videbis) Sacerdotia, flaminia Paganorum, ludique publici committebantur, quo tempore nullum genus idololatriæ, peccatorumque ac flagitiorum prætermitti ſoleret.

Illud autem perpendendum eſt, totum illud de quo agimus, munus vſurpari ſolitum, tum, cùm Imperatores Chriſtiani Imperij clauum tenerent, Eccleſiaq; compreſſis perſecutionum procellis conquieſceret, illudque mirum videri debet, ſi quis ſe tali munere abdicare voluiſſet, deſiderio quodam incenſus vitæ aſperioris intra clauſtra religioſæ familiæ, aut etiam in deſerta aliqua regione, ac ſolitudine traducendæ, cogi potuiſſe, vt ad ſuam illam vrbem, quo publica illa munera exerceret, volens, nolens reuerteretur. l. 26. tit. 32. 10. Cod. *Quidam ignauiæ ſectatores, deſertis ciuitatum muneribus, captant ſolitudines ac ſecreta, hos igitur atque in huiuſmodi deprehenſos erui latebris conſultâ præceptione mandamus, atque ad munia patriarum ſubeunda reuocari.* Sacerdotia igitur Gentilium in Prouincijs, earumque ciuitatibus erant munera patrimonialia, à quibus ſe vindicare nemo cùm poſſet, pro ratione facultatum, ac diuitiarum ſuo ordine ad illa obtinenda, gerendaue

aſſumebatur:

aſſumebatur: quemadmodum prima illa lege tit. 41. decernitur.

Quæ apud Euſebium de quodam Aſiarcha leguntur, ad rem pertinet hoc loco referre: Cùm igitur Sãcto Polycarpo mors eſſet obeunda, Philippus quidam Aſiarcha, ſacerdoſque Epheſi cùm eſſet, Sacerdotij ſui exacto, expletoque tempore, poſtulanti turbæ leonem, vt in Polycarpum immitteret, reſpondiſſe fertur munus ſe dediſſe, quod apparare debuerat, eoq; ſe poſthac liberum, ſolutumque munere videri. *His dictis ſucclamabant, & à Philippo Præſide Aſiæ petebant, vt Polycarpo leonem immitteret, quibus ille reſpondit, non hæc licere ſibi, eo quod munus venandi* iam adimpleſſet: vbi verbum, *Munerario*, pro P*ræſide Aſiæ ſubſtituendum.* Quod Ασιάρχης non Præſidem, aut Principem, ſed Sacerdotem Aſiæ, & Munerarium ſignificet, eundemq; qui *ludos præſtat ſuis ſumptibus*, Ita vertit Rufinus, & Cuiacius in legem primam tit. 62. l. 10. Cod. obſeruauit, cui cùm Rufini explicatio, verſioque hanc lucem attuliſſet, qui ita hoc verbum Ασιάρχην Munerarium expoſuit, excogitauit, ſed acutè & ſolerter meo iudicio, non reijciendam emendationem Actorum Apoſtolorum c. 19. Nam cùm in ordinaria & vulgata legas, *quidam ex Aſiæ principibus*, contendit reponendam eſſe; *ſed quidam Munerariorum*, & ſanè correctio illa non leuibus, nec infirmis rationibus corroboratur: nam qui tandem Principes in Aſia eſſe poterant, cùm in Romanorum poteſtatem, ditionemque longè antea tota ceſſiſſet, & ad Prouinciæ formam eſſet redacta. Quod ſi qui principem locum Epheſi occupant, Principes

Aſiæ dicuntur; quæ tandem ea de re afferri ratio poteſt, aut cur vnius ſingularis vrbis Principes, non modò ciuitatis, ſed & totius Prouinciæ, quæ ex varijs plurimiſque conſtabat prouincijs, Principes nominabātur. Et quanquam non mihi dubium ſit, quin, vt ex Cicerone didici, in Aſia Magiſtratus de rerum publicarum ſtatu in theatris deliberarent, ipſaque theatra non modò publicis ludis locum, ſed etiam ſenatorio ordini præberent, veriſimilius tamen eſt, qui è theatro ſe commouerat, vt D. Paulum moneret, quò minùs in theatrum ſe daret, fuiſſe paganorum ſacerdotem, & Munerarium, qui tum ludos edebat, non autem magiſtratum, quandoquidem locus ille Euſebij in verſione Rufini, non mediocriter hanc explicationem ſubleuet; ſed vt ad ea quæ probata iam ſunt, iterum gradum faciamus, locus ille D. Hieronimi in vita ſancti Hilarionis, quod diximus, tuetur, & cõfirmat Chriſtianos cogi ſolitos ea munera patrimonialia obire, quibus ludi, & ſacerdotia Ethnicorum continebantur. *Sed & Italicus eiuſdem oppidi municeps Chriſtianus, aduerſum Gazenſem Duumuirum Marnæ idolo dc ditum, Circenſes equos nutriebat, venit ad beatum Hilarionem, cúmque ſubrideret, cur enim non magis equorum pretium pro ſalute animæ tuæ pauperibus erogas? ille reſpondit functionem eſſe publicam, & hoc non tam ſe velle, quàm cogi.* Chriſtiano quidem nihil optatius fuiſſet, quàm vt ipſi liceret non profundere pecuniam ad illos ludos faciendos, & ad multitudinem Ethnicorum tali lenocinio delinienda m, ſed de conſilio ſententiaque optimi Patris ad inopum & egenorum inopiam ſuſtentandam, ſed reſpon-

der ſe ad id præſtandum compelli, quod bona quæ à parentibus hæreditario iure acceperat,ijs ſcilicet muneribus publicis obeundis, & ludis coram populo exhibendis, tenerentur.

Extra verò controuerſiam & illud eſt, pro poteſtate imperióque Eccleſiam vetuiſſe, quò minùs Chriſtiani ambirent,aut ſuſtinerent ſacerdotia Ethnicorum, canonibus id conteſtantibus, quibus eos qui ijs functi fuiſſent muneribus,mulctam irrogatam legimus,vt can. 2. 3. 4.& SS.Cócilij Eliberini. Quanquam autem nulla lex eſſet, quæ id prohiberet,aut pœna aliqua comprimeret, certum tamen, & omnino planum eſt, horum munerũ actionem, çeu adminiſtrationem magnopere Chriſtianæ religioni aduerſatam fuiſſe, quòd ea exerceri omninò non ſine execabili idololatriæ crimine poſſet. Neque verò proferendus eſt canon eiuſdem Concilij SS. qui non ita grauiter, & atrociter paganorum ſacerdotes incuſat, punitque, cùm non niſi ad biennij pœnitentiam perferendam in eo adigantur.Nemo autem neſcius temporibus illis lethalem noxam viginti aut triginta annorum perpeſſione çeu pœnitẽtia caſtigatam, vnde non à quoquam mortiferum committi poſſe peccatum Patres illi antiqui exiſtimabant, ſi ſacerdotem ſe,aut flaminem Paganorum ſiuiſſet renunciari, cùm non tanquam capitalia, quæ dixi,pecccata illa duo punirent. Reſpondebo,canone illo, eos deſignari, quos neceſſitas quædam impuliſſet, vt impoſitam iſtam flaminis prouinciam detrectare non poſſent,vel qui,cùm fortunis opibuſque abundarent,oblata mandataque ſacerdotia,quę erant

munera patrimonialia ſubterfugere non poterant: vel quia ad illos honorum gradus aſcendiſſent, vt ex hominum animis, fidei Chriſtianæ quam profiteri coràm non audebant, ſuſpicionem opinionemque euellerent, Eccleſia autem tanquam optima & indulgentiſſima mater, cùm illa duo quæ propè vim afferebant, perpenderet, non in eos quicquam durius ſtatuendum ducebat: modò non idolis immolaſſent: neque quicquam quo delatus quidam illis honos diceretur, obtuliſſent. Quemadmodum eodem conſilio non grauiori ſeueritate Eccleſiam eſſe vſam, videns in eos, qui intra priuatos parietes idola reſeruarēt, modò ijs non adolerent: neque ea aliò, ſine aperto vitæ diſcrimine, aut ſine manifeſta nominis Chriſtiniani delatione quam reformidabant, exportare liceret.

Reliquum eſt, vt ex ijs quæ attulimus, explicationem eruamus quatuor Canonum Concilij Eliberini, & locorum quorumdam, quæ ex ſancto Innocentio citauimus. Verùm quò apertior, planiorque fiat res ipſa, poſtulat, vt hoc loco commodiore alia explicatione refellamus, ad quod præſtandum, inuitus ſanè, ac omninò prope reluctando accederem, quod præſertim apud Baronium ea reperiatur, qui ſit optimè de Chriſtiana religione meritus, cùm quamplurima denſiſſimis ſempiterni quaſi ſilentij demerſa, ſepultaque tenebris, in lucem euocarit, vt eius ſingularem admirari eruditionem potiùs liceat, quàm vt quiſquam eum reprehendat, ſed cùm nihil æquè, ac Eccleſiæ veteres ritus, mores, & diſciplinam explanare, & eruere nos oporteat, nihil detrectandum eſt, vt antiquis conſtitu-

Digitized by Google

tionibus lucem aliquam afferamus numero 40. 41. 2. 3. 4. anni Domini noſtri 305. canones illos exponit, ac ſi contra lapſorum cauſam confecti eſſent, nec flamines fermè à lapſis diſtinguit, quales à Diuo Cypriano, & ab alijs eiuſdem temporis authoribus depinguntur: quin etiam ſibi perſuadet Sanctum Innocentium, cùm ipſe antiquarum conſtitutionum vim, ac ſeueritatem excuſaret ac emolliret, voluiſſe intelligi, & verba fieri de illo conſilio, conſtitutionemque ſecundam ſancti Innocentij ad Archiepiſcopum Toloſanum eſſe contra lapſos qui Chriſti fidem deſeruerant præſcriptam: Ad extremum in 3. canone opinatur verbum illud, *Munera*, accipi pro pecunia, quam vt ſe aliquis lapſus immolationis metu liberaret, obtulerat: omnia tamen illa, non conſentanea, imò contraria canonum illorum ſententiæ videri. Primùm enim quantum interuallum interiectum eſſe putas inter flamines illos, quorum in his canonibus facta eſt mentio, & lapſos. Lapſi enim Chriſtiani ſunt, & iudicio omnium tales exiſtimantur, quos vis ſuppliciorum, aut metus coegit ad immolandum Dijs, & ad Chriſtum eiurandum. Flamines autem de quibus eſt mentio in Concilio Eliberino, pro Chriſtianis non habebantur, imò ad illa munera capeſſenda animum adijciebant, deſiderio quodam diſſimulandæ & occultandæ religionis in Chriſtum: ſiue quod diuitijs affluerent, ad eorum publicorum munerum adminiſtrationem ex ordine procurandam, tanquam miniſtri, ſacerdoteſque ſacrificiorum accedere cogebantur. Illos enim Ethnici, vt veros, legitimoſque idolorum ſacerdotes, non vt

Chriſtianos nominabant, atque hoc eſt flaminum, & lapſorum diſcrimen, veluti Apoſtatarum nomen, çeu appellatio non propriè cadit in lapſos, tametſi religionis eſſent deſertores. Illam namque non cuiuſquam impulſu, aut tormentis coacti, ſed ſuapte ſponte tum cùm ſummo otio Eccleſia frueretur, neque ad id ſcelus mortis metu inſtigarentur, pernegabant. Quod autem ad conſtitutionem ſecundam epiſtolæ ſancti Innocentij ad Archiepiſcopum Toloſanum, attinet, non illa quidem ad horum canonum ſeueritatem, magis reſpicere potuit, quàm ad totius Eccleſiæ diſciplinam, quæ prioribus illis ſæculis, non ſolùm à communione, id eſt, abſolutione, grauia crimina in perpetuum remouebat, ſed vix ius pœnitēdi eis indulgebat: in ea enim conſtitutione, ne verbum quidem de flaminibus factum: ſed quæſtio quæ dijudicatur ab Innocentio in ea conſtitutione eiuſmodi eſt, nimirum, quid faciendum ſit ijs, qui poſt Baptiſmum propter vitæ flagitioſæ rationem, quam ad mortem vſque produxerunt, excommunicati fuiſſent, ſi in periculum vitæ adducti, communionem, & pœnitētiam ſibi concedi efflagitarent. Diuus Innocentius reſpondet per veteres leges communionem in morte, nō autem pœnitētiam illis adimi: legemque hanc ſeueram quidem, ſed iuſtam & neceſſariam pro ratione temporis videri. Nam ſi eiuſmodi hominum generi perfacilè Eccleſia peccatorum relaxationem, & communionem impertijſſet, lapſis, ſine dubio, eādem beneficentiam negare non potuiſſet, quorum magna vis, ac multitudo, tali præſertim tempore, cerneretur, cùm vbique ad necem

Digitized by Google

& ſupplicium Chriſtiani quærerentur, atque is eſt, meo iudicio ſenſus illius canonis Sancti Innocentij, quo ad hunc modum explicato, non potuit illos Eliberini canones, neque eorum ſeueritatem reſpexiſſe. Nam Sanctus Innocentius non de lapſis diſputat, vt definitè quicquam de ijs ſtatuat, ſed ſolum contendit diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtatum eo tempore non tuliſſe, vt excommunicati reciperentur, ne lapſis, ob eaſdem rationes, veniam laxare cogeretur, quorum cauſa, conditioque multò æquior, iuſtiorque, quàm aliorum eſſet futura, ob id maximè quod dicit Tertullianus, *Magis negat Chriſtum, qui delectatus, quàm qui vexatus amiſit, & qui cùm auerteret doluit, quàm qui cùm amitteret, luſit.* Denique multò ante Concilium Eliberinum, de lapſis reuocandis res erat expedita, & in Eccleſiam poſt pœnitentiam admittebantur. Quapropter ad alia tempora, & ad alias conſtitutiones referenda ſunt verba Diui Innocentij, quàm ad Concilium Eliberinum.

Ad extremum verbum hoc, *Munera*, quod in tertio canone legitur, non potes explicare, vt ait, numero 44. *Sed quod non ſine aliqua animaduerſione eum eſſe ſinerent, qui aliquo oblato munere, à neceſſitate ſacrificandi ſe redemiſſent.* Nam ibi, *Munus*, pro ludis publicis, qui populo dabantur, ſumitur, & quos antiqui deliniendæ plebis cauſâ, & aliquâ voluptate demulcendæ gratia, partim Romæ, alijſque in locis inſtituerant, vt vulgò fertur. *Panem, & Circenſes.* Neque verò capi poteſt pro pecunia, quam flamines, vt ſe ſacrificandi munere, liberarent, largiebantur, non enim hęc explicatio vllo

Digitized by Google

modo congruere poteſt explicationi ſententięque textus. Deinde quamobrem quęſo hominem, qui non immolaſſet, ad tam duram, & auſteram pœnitentiam ſubeundam ſententia ſua Eccleſia adegiſſet. Non ſum quidem neſcius eos non caruiſſe reprehenſione, ac vituperationis infamia, qui quo ſe à neceſſitate ſacrificandi redimerent, pecuniam numeraſſent. Imò & in eoſdem ſupplicium aliquod decretum fuiſſe conſtat. Sed tempore Diui Cypriani planum eſt morem illum è medio ſublatum: idemque author Libellaticos excuſandos cenſet, qui pecuniam dederant, qui quidem Cyprianus, multò antequam Concilium Eliberinum extitiſſet, floruit. Quamobrem non video cur Patres iſtius Concilij, pœnitentiam differre, ac protrahere ad mortem ipſam voluiſſent eos, qui pecuniam aliquam quò minùs ſacrificarent, profudiſſent, pręſertim cùm can. 55. biennij pœnitentiâ mulctarentur, ij qui Paganorum Sacerdotes fuiſſent, & veſtes coronaſque geſſiſſent, mihi quidem videtur id quod can. 55. profertur in maiori crimine ponendum, quàm quod canone tertio dicitur, eoſque qui ſacerdotio Paganorum prędici in Capitolio , alijſque in ſacrificijs ſacerdotalem veſtem, coronamque tulerunt, maiori ſupplicio coercendos eſſe, quàm qui pecuniam tantùm, vt tormenta, & cruciamenta vitarent, ſeque è ſacrificio eximerent, dederint. Vnde colligi quidem illud verè poteſt, non eſſe huius rei ſententiam, aliumque eſſe huius canonis tertii ſenſum inueſtigandum: quò autem hæc explicatio apertior, illuſtriorque ſit, in tres claſſes diuidi poſſe Chriſtianos iudicaſſe Patres, perpendendum eſt

Chriſtianos

Chriſtianos inquam, quibus neceſſitas quædam impoſita fuiſſet, vt ſacerdotium Paganorum ſuſciperent.

Prima claſſis eorum fuit, qui inuiti & reluctantes ſacerdotium inijſſent, ſed qui eius curationem non attigiſſent, neque populum ludis oblectaſſent, neq; Dijs honorem ſupremo Numini debitum perſoluiſſent (demonſtrauimus autem Sacerdotes ludorum ſpectaculis retinere plebem, & delectare ſolitos.) Ij autem can. 55. duorum dumtaxat annorum pœnitentia caſtigantur, quod ad illa munera obeunda, & capeſſenda eſſent coacti, ne ſe Chriſtianos palàm proderent, vel quod bona quædam poſſiderent, quæ muneribus patrimonialibus obligata eſſent. Eccleſia ſagaciſſimè proſpiciebat, ad ea munera repugnanter admotos fuiſſe, proptereáque cum illis leniùs agendum eſſe.

Secunda claſſis eorum, eſt qui Flamines contra quàm volebant creati, & renuntiati fuiſſent, eoque ſacerdotio affecti, & ornati ludos fecerant. Sed qui à ſacrificio abſtinuerant, Patres iſtius Concilij can. 3. perpetuæ eos pœnitentiæ peragendæ addicunt, communione tamen illis in morte non erepta: hic eſt ſenſus, ſententiaque canonis tertii.

Tertia claſſis, fuit eorum qui flamines, & ſacerdotes ſua ſumma voluntate ſe deſignari curarent, quique non ſolùm ludorum celebritate populum leniiſſent, ſed etiam thura Diis adoleuiſſent, Patres eos ex vi canonis 2. excommunicationis perpetuæ fulmine percellunt: eoſdemque in morte communionis beneficio priuant: ſi cui horum trium canonum alius ſenſus,

Digitized by Google

atque intelligentia occurrerit, ex eius ego laude **præ**clari inuenti, çeu explicationis nihil decerpo: ego quidem hanc quam attuli, non à textu ipſo vllo modo diſcrepare, ſed & ſententiæ & iudicio Patrum congruere, rebuſque illis quæ tum à Paganis temporum illorum, quibus Concilium illud indictum fuit, gerebantur, exiſtimo, quemadmodum in notis diximus, quas in illud Concilium protulimus. Supereſt explicetur, & interpretatio proferatur quæ conſentanea ſit ijs, quæ in ſecundo canone dicuntur, *ſi geminauerint ſcelera.* Quatuor fuiſſe ludorum genera nemo non audijt, Circenſes, rem ſcenicam, Agones, & munera, quibus in omnibus Dijs immolare mos erat, cùm illis ipſis ludi dedicarentur. In muneribus autem, çeu ſpectaculis, gladiatores mutuis ſe ſe vulneribus conficiebant, plurima cæde facta, vt populi ſpectantis oculi ſanguine paſcerentur. In ſcenicis ludis, nullum genus impuritatis, & libidinis prætermittebatur Tertulliano teſte. *Theatrum propriè Veneris ſacrarium eſt.* Item, ***non theatrum, ſed & Veneris templum nuncupauit***: à quibus impuritatibus, quaſi à quodam fonte & ſeminario innumerabilium peccatorum, & vitiorum vis incredibilis profluxit, in quibus etiam floralia exhiberi & exerceri ſolita conſtat. Sacerdotes igitur, & Flamines, cùm populum ſpectaculis recrearent, tria in ſe peccata admittere poterant, Idololatriam, Homicidium, & Adulterium: ſacrificabant namque ipſo aditu, initioque ludorum in gladiatoria pugna, aut ſcenicis ſpectaculis adulterio ſe, & homicidio polluebant, aut ſaltem authores ſe illorum ſcelerum conſtituebant, cùm lu-

Digitized by Google

dorum illorum ſumptus ſuſtinerent, iiſque præeſſent.

Alia etiam ſubſtitui poteſt explicatio, in illis canonibus mentionem fieri illorum, qui non tantùm ſacrificauerant, ſed etiam præter idololatriam, priuatim homicidia, & adulteria perpetrarant. Nam in 3. can. verba illa ad hunc torquenda ſunt ſenſum, nec cum priore explicatione ſatis conueniunt. (*Ipſi ſi poſt pænitentiam fuerunt mœchati*) quibus apparet Patres loqui de Flaminibus, qui ob flaminia & ſacerdotia ſuſcepta agerent pœnitentiam: quod ſi ita eſt, prior explicatio non admittetur, credibile enim non eſt quo tempore à ſe pœnitentiæ pœnas repeterent, Flaminum munera exercere, & obire voluiſſe, cùm eius rei causâ pœnitentiâ ferirentur.

Canone autem ſtatui decernique ſentimus, vt pœnitẽtiæ locus eiuſmodi Flaminibus tribuatur, ſi pœnitentiæ tempore adulterari eos contingat, tum demum indignos cenſeri, qui in exitu abſoluantur, quod ludibrio quodam communionem & pœnitentiam habuerint, cùm quo tempore eos pœniteret, peccarint. Quo in loco negotioque illud verbum, *poſt pænitentiam*, quaſi per tranſennam ponderandum eſt, vt diſcamus id quoque non dici, aut ſignificare poſt peractam pœnitentiam, aut ſi Flamen ipſe, abſolutâ antè pœnitentiâ, in adulterium incurreret: nam cùm canon perpetuâ illum pœnitentiâ puniendum cenſeat, eius non erat vnquam pœnitentiæ finis aut modus expectandus: neque canon de illo pœnitente dicere poterat: *Si poſt pænitentiam fuerit mœchatus*, ſed eſto hic ſenſus, vbi Eccleſia beneficium tribuerit, vt pœnitentiæ remedio ſeſe.

Digitized by Google

erigat,ſi in peccatum prolabatur,neque enim Eccleſia omni generi hominum eam impertiendam duxit: neque quiſque ſine eius præſcripto atque imperio ea vti poterat: ſi igitur, Flamen admiſſus ad pœnitentiam quæ ei data fuerat ob ludos populo datos, adulterio ſeſe pœnitentiæ tempore contaminaret, is per Eccleſiam communionis beneficio,in morte priuabatur: atque ego quidem ſentio aliter explicari non poſſe verba illa, *Si poſt pænitentiam.* Quartus canon de Cathechumenis ſermonem inſtituit, qui in ipſo Catechumenatu, Sacerdotio, & Flaminio paganorum fungerentur: neque tamen ſacrificaſſent. Ij autem canone illo,triennii pœnitentia puniebãtur,qua in re ſeſe duæ obijciunt difficultates: vna,an triennij tempora, aut pœnitentiam,aut catechumenatum reſpiciãt, hoc eſt, an Patres triennium pœnitentiæ, aut catechumenatus prorogent: mihi quidem videtur, triennium illud ad tres annos pœnitentiæ reduci poſſe: catechumeni namque publica pœnitentia caſtigabantur, ob illa quæ in ipſo catechumenatu peccata commiſerant, ex vi canonum 5. can. Neocæſ. & 14. Nicæni Concilij.

Secunda difficultas, hoc Concilio grauiùs in Catechumenos animaduerti, qui ad ſacerdotia acceſſerant, quàm in Baptizatos, nam hi canone 55. non niſi duorum annorum pœnitentiã ſubeunt, illi autem trium: ad id reſponderi poteſt,triennium pœnitentię, qua catechumenus mulctabatur, non ita graue acerbumque videri, vt biennium, quo baptizatus puniebatur, non enim Catechumenus excommunicatus erat: neque ab Eccleſia illi, vt baptizato, interdictum erat, ob id maxi-

Digitized by Google

mè quod in Eccleſiæ gremium ſinumque nunquam admiſſus fuiſſet, quod vnum baptizatus ignominiæ, & ſupplicij grauioris loco duceret. Quod ad S. Innocentij loca attinet, eorum perfacilis eſt ſolutio ex ijs quę ſuprà allata ſunt, ſi meminerimus Curiales ad ea procuranda quæ ipſorum curæ commiſſa erant, & ad alia officia quæ alibi adminiſtranda ſuſceperant, obligari: quod ſi à ſuis digreſſi ciuitatibus aliò longiùs conceſſiſſent, legum vi teneri eò redire, vt ſuarum vrbium munera obirent, quæ & ludos, & ſacerdotia complecterentur, ideoque S. Innocentius vetat omninò ad ordines Eccleſiaſticos eiuſmodi genus hominum promoueri.

D. CYPRIANI EPISTOLÆ AD ANTONIANVM LOCVS INSIGNIS DE ſummi Pontificis Auctoritate.

OBSERVATIO XXIII.

SCRIBIT D. Cyprianus Ep. ad Antonianum, *cùm multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduerſus ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem.* Quod cuiuſmodi ſit, non miror ab interpretibus ignorari; ſed eos qui omnia vndiquè argumenta ad ſummi Pontificis probandam authoritatem colligunt, hoc tam præclarum eius ſummæ authoritatis, & poteſtatis teſtimonium prætermiſiſſe. Quod enim præclarius aut magis

Digitized by Google

inſigne reperiri poteſt quàm eius dignitatẽ illis temporibus eò deueniſſe potentiæ, vt Ethnicis Principibus qui rerum potiebantur, non ſolùm inuiſa & ſuſpecta eſſet, ſed etiam æmulationem pareret? qua enim ratione æmuli eſſe potuiſſent, niſi de ſumma authoritate inter eos aliqua fuiſſet contentio? vel ſaltem exiſtimaſſent Cæſares tantùm ſibi detrahi, quantùm ab omnibus Chriſtianis obſequij, & obedientiæ ſummis Pontificibus præſtaretur. Quod verò maior pars militum, ciuitatum, curiæ, vrbis denique, & orbis, eſſet Chriſtiana: quod nullis minis nulliſue ſupplicijs ab hac ſecta, & religione poſſent deterreri Chriſtiani: quod tanta inter ſe eſſent animorum, & voluntatum ſocietate coniuncti, quod ij omnes non ſolùm vnius ſummi Pontificis Romani dicto audientes eſſent, ſed etiam eius nutu, quocunque iuberet, ferri poſſent; quantum Imperatoribus negotium mouiſſe, & in Romanos Epiſcopos inuidiam excitaſſe putatis?

Accedebat etiam quod ab Auguſto omnes Imperatores Pontificatus Maximi, atque Tribunatus plebis poteſtatem, & nomen vnà cum imperio retinuerant. Satis enim illis ad imperium tuendum, eiuſque integram ſibi authoritatem conſeruandam, nudum Imperatoris nomen validum non videbatur, ni etiam cæteræ poteſtates, quæ olim apud populum alicuius fuerant momenti, accederent. Suetonius in Auguſto cap. 31. *Poſtquam Pontificatum maximum, quem nunquam viuo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demùm ſuſcepit.* Dio lib. 53. in Auguſto. *Quod autem omnibus ſacerdotijs inaugurati ſunt, ac pleroſque in ea collegia adſciſcunt, ſem-*

Digitized by Google

perque vnus eorum, ſiquidem duo vel tres ſimul Imperatores ſunt, ſummum Pontificatum gerit: eò fit vt omnes religiones, & ſacrificia in ſua habeant manu. De Macrino etiam fertur à ſenatu Pontificem Maximum ſalutatũ, quâ appellatione electio militum cõprobatur. Apud Zoſimum lib. 4. legimus. *Simul enim atque ſummum Imperium quiſque conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Max. titulus ei tribuebatur: ac cæteri quidem Principes vniuerſi lubentiſſimis animis hunc honorem accepiſſe, & hoc vſi titulo videntur, adeoque Conſtantinus etiam, potitus imperio; licet is à rectâ ſacris in rebus viâ deflexerit, & fidem Chriſtianorum amplexus ſit: itemque poſt illum reliqui ordine ſecuti, & Valentinianus, & Valens. Cùm ergo Pontifices, ex more, talem Gratiano amictum attuliſſent, auerſatus eſt id, quod paterant; ratus non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum vti. Cúmque ſtola Flaminibus reddita fuiſſet, aiunt eum qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum breui Pontifex Maximus fiet.*

Omnes igitur Imperatores veteribus inſtitutis & religionibus erant conſecrati, & rerum ſacrarum Præſides, & Pontifices Maximi appellabantur, nullamque aliam ob cauſam in Romanos Epiſcopos incitabantur, niſi quod honores & titulos ſibi debitos adſumerent, & de eadem quaſi dignitate contenderent. Gratianus verò quod eſſet Chriſtianus, Pontificem Maximum ſe appellari paſſus non eſt, ne aduerſus religionem ſuam quicquam moliri videretur.

Vnde licet colligere hoc Pontificis Maximi nomen

inſigne reperiri poteſt quàm eius dignitatē illis temporibus eò deueniſſe potentiæ, vt Ethnicis Principibus qui rerum potiebantur, non ſolùm inuiſa & ſuſpecta eſſet, ſed etiam æmulationem pareret? qua enim ratione æmuli eſſe potuiſſent, niſi de ſumma authoritate inter eos aliqua fuiſſet contentio? vel ſaltem exiſtimaſſent Cæſares tantùm ſibi detrahi, quantùm ab omnibus Chriſtianis obſequij, & obedientiæ ſummis Pontificibus præſtaretur. Quod verò maior pars militum, ciuitatum, curiæ, vrbis denique, & orbis, eſſet Chriſtiana: quod nullis minis nulliſue ſupplicijs ab hac ſecta, & religione poſſent deterreri Chriſtiani: quod tanta inter ſe eſſent animorum, & voluntatum ſocietate coniuncti, quod ij omnes non ſolùm vnius ſummi Pontificis Romani dicto audientes eſſent, ſed etiam eius nutu, quocunque iuberet, ferri poſſent; quantum Imperatoribus negotium mouiſſe, & in Romanos Epiſcopos inuidiam excitaſſe putatis?

Accedebat etiam quod ab Auguſto omnes Imperatores Pontificatus Maximi, atque Tribunatus plebis poteſtatem, & nomen vnà cum imperio retinuerant. Satis enim illis ad imperium tuendum, eiuſque integram ſibi authoritatem conſeruandam, nudum Imperatoris nomen validum non videbatur, ni etiam cæteræ poteſtates, quæ olim apud populum alicuius fuerant momenti, accederent. Suetonius in Auguſto cap. 31. *Poſtquam Pontificatum maximum, quem nunquam viuo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demùm ſuſcepit.* Dio lib. 53. in Auguſto. *Quod autem omnibus ſacerdotijs inaugurati ſunt, ac pleroſque in ea collegia adſciſcunt, ſem-*

Digitized by Google

perque vnus eorum, ſiquidem duo vel tres ſimul Imperatores ſunt, ſummum Pontificatum gerit: eò ſit vt omnes religiones, & ſacrificia in ſua habeant manu. De Macrino etiam fertur à ſenatu Pontificem Maximum ſalutatũ, quâ appellatione electio militum cóprobatur. Apud Zoſimum lib. 4. legimus. *Simul enim atque ſummum Imperium quiſque conſequebatur, amictus ei ſacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Max. titulus ei tribuebatur: ac cæteri quidem Principes vniuerſi lubentiſſimis animis hunc honorem accepiſſe, & hoc vſi titulo videntur, adeoque Conſtantinus etiam, potitus imperio; licet is à rectâ ſacris in rebus viâ deflexerit, & fidem Chriſtianorum amplexus ſit: itemque poſt illum reliqui ordine ſecuti, & Valentinianus, & Valens. Cùm ergo Pontifices, ex more, talem Gratiano amictum attuliſſent, auerſatus eſt id, quod poterant; ratus non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum vti. Cúmque ſtola Flaminibus reddita fuiſſet, aiunt eum qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum breui Pontifex Maximus fiet.*

Omnes igitur Imperatores veteribus inſtitutis & religionibus erant conſecrati, & rerum ſacrarum Præſides, & Pontifices Maximi appellabantur, nullamque aliam ob cauſam in Romanos Epiſcopos incitabantur, niſi quod honores & titulos ſibi debitos adſumerent, & de eadem quaſi dignitate contenderent. Gratianus verò quod eſſet Chriſtianus, Pontificem Maximum ſe appellari paſſus non eſt, ne aduerſus religionem ſuam quicquam moliri videretur.

Vnde licet colligere hoc Pontificis Maximi nomen

Digitized by Google

nominiſque authoritatem, & poteſtaté penes Romanos Epiſcopos ſemper fuiſſe. Nam quorſum Gratianus eam vel cum vitæ diſcrimine recuſaſſet, ni rem contrariam Chriſtianorum inſtitutis ſibi viſus eſſet facere? Decius quoque qua ratione in Cornelium tanto impetu inuectus fuiſſet in hunc honoré ſimul cum poteſtate ſibi ereptum, & ad Romanos Pontifices tranſlatum iri indignatus eſſet? His adde Tertulliani teſtimonium de Pudicitia, qui Romanæ vrbis Epiſcopum Pontificem Maximum appellat.

Quod autem D. Cypriani verba de ea æmulatione, non verò de Nouatiano, vt Bonus explicat Pamelius, ſint accipienda, non alio, neque magis firmo vtar argumento, quàm his quæ ſequuntur. *Tyrannum armis & bello poſtmodum victum prior ſacerdotio ſuo vicit:* ait Beatum Cornelium ſacerdotio viciſſe Decium; quia de Pontificatu maximo cùm inter eos eſſet certamen, victoriam Cornelius reportaſſe videtur, qui in eadem dignitate ſuperſtes reſtiterit.

PETERE MARITVM A VIDVA.

OBSERVATIO XXIV.

QVo minùs ab Interpretibus præſcripta eſt cuiuſdam ſermonis ſententia, eò maiore in ea quærenda, & inueſtiganda voluptate duci debemus, cùm pulchrum illud ſcituque iucundum cenſeri neceſſe ſit, quod eorum oculos effugerit, vt accidit in hiſce Tertulliani verbis,

Miror

Miror conſiliariorum præuaricationem, atque his quæ habentur in libro de Monogamia, *Petere maritum ab Epiſcopo, à vidua.* Nam cùm ea ab omnibus præteriri viderem, & obſcurari potiùs, quàm exponi, ſuſpicatus ſum id quod erat; aliquid in hiſce contineri, quod ad priſcam illam diſciplinam pertineret, cuiuſque explicatio gratiam, apud eos qui cognitione rerum antiquarum delectantur, inueniret.

Itaque cùm in his explicandis nonnihil ſollicitus eſſem, eaque inter ſe diu, multúmque conferrem: tandem reperi in Eccleſia olim ſtatutum fuiſſe, ne quiſquam vxorem duceret, aut de nuptijs cogitaret, quin priùs Eccleſiam, id eſt Epiſcopum, ſacerdotes, viduas, cæterumque clerum conſuluiſſet, eiſque conditiones futuri coniugis, ſtatum, religionem, ſectam, patriam denique, ac mores, & ætatem expoſuiſſet.

Huiuſce legis cauſam cùm exquirerem, non alia mihi occurrit, quàm quod primis illis temporibus, omne ſtudium, ac diligentiam adhiberent, ne parua manus Chriſtianorum pollueretur, aut eorum quiſquam Gentilis coniugio, vel Iudæi, aut hæretici macularetur. Multa præterea incommoda ex eiuſmodi coniugijs, & matrimonijs futura prauidebant. Nam quid ſibi coniuges negare, aut celare poſſunt? ſcilicet vxor immerſa in Gentilis conſuetudinem, & eius amore flagrans, religionis arcana, & ſacramenta reticuiſſet? aut eam à ſuo latere diſcedere, & noctu cum cæteris conuenire æquo animo tuliſſet maritus? Accedit etiam quod ijſdem artibus, eiſdemque blanditijs, aut minis fidem vxoris facilè Gentilis expugnaſſet.

Denique cùm exorta noua aliqua in Chriſtianos inuidia, conuentus ſuos clanculùm agere cogerentur, cuiuſlibet mulierculæ indicijs, quæ vitiata & corrupta eſſet à marito, omnes ſimul vnà intercipi, & opprimi potuiſſent. Ob eas igitur cauſas Eccleſiam olim præcepiſſe reor, ne quiſquam matrimonio iungeretur, quin priùs Epiſcopos, aut ſacerdotes concilii ſui participes feciſſet.

Tertullianus lib. 2. ad vxorem, non modò eam mulierem increpat, quod Gentili nupſerat, verùm etiam eos qui eiuſmodi nuptiarum authores extiterant. *Miror conſiliariorum præuaricationem*, quos præuaricationis nequaquam inſimulaſſet, ni officio defuiſſent, & fidem quam in hiſce rebus præſtare debuerant, violaſſent. Eodem libro laudat nuptias quæ authoritate Eccleſiæ, & conſilio factæ ſunt. *Quibus laudibus efferam matrimonium illud, quod Eccleſia conciliat.*

Libro de Monogamia extant verba difficillima, quæ niſi ad hunc ritum, & Eccleſiæ legem & ſtatutum referas, nequaquam explicabis: *vt igitur in Domino nubas, ſecundum legem & Apoſtolum (ſi tamen id curas) qualis es, id matrimonium poſtulans, quod eis à quibus id poſtulas non licet habere ab Epiſcopo Monomago, à presbyteris, ac Diaconis eiuſdem ſacramenti, à viduis quarum in te ſectam recuſaſti*, quandam mulierem percunctatur, quâ fronte, quáue audaciâ poterit maritum ab Epiſcopo Monogamo petere, & à vidua: vnde manifeſtum fit, nihil aliud eſſe mulieres petere maritum ab Epiſcopo, aut à viduis, quàm eis nubendi conſilium & futuri coniugis viuendi conſuetudinem & mores exponere:

Digitized by Google

vt ſi honeſti, & à lege Chriſti minimè alieni viderentur, ſaluâ fide & religione nubere poſſent, nam de nuptiali benedictione verba illa nequeunt explicari, cùm de Diaconiſſis, id eſt viduis, illic ſit mentio, quibus ne quidem in Eccleſia loqui fas eſſet. Atque vt faciliùs intelligi poſſit, quid ſit, *Petere maritum à vidua*, de earum numero, & officio non erit abs re pauca commemorare. Vt ſacerdotes à conſuetudine, & mulierũ familiaritate longiùs amouerentur, certæ quædam viduæ, natæ annos magis ſexaginta, cæteris mulieribus præficiebantur, vt non ſolùm eas ope & conſilio in domeſticis negotiis iuuarent: ſed etiam vt eis in rebus ſacris, & religionis ritibus operam ſuam præſtarent. Igitur hæ viduæ & Diaconiſſæ ad hoc erant inſtitutæ, vt Catechumenas primis fidei rudimentis domi imbuerent, docerent, formarent, cùm paulò ante Baptiſmum eſſent lauandę, vngendæ, immergendæ, (ne ſacerdotum oculi læderentur) præſto aderant hæ viduę, quæ iis omnibus manum admouebant. Difficillimis quoque Eccleſię temporibus, poterant ſine ſuſpicione per domos diſcurrere, Epiſcoporum mandata deferre, mouere, colligere, preces denique, ieiunia, peruigilia, ſtationes iungere, ſi quid ab Epiſcopo cæteræ mulieres cuperent obtinere, iiſdem viduis vtebantur, quibus ſolis illius adeundi tum erat poteſtas: nuptias, neque facere, neque de iis cuiquam mulierum fas erat cogitare, quin priùs per eaſdem viduas Epiſcopum conſuluiſſent. Petere igitur maritum à vidua, eſt cum vidua communicare, cui, aut qua de cauſa quępiam nubere vellet. In eandem planè ſenten-

tiam accipienda ſunt quæ eodem libro leguntur. *Et illi planè ſic dabunt vxores & viros, quomodo buccellas,* dare enim vxores & viros, nihil aliud eſt, quàm nubendi poteſtatem facere.

CHRISTIANVS, FIDELIS, SANCTVS, IVSTVS.

OBSERVATIO XXV.

PLACET hoc loco referre, quæ fuerit apud Antiquos horum nominum, Chriſtanus, Fidelis, Sanctus, Iuſtus, vera & germana ſignificatio: nam etſi ea nimis trita & nota eſſe videantur, aliquid tamen habent non plebei aut vulgaris ſaporis, quorum non ingrata videbitur explicatio. Infantes in ipſis hodie Baptiſmi aquis Chriſtiani nomen cum ipſa gratia hauriunt, eoque nomine vocantur, antequam diuino Chriſmate perfuſi Spiritum Sanctum induerint, quos tamen Antiquitas pro Chriſtianis non agnouiſſet, cùm eos dumtaxat Chriſtianos eſſe cenſeret, qui Spiritu Sancto confirmati, & oleo Sancto obliti eſſent. Tertullianus de Pudicitia. *Nam ſi Chriſtianus eſt, qui acceptam à* DEO *patre ſubſtantiam vtique baptiſmatis, vtique Spiritus Sancti, & exinde ſpei æternæ:* Concilium Eliberitanum canone trigeſimo nono. *Gentiles ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos:* Beatus Cyrillus Hyeroſolomitanus Catecheſi tertia. *Huius ſancti Chariſmatis dono accepto, meritò appellamini Chriſtiani, veram efficien-*

Digitized by Google

tes appellationem, in ipſa regeneratione, antè enim quàm hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes, eò vſque progreßi eſtis, vt efficeremini Chriſtiani: nemo enim Chriſtiani nomen olim ſortiebatur, nemo perfectus exiſtimabatur Chriſtianus, qui dono Spiritus Sancti confirmatus, & donatus non eſſet: quemadmodum enim baptiſmi aquis traduces, & originales noxæ deterguntur, ita pretioſo Spiritus Sancti oleo, & vnguento anima quæ in baptiſmo emerſit deterſa & candida, cæleſtibus donis varijſque beneficijs veſtitur, & ornatur: illud ad purgandú, hoc ad ornandum inſtituta eſſe videntur: quapropter cùm ſine eiuſmodi virtutibus nemo poſſit Chriſto ſimilis effici, ideo confirmatione cenſemur fieri Chriſtiani: quæ res à Patribus Concilij Laodicenſis his verbis indicari videtur. *Oportet eos qui baptiſantur, poſt lauacrum chriſma accipere, Eccleſiæ & regni Chriſti participes inueniri*: regnum enim Chriſti poſſidere, nihil aliud apud Patres, & antiquos eſſe reperies, quàm eiuſdem fidei regulam, virtutes, viuendique rationem ab eo præſcriptã imitari: eodem B. Pauli verba accedunt, *qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto.* Vrbanus paucis, ſed quæ manifeſtè, & liquidò demonſtrent confirmatione nos fieri Chriſtianos: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt plenè Chriſtiani inueniantur.*

Propterea etſi innumera in nos beneficia, inſigniaque diuinæ liberalitatis munera, confirmatione, & Spiritus Sancti aduentu accumulentur, & conferantur, quibus perfecti efficimur Chriſtiani, & conformes fi-

Digitized by Google

lio Dei; tamen hoc vno Sacramento Chriſtiani nomen vel præcipuè meremur, quod oleo ſancto, corpus, & Spiritu diuino anima noſta vngatur & perfundatur, vt hac duplici vnctione deliniti, vncti, & Chriſti dici poſſimus, Tertullianus. *Caro vngitur, vt anima conſecretur.* D. Cyrillus Hieroſol. *Participes ergo Chriſti effecti, merito Chriſti, hoc eſt vncti vocamini, & Deus dixit de vobis, nolite tangere Chriſtos meos. Chriſti verò eſtis facti, poſteaquam Sancti Spiritus imaginem recepiſtis.* Canon quadrageſimus quartus Eliberini concilij, his repugnare, & obſtare videtur, qui ex emendatione Garſię, catechumenos vocat Chriſtianos; verùm vulgaris lectio mihi magis probatur. *Si eum de clero quiſquam agnouerit, voluiſſe eſſe Chriſtianum.*

Fidelis diſtinguitur à catechumeno, & à confirmato, non enim inter fideles adſumebantur, qui fidem in baptiſmo, aut qui chariſmata, & dona Spiritus Sancti, ipſumque Spiritum Sanctum in confirmatione adepti eſſent: verùm ij ſolùm cenſebantur, & appellabantur fideles, qui ijs duobus ſacramentis muniti, Euchariſtiâ inſuper donarentur: cùm enim ea ſit ſummum Chriſtianæ Religionis myſterium, arcanum, & Sacramentum, non cuiuis olim temerè cõcedebatur, ſed ei dumtaxat qui multò antea morum, & probitatis ſuæ ſpecimem exhibuiſſet, quique ſe ita fidum probaſſet, vt tutò ei myſteria diuulgari poſſent. Is igitur vocabatur fidelis, non qui baptizatus, aut confirmatus ſed qui Euchariſtiæ ſacris participaſſet.

Sanctos & iuſtos non ſolùm eos intelligas, quos Eccleſia poſt mortem vindicaſſet, & in beatorum nume-

rum retuliſſet:ſed etiam eos qui inter mortales viſerentur, ſi eximię eſsēt pietatis: hoc auſim affirmare, authoritate adductus canonis ſeptimi Concilij Mileuitani: *Item placuit, vt quicunque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita noſtra, vt non hoc pro ſeipſis dicant, quia non eſt eis iam neceſſaria iſta petitio, ſed pro alijs qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere vnumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, vt hoc pro aliis potiùs, quàm pro ſe iuſtus petere intelligatur, anathema ſit: Sanctus enim & iuſtus erat Apoſtolus Iacobus, cùm dicebat: in multis enim offendimus omnes,* Tertullianus ad vxorem libro ſecundo, *permiſerat ſancti vulgò nubere*, ijs in locis homines vocantur Sancti antequam cælo eſſent recepti, & cùm adhuc in terris agerent: Et ſi verba illius canonis concilij Mileuitani attendantur, de Epiſcopis, Preſbyteris, & ijs qui plebem regerent, accipienda videntur, nam laicis hæc non conueniunt: *Sed pro alijs qui ſunt in ſuo populo peccatores*: Item illa, *vt hoc pro alijs, potiùs quàm pro ſe petere iuſtus intelligatur:* neque enim populo præerant, aut pro eius ſalute ſacra perſoluebant, in concilio Eliberino hæc vox, *Iuſtus*, aliud ſignificare videbat, quàm in alijs concilijs. *Quod ſi ante de ſæculo receſſerit ſub fide quâ quis crediderit, poterit eſſe iuſtus:* hoc eſt ſi quis è viuis receſſiſſet nondum confirmatus, is tamen inter ſanctos recenſeri potuiſſet, eius oblationes recipi, & precibus inuocari: eadem verò vox in concilio Mileuitano de viuis dicitur, & huic alteri, *Sanctus*, reſpondet, eandemque rationem referre videtur.

Finis primi libri Obſeruationum.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIMA

CATECHVMENORVM POENITENTIA.

OBSERVATIO I.

IN veterum Patrum monimentis, primis ſæculis non verbum iſtud, *Pœnitentia*, ad indicandum pœnitentiæ Sacramentum animaduertas, ſed ad dolorem, & angorem animi ſignificandum, qui ex turpitudine peccati admiſſi proficiſcatur, quo affecti, ad pœnitentiam de perpetrato peccato peragendam, impellimur: adde quod pœnitentiæ verbum, ad pœnas laboreſque maximos, quos pœnitentes ob ſcelera à ſe ſcelerate concepta, declarandos, excipiebant, nonnunquam pertinebat. Huius autem ſignificationis, *Pœnitentiæ*, olim duo genera fuerunt, quorum illa, quæ ante Baptiſmũ ſuſcipiebatur, prima vocabatur: Quæ autem poſt Baptiſmum, ſecũda. Permagni autem intereſt, vtriuſq; pœnitentiæ vim rationemque penitus cognoſcere: ſed etiam diſcrimen differentiamque vtriuſque, atque adeo conuenientiam quandam non ignorare; perſępè

Digitized by Google

quippe, vtriuſque apud antiquos Patres plurimis in locis mentionem fieri videas: ſic vt qua in re diſcrepēt, ſi id te lateat, hallucineris omnino oportet. Prima igitur, quæ ante Baptiſmum fieret à Catechumenis, dicebatur: Secunda verò, non niſi ab ijs qui ſuſcepto Baptiſmo peccaſſent, peragebatur: Primam non Epiſcopus, non quiuis Sacerdos imponebat, ſed ſibi eam ad voluntatem, aut arbitrium, Catechumenus irrogabat: contrà, quod ad ſecundam attinet, quas decreuiſſet, aut præfiniſſet pœnas, aut ſupplicia Epiſcopus, pro grauitate & atrocitate criminum, ea exactè omnia pœnitens obſeruanda ſibi ducebat. Prima intra priuatos parietes agebatur, hoc eſt, Catechumeni non in publicum prodire, aut ſe ſe in populi conſpectum dare, horrido quodam ſacco veſtiti cinere, & pudore obſiti, ſqualidique cogebantur; neque ad limina, aut fores Eccleſiarum progredi, vt prætereuntium ſe ſupplicationibus, comploratione quadam facta commendarent: ſed pro voluntate & arbitrio, à ſe pœnas ſceleribus debitas repetebant, protractâ ductâque in longum tempus pœnitentiâ: aut verò ita ſi vellent, ad breue ſpatium prolata, & quantum doloris ex flagitijs, quæ ante agnitam perſpectamque fidem Chriſtianam in ſe nefariè admiſiſſent, concipiebant: vno verbo prima illa pœnitentia, non vt ſecunda, publica dicebatur, neque ab Epiſcopo imperabatur; quibus maximè circumſtantijs, inter ſe duo illa genera pœnitentiæ diſtinguebantur: ſed quoniam non pauci reperiuntur, qui hac de prima pœnitentia ſcripſerunt, & qui Patrum teſtimonia quæ ad eam pertinent, aliter

explicant: hoc eſt opinantur, hanc pœnitentiam publicè exerceri ſolitam, & ab Epiſcopo fuiſſe impoſitã, vtrumque probare aggrediemur, ea perſpicuitate, vt lectoris iudicio, clarius nihil eſſe poſſit.

Publicam non fuiſſe pœnitentiam, Catechumenoſque non fuiſſe coactos in foribus, aut limine templorum, pœnitentiæ leges ſubire; neque quas baptiſati tolerare tenebantur pœnas, & afflictationes, argumento & iudicio illud eſt, quod nullibi apud patres deprehendas; neque collum proferre exemplum poſſis, quo quiſquam Catechumenus, ſqualido quodam ſacco coopertus, in conſpectum Eccleſiæ ſe ſe dederit: Deinde non ea de re, vllum verbum factum legas, quempiam Catechumenum pœnitentiæ publicæ gradum ingreſſum, aut inter flentes lamentanteſque, aut audientes, ſubſtratos, aut ſine oblatione communicantes, qui ſunt quatuor pœnitentiæ publicæ gradus: Tertullianus, cuius de pœnitentia liber extat, quique primam illam pœnitentiam ſeptem primis capitibus depinxit, Primam illam non fuiſſe publicam commemorat, aut certè nihil quod ad id indicandum pertineat, videtur attuliſſe; neque Catechumenos vnquam exomologeſi faciendæ addictos; ſed cùm de ſecunda loquitur, omnes exactè, & enucleatè percenſet pœnas, & exomologeſes publicas, quas ſubire oporteret, quibus ſecunda imponebatur: Deinde, apertè docet ſecundam, non clàm, ſed palàm & in oculis omnium fieri oportere: neque tantùm de peccato quod commiſeris priuatim, procùl à conſpectu populi, dolorem ſuſcipiendum; ſed etiam manifeſto aliquo, quod oculis

Digitized by Google

omnium expromatur, ſigno declarandum: quod à Tertulliano dictum eſt, vt quid inter primam & ſecundam pœnitentiam interſit, multóque plus difficultatis & negotij in ſecunda, quàm in prima, laboreſque maiores in ſecunda quàm in prima exhauriendos demonſtret: vnde coniectura perfacilis primam ſine exomologeſi, priuatim, domi, omiſſa omni publica auſteritate quæ omnium oculis pateat, conſtare.

Qui autem conſiderarit, quid Patres iudicarint, de peccatis ante Catechumenatum commiſſis, & de ijs quæ poſt Baptiſmum, non opinor inſulsè exiſtimarit pœnitentiam, quam ob prima peccata requirerent, non fuiſſe acerbam, neque grauem: Nam Patres vocant illa peccata *inuoluntaria*, hæc, *voluntaria*, quod qui in legis alicuius ignoratione verſatur, non ei poteſt eius violandæ aut perfringendæ voluntas aſſignari, & quaſi omnis culpæ liberatione dignus eſt, cùm id eum feciſſe contigerit: *Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod* D*omino agnito, præceptiſque eius admiſſis, denique pænitentiâ delictorum functus, rurſus te in delicta reſtituis, ita in quantum ignorantiâ ſegregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris.* Tertullianus de Pœnitentia, Cap. 5.

Quin ipſa prima pœnitentia ad Baptiſmum, non erat neceſſitate abſolutâ neceſſaria, & pleriſque ſine ea ſacro ablutos fonte conſtat: ex quo coniectari poteſt, minimùm in ea aſperitatis, aut acerbitatis fuiſſe: quò referri & reuocari poſſunt, quæ plerique Patres dicunt, non ad Baptiſmum obtinendum opus eſſe pœnitentia, tantumque ad id requiri, voluntatem ani-

Digitized by Google

mumque recipiendi Baptiſmum, teſte Diuo Ambroſio cap. 11. ad Romanos, *Verùm eſt quia gratia* Dei *in baptiſmate non quærit gemitũ, aut planctũ, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem*, in eadem mente Diuus Cyrillus, *Nihil aliud a nobis* Deus *requirit præter voluntatem bonam, ne dixeris, quomodo mea peccata delebuntur? ego affirmo tibi quod volendo & credendo.* Non quod illos fugerit à Catechumenis non vitatam eſſe pœnitentiam, eiuſque ſuſcipiendæ ante Baptiſmum talem fuiſſe modum & ordinem: ſed quod intelligi volunt ante Baptiſmum, neceſſitate abſolutâ non eſſe neceſſarium, atque ita factâ, aut non factâ pœnitentiâ, Baptiſmum poſſe adiri: Diuum Ambroſium in ea opinione eſſe, pœnitentiam publicam, cæteraſque omnes exomologeſes, quæ in ſecunda pœnitentia fierent, non eſſe ſuſcipiẽdas in prima, neque item cruciatus omnes, aut labores quos in ſecunda perpeti oporteret, eſſe perferendos: Mea certè ſententia, & teſtimonia Patrum quę ſunt eiuſdem ſententiæ, ad eum omnino modum eſſe explicanda opinor, quod Vicecomes cùm à vero ſenſu aberrarit, emendare & corrigere Diuum Ambroſium animum induxit, *Quod ſi S. Paulus ad Romanos ei affirmare videtur, Baptiſmum ſine pænitentia miniſtratum eſſe, cùm ait, ſine pænitẽtia enim ſunt dona, & vocatio Dei, eòque magis, quoniam S. Ambroſius eum locum ſic exponit dicens, Verum eſt, quia gratia* Dei *in Baptiſmate non quærit gemitũ aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem, tamen nemo me à ſuſcepta ſentẽtia dimouerit, cùm certò ſciam Apoſtoli verba in alium ſenſum accipi oportere, & S. Ambroſii expoſitionem (quod aſſero inuitus) paulò arctiorem*

Digitized by Google

eſſe, nec videri huic loco congruere.

Non illubenter autem ex ijs percunctarer, qui primam iſtam pœnitentiam publicam fuiſſe volunt, cuius ſentẽtiæ adſtipulator eſt Vicecomes, qui ait *ex 55. autem Mart. & Petri vita manuſcripta, quam Laurentius Surius doctrinæ fama præſtãs, in lucem edidit, manifeſtè conſtat, pœnitentiam à baptiſandis publicè peractam fuiſſe.* Si pœnitentes Catechumeni quatuor illos pœnitentiæ publicæ gradus non percurrebant, ſi non lamentarentur, ad genua in foribus templi non prouoluerentur, ſi non erant ſubſtrati, ſi ſine oblatione non communicabãt, ſi quatuor illis gradibus non addicebantur, quomodo publica erat eorum pœnitentia? ſi dicant in perpetuũ tempore ſuæ pœnitentiæ extra Eccleſiæ limen Catechumenos ſtetiſſe: non ergo laboribus pœnitentium defungebantur: quod autem quatuor pœnitentiæ publicæ gradus non obierint, certum eſt, quia quartus ille gradus qui in eo verſabatur, vt qui in eo templum ingrederetur, ſupplicationibus, & explicationi myſteriorum & Euangelij, omiſſa tamen omni cura & cogitatione oblationum, intererat, à quibus arcebãtur Catechumeni: nam ante explicationem myſteriorum egrediebantur, neque in partem precum ſancti ſacrificij interiorum veniebant, cùm multò antè egrederentur; contrà, quarti gradus pœnitentes ad id vocabantur. Ad extremum, nuſquam reperies Catechumenos, publicæ pœnitentiæ peragendæ fuiſſe deditos: exiſtimare autem, & aſſeuerare non eandem publicam pœnitentiam cum baptiſatis ſubire, ſed multò aliam & diuerſam, id ipſis probare multò difficillimum: neq;

Digitized by Google

facilè nodum illum diſſoluerint.

Ex ijs teſtimonijs ſeu rationibus, quibus oſtendemus pœnitentiam iſtam primam non fuiſſe ab Eccleſia impoſitam, aut inductam, facile erit conijcere, non eſſe publicam: cauſa autem præcipua, quæ me eò pertraxit, vt credam non fuiſſe imperatam; hæc eſt: eam iam inde ab initio Catechumenatus, hoc eſt, paulò pòſt impoſitam: & Catechumenorum confeſſio ſeu exomologeſis, non niſi paucis ante Baptiſmum diebus fiebat; quare non capio quomodo Eccleſia pœnitentiæ cuiuſdam onus imperarit, niſi priùs peccata recognouiſſet illius, cui illam ſubeundam iniungeret: vnde etiam probes, non fuiſſe publicam: nam publica multis quaſi gradibus, & pœnarum generibus continebatur, ſic vt modò is, modò ille annum vnum, aut biennium inter flentes commoraretur, vt docent canones; quomodo autem Catechumenis tempus, pœnæ genus & gradus, non cognitis perſpectiſque peccatis, deſcribi poſſet? Id autem eſſet ſententiam de crimine ferre, cuius te ſcientia, & cognitio effugeret, & pœna coercere, quod non eſſe factum conuiciſſes.

Neque verò neceſſe eſt, argumenta conquirere, ad ea probanda, quæ dicta ſunt, Catechumenorum pœnitentiam initio Catechumenatus, eorumque exomologeſim, in fine fieri. Quod ad vltimum attinet, Tertullianus ſatis apertè teſtatur, *Ingreſſuros Baptiſmum orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet, & cum confeſſione omnium retrò delictorum, vt exponant etiam Baptiſmum Ioannis.* Item & ille Cyrilli catecheſi 1. *Tempus præſens eſt tempus confeſſionis, con-*

ſit ea re quæ perpetraſti ſiue verbo, ſiue opere, nã ad eos qui propiùs à Baptiſmo aberant, verba facit: ibiq; oſtendit primam pœnitentiam, initio catechumenatus peragi, quò nihil clarius eſt: ſaltem id certum eſt, non inter Baptiſmum, & confeſſionem fieri potuiſſe, quod confeſſio, paucis ante Sabbathum Paſchatis diebus, ageretur, illaque multorum dierum eſſet pœnitentia.

Contra quam, hæc obſeruatio dicat, pœnitentiam, ſcilicet non fuiſſe ab Eccleſia impoſitam, plurimæ afferri poſſunt rationes, primùm, Cyrillum dicere, *Pœnitentia quadraginta dierum tibi datur*, atque ita ab Eccleſia impoſitam, eiuſque impoſitæ præſcriptum fuiſſe tempus: ſed non ideo iſta ratione, quod dicimus, conuellitur, Nam cùm circa feſtum Paſchæ, præfatio ſit iſta pronunciata: non autem initio Quadrageſimę; hoc loco Cyrilli mens non fuit, vt qui in Paſchate ſacro fonte tingerentur, iidem quadraginta dierum pœnitentiam ſubirent ante Baptiſmum; cùm ab eo tempore, quo illam ad populum habuit, ad Paſchatis vſque Sabbathum, non quadraginta dierum numerus iniri poſſet: ſed hoc Cyrillo fuit propoſitum, vt ſi, qui breui ſunt baptiſandi, non adhuc pro dignitate ad hoc ſacramentum ſe compararunt: ab ijs differatur Baptiſmi tempus ad Pentecoſten: ac proinde interea longo illo interuallo quadraginta dierum, magis futuros idoneos ad Baptiſmum, hoc eſt, ſi auaritiæ, aut adulterij ſcelere & vitio ſe commacularunt, quadraginta dierum ſpatio à ſe impuritatis & intemperantiæ pœnas repetituros: hoc autem modo, ſi res tota explicetur, locus ille Cyrilli non eam vim affert, vt primam illam

illam pœnitentiam impoſitam aſſeueremus, aut quadraginta dierum ſpatio deſignatam: & quamuis quinquaginta dies à Paſchate ad Pentecoſten numerentur, quia tamen Quadrageſimæ tempore, Catechumeni ſingulari quodam ſtudio atque cura, ſeſe ad recipiendam Baptiſmi gratiam accingebant; S. Cyrillus tantumdem temporis poſt Paſcha præſcribit illis, qui non ſe adhuc totos ad id ipſum exactè & religiosè compoſuerint; quid quod octo illi dies à Paſchate, omnibus, promiſcui, liberi, ſolutique omni cura eſſent: Diuus Auguſtinus præcipit Catechumenis, qui in Pentecoſte ſunt baptiſandi, initium ſuarum auſteritatum, vt ducant poſt octo illos à paſchatis feſto: poteſt & illud opponi, & Syluestrum ſeptem dierum Conſtantino impoſuiſſe pœnitentiam: *Oportet ô Imperator deponas purpuram, & diadema ſeptem diebus, & tuæ regiæ penetrale ingreſſus, clauſis ianuis, in ſacco & cinere iacens, in lucta age pœnitentiam*, & S. Getulius tridui cereali, & Sanctus Polycarpus trium item dierum pœnitentiam, S. Sebaſtiano præſcripſit: ſed & citari poſſunt non pauca Patrum teſtimonia, in quibus videas impoſita fuiſſe ieiunia ijs qui baptiſandi eſſent, quibus vno verbo ſatisfeceris, baptiſmata illa fuiſſe extraordinaria: neque Catechumenorum fuiſſe Baptiſmum, qui ex veteri inſtituto & ordine ſuum Catechumenatum abſoluiſſent: ſed nonnulli erant quibus priuilegio quodam liceret, primo quoque tempore ad Baptiſmum accedere: quos quoddam pœnitētiæ genus ſubire oporteret, quo digniores, tanto Baptiſmi beneficio, efficerentur, & quodammodo exoluerentur:

Digitized by Google

& liberarentur pœnitentiâ, & Catechumenatu, quæ duo non antè perfeciſſent: quare illa exempla peruertere non poſſunt ea quæ diximus, qui nihil aliud proferimus, quàm quod de pœnitentia quotidiana dici, ex veteris Eccleſiæ inſtituto atque more, poteſt.

Redeo nunc ad id, quod antè primo loco confirmare ſtatueram, videlicet pœnitentiam illam primam non fuiſſe publicam: contra autem opponi illud poteſt, quod de Dorotheo Surius affert: *Is verò qui eos decollauit nomine Dorotheus, poſtea ſub Sancto Iulio Pontifice publicam egit pœnitentiam, & omni populo indicans quæ vidiſſet, baptiſatus eſt in ſenectute ſua, & per bonam confeſſionem peruenit ad miſericordiam Saluatoris*; ſed ad id quod probauimus labefactandum, nullam vim habet: non enim abnuerim, imò admiſerim, Catechumenum aliquem ardore quodam pietatis incenſum, ob grauiſſimum, quo infamiæ publicæ notam ſibi inuſſerat, crimen, aut denique aliquod ſuum factum, quo omnium offenſionem incurriſſet, vt Dorotheum qui Sanctorum Martyrum ceruices amputarat, publicæ pœnitentiæ ſignificationem quandam, ante Baptiſmum, poſteris tradidiſſe. Non ignoro Eccleſiam non vetuiſſe piacula illa & ſancta exerceri, ſuſcipique officia ac opera: ſed ſi de Catechumenis, qui vulgò dicuntur, agatur, aut de pœnitentia, quam illi in ſe ex quadam ordinaria conſuetudine ſuſcipiebant, non arbitror fuiſſe publicam, ob rationes à me allatas.

Illud quidem exploratum eſt, ſi Catechumenus tempore ſui Catechumenatus deliquiſſet, eius peccati dediſſe pœnas debitas, ſed non perinde atque ſi bapti-

ſatus fuiſſet, ſed alio quodam genere pœnitentiæ mulctabatur, quæ publica non eſſet, vt proximo capite docebimus: Atque huius correctionis ratio non inſulſa aut inepta videtur: nam cùm Chriſtiana religione imbutus eſſet, eiuſque vera cognitione tinctus, quod crimen commiſerat, ſupplicio dignum videbatur. Tertullianus de pœnitentia cap. 5. *Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pæna (quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet) quantò cognitum deſpici periculoſum eſt? deſpicit porrò, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendũ, reſumẽs,* &c. vbi de Catechumeno loquitur, qui tempore ſui Catechumenatus pereat, canon. 5. Concilij Neocæſarienſis apertè declarat Catechumenum, qui peccaſſet, peccati pœnas perſoluiſſe.

Vnde non obſcurè elicias, quod veriſſimum eſt, primam pœnitentiam, neque publicam fuiſſe, neque ab Eccleſia exactam & imperatam, nam cùm pœnitentia quæ Catechumenis infligebatur ob peccata, quæ in Catechumenatu cõmittebantur, quæ quidem & grauitate & atrocitate præponderabantur, atque adeo ſupplicijs digniora erant ijs, quæ per imprudentiam, & inſcitiam ante Catechumenatum concepta eſſent: neque publica eſſet, vt ita dicam, nec vlla indicta pœna aut auſteritate irrogata, continebatur: ſed tantummodò quædam Catechumenatus propagatio prolixior videretur; cui quæſo in mentem venire poſſet, primam, quæ ob peccata non voluntaria, & per ignorantiam perpetrata ducebatur, acerbiorem &

Digitized by Google

quaſi crudeliorem fuiſſe, eamque publicam viſam aut addictam exomologeſcos auſteritati.

Quod ad ipſum pœnitentiæ tempus, quod eius eſſet initium, quandiu illa duraret, quæ eius eſſent leges, & quibus illa pœnis & ſupplicijs perageretur, & quo tempore deſineret, id non niſi coniectura aſſequi poſſumus: illam autem, non quamprimùm quis nomen ſuum profiteretur, vt Chriſtianus foret auſpicabatur: aliquanto enim tempore intra ſepta domeſtica verſabatur, dum aliquam cognitionem iuſtitiæ, miſericordiæ, legis Dei Optimi Maximi hauſiſſet, & quos aliquando pro Dijs habuiſſet, falſos eos eſſe didiciſſet: Cognito autem & perſpecto poſteà errore, propoſitiſque ante oculos peccatis, quibus in ſe diuini numinis iram concitaſſet, atque adeò certiſſimo ſempiterni exitij periculo, quod immineret, conſiderato, pœnitentiam ordiebatur. Tertullianus de Pœnitentia, *Pœniteat errorum, aperta veritate, pœniteat amaſſe, quod Deus non amat:* erant verò ab Epiſcopis quidam conſtituti ac declarati moderatores, penes quos erat cura Catechumenorum erudiendorum, quibus rudimenta fidei traderent: Poſtea in Eccleſiam ingreſſis, auguſtiora quædam & ſpinoſiora de fide, & ab humana quaſi intelligentia remota myſteria proponebantur: Quandiu igitur Catechumeni extra Eccleſiam, iſtis informabantur præceptionibus fidei, non exiſtimarim Catechumenos pœnitentiam aggreſſos eſſe: propterea quod primi illi Chriſtianæ religionis ſatus, non niſi in eum finem conſpergebantur, quam vt falſorum Deorum impios ritus, & ſuperſtitiones

aniles execrarentur, eorumque in animis & pectoribus Dei timor infigeretur, & inſideret: ſed arbitror, poſt prima illa percepta ac delibata rudimenta, cùm *inter audientes*, numerarentur, primam eſſe exorſos pœnitentiam Quod ad eius interuallum, ſeu ſpatium attinet, æquè incertum, atque eius initium, crediderimq; id totum, eorum prudentiæ ac voluntati commiſſum, vt tantumdem pœnarum atque cruciatuum ſubirent, quantum ſatis eſſe ducebant ad Baptiſmi gratiam conſequendam, aut quoad eorum eos pietas proueheret: non negarim tamen, quo tempore ad paucos dies Catechumenatus redactus fuit, pœnitentiam iſtam paucorum item dierum interuallo contractam & definitam.

Sed quo tempore Catechumenatus ad multos annos prorogabatur, Eccleſiaque ad Baptiſmi dilationem eos exhortabatur, vt videre eſt apud Tertullianũ, libro de Baptiſmo, prima quoque illa pœnitentia erat prolixior, & diuturnior, & locus ille S. Cyrilli Hieroſolymitani, *Pœnitentia quadraginta dierum tibi datur*, nihil magnoperè confert ad illud probandum, primam illam pœnitentiam quadraginta dierum ſpatio fuiſſe terminatam, quantumuis contrà Vicecomes ſcripſerit, *Neque verò illud prætermittẽdum eſt, pœnitentiæ tempus de qua hic agimus, ad quadraginta dies deductum eſſe, vt declarat D. Cyrillus Hieroſol.* nã vt ſupra oſtendim⁹, locus ille aliud nihil deſignat, quàm quod qui à peccati voluntate non deterrentur, ſed in ea perſiſtunt, eos quadraginta dies habere à Paſchate ad Pentecoſtẽ, vſque vt prauam illam voluntatem mutent & exuant: ibique

vox illa, *Pœnitentia*, non pœnas, labores, ieiunia, orationes, lacrymas, vigilias ſignificat: ſed mœrorem animi, & dolorem ex ſuſcepta voluntate delinquendi: vt dicit Tertullianus, *Paſſionem animi quæ venit de offenſa ſententiæ prioris*. Nam author eodem loco dicit, *Si auaram cupidamque habes animæ formam, exue illam, & ingredere*. Quibus verbis perſpicias quadraginta illos dies, quos numerat non alio nomine deſignare, quàm, vt peruerſam peccandi voluntatem deponant, doloreque afficiantur de peccatis: non autem vt aliquas pœnas ſibi infligant. Alter locus eiuſdem authoris in prima Catecheſi, *Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam nauans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua*, nihil de tempore pœnitentiæ iſtius præſtituit: quod ea Catecheſis pronunciata fuerit diebus illis, qui propiùs à ſabbatho Paſchatis aberant: vt docent illa verba, *Anteà Catechumenus erat: nunc verò fidelis vocaris*. Et tota Catecheſis ſententia, ſeu ſenſus. Quamobrem non vult Catechumenis ſignificare, vti eos quadraginta dies pœniteat; quandoquidem mox Baptiſmo abluendi eſſent: ſed eius eſt mens & voluntas, vt poſt Baptiſmum, non facilè Catecheſes omittant: neque gratiam illàm à Deo acceptam & deriuatam, quam orationes frequentes aluerunt, negligant: quin admonere eos par erat, vt Catechumeni, cùm multos annos in rerum humanarum ſtudio curaque poſuerint, quadraginta ſaltem dies poſtquam eſſent fideles, non grauatè conſumant in rebus ad pietatem pertinentibus, &, *In exorciſmis verſentur*, qui poſt Baptiſmum exercebantur: vnde cùm ſe occaſio-

Digitized by Google

dicendi offerat, concludas poſt Baptiſmum exorciſmos ſuprà baptiſatos fieri ſolere, eoſdemque informari & erudiri, interiecto illo tempore, quod à Paſchate ad Pentecoſten interijceretur: eaſque ceremonias quadraginta dierum tempore vſurpari.

Neque item omittendum, imo obſeruandum, præter illam pœnitentiam, quam Catechumeni peregiſsét, non omiſiſſe, dum ſe ad Baptiſmum recipiendum compararent, interea ſingulares quaſdam auſteritates in ſe admittere: quò magis idonei cenſerentur ad Baptiſmum, teſte Tertulliano, *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, ieiunijs*, quæ res ideo multos fefellit imprudentes, qui primæ pœnitentiæ aſſignant, quidquid apud Patres, de vltimis iſtis auſteritatibus legerunt: Qualis eſt locus ille Sancti Gregorij Nazianzeni Oratione 40. de Sancto lauacro, *Bona auxilia erunt tibi, ad ea quæ deſideras conſequenda, vigiliæ, ieiunia.* Item locus Sancti Ioannis Chryſoſtomi Homilia 21. *Audiſtis quomodo gemuerunt dudùm ſacris introducti, & pectus percuſſerunt, eos ſtimulante conſcientia*: Præterea Conſtantini ſuprà citatus, Sancti Baſilij, *Humi ſe proſtrauit, & cum clamore valido & lacrymis petebat*, & ille in vita Sancti Sebaſtiani, à Surio commemoratus, *Sanctus Polycarpus catechiſauit eum, indixitque ei triduanum ieiunium.*

Quod ad Catechumenorum confeſſionem attinet: aliud à me afferri non poteſt, quàm quod ſacramentalis non fuerit; neque eam ab ijs ob remiſſionem peccatorum eſſe ſuſceptam: nam cùm ante Baptiſmum fieret, & Baptiſmus ianua Sacramentorum diceretur, Sacramentalis eſſe non poterat: tantùm ad eum finem

proponebatur, vt ſe ſe quàm demiſiſſimè coram Deo & hominibus gererent, & Diui Ioannis Baptiſmum imitarentur, ex Tertulliano, ideoque illi qui locum Tertulliani proferunt, *Cum confeſſione omnium retrò delictorum*, & illum, *Nobis gratulandum, ſi non publicè confitemur peccata, & iniquitates noſtras*, vt confirment confeſſionem auricularem ſacramentalem, turpiter hallucinantur: Nam Tertullianus id ipſum de cęremonia quadam, quam Catechumeni, cum quadam animi demiſſione & modeſtia vſurpabant, dixit, quæ rationem ſacramenti præ ſe non ferret. Quare non poſſunt illa verba verè proferri, vt probemus Sacramentum, neque vt quæ auricularis eſt confeſſio, antiquam eam probemus: aut quod illa ad Sacramentum pœnitentiæ conficiendum requiratur: ſed quod ex ijs verbis erui verè poteſt ad confeſſionem auricularem, & ad Sacramentum Pœnitentiæ confirmandum, illud eſt, antiquos quidem Patres miram quandam conuenientiam, & affinitatem conſtituiſſe inter Baptiſmum & Pœnitentiæ Sacramentum: ſemperque in vtriuſque ratione ſimilitudinem quandam, & proportionem agnouiſſe: (qua de re ſeorſim quodam capite diſputandum erit: nam non ſatis eſt veteris Eccleſiæ antiquitates perſpectas habere, quò faciliùs authores omnes intelligentia & ſcientia comprehendas, ſed & neceſſe eſt eorum doctrinæ, Theologiæque vim non ignores, ſine qua non queas obſcuros & perdifficiles & Patrum, & canonum locos explicare) quod cùm veriſſimum, in antiqua diſciplina Eccleſiæ miram quandam & Baptiſmi, & Sacramenti pœnitentiæ conſenſionem

ſionem fuiſſe, atque vtrumque, alterius quaſi normam, & exemplar quo ſe ſe mutuo conformarent, fuiſſe. Cùm ex duobus Tertulliani locis manifeſtò probes, Catechumenos omnes peccata ſua, multò antè quàm Baptiſmo intingerentur, confeſſione auriculari, non autem publica detexiſſe: ſed nec duos illos locos exponi poſſe de confeſſione Deo facta, propterea quod Sanctus Gregorius Nazianzenus de eadem confeſſione diſſerens, Oratione de Sancto lauacro, ait, *Ne peccatum tuum confiteri graue ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizauerit, vt per huius vitæ pudorem, futuri ſæculi pudorem ignominiamque fugiens:* Nam Deo ſolo teſte facta confeſſio, pudorem inurere non poteſt, cùm remoto omni arbitro atque teſte fuit: Certum planè & indubitatum relinquitur, eodem modo in pœnitentia confeſſionem inſtitutam, in qua Patres imitati ſunt & ſequuti, quãtùm in illis fuit Baptiſmum, eiuſque ceremonias: Quod duo illa Sacramenta, à Chriſto inuecta, inter ſe ſe conſpiratione quadam conſpirent.

Vt autem huic quæſtioni modum ſtatuamus, repudianda illa quorumdam correctio, quæ ita locum illum Tertulliani legendum putant, *Nobis gratulãdum, ſi publicè confitemur peccata*, omiſſa illa particula negatiua, *non*, Nam ſine illa cohærere ſenſus non poteſt, Tertulliani ergo mens eſt, conditionem Catechumenorum multò meliorem eſſe, quàm eorum quos D. Ioannes Baptiſta baptiſaſſet: quod hi publicè ſua peccata expromant, illi autem priuatim: quæ explicatio ſi demas illam particulam, *Non*, admitti non poteſt.

Qua ſublata Catechumenorum deterior, aut nihilo melior eſſet, quàm eorum, quos Sanctus Ioãnes baptizarit.

Sed nec prætereũdum illud eſt, locos illos, in quibus de Pœnitentia, & Baptiſmo ſimul agitur, magna ex parte de prima illa pœnitentia explicandos: non autem de ſecunda, in quibus, ita mihi perſuadeo, nonnulli doctiſſimi viri, explicandis falluntur, veluti in illo, qui eſt Simplicij Papæ, *Conſtituit ad S. Petrum Apoſtolum, & ad S. Paulum Apoſtolum, & ad S. Laurentium Martyrem, hebdomadam, vt Presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & Baptiſmum:* Apud Euſebium item locus alius, & in vita Sancti Marcelli in lectionibus breuiarij, & officij reperitur: qui loci accipiendi ſunt de prima pœnitentia, & de confeſſione, quæ in ea vſurparetur.

ALTERA CATECHVMENORVM POENITENTIA.

OBSERVATIO II.

NOn abs re fuerit, neque malè operam collocatã exiſtimarim, quò quis in peruoluendis antiquis canonibus, opinione non labatur, obſeruaſſe vnum genus eſſe pœnitentiæ, quod non permixtum confuſumque eſſe oporteat, cum ijs quæ vulgò & paſſim prima & ſecunda pœnitentia nominantur, de quibus ſeorſim etiam reperimus Patrum tractatus aliquos in lucem editos: atque huius rei ignoratio,

Digitized by Google

non parum obeſſet ei qui ad intelligendos penituſque cognoſcendos Patres, ſtudium ſuum induſtriamque conferret: Neque verò quemquam præterit, Catechumenos pœnitentia aliqua fuiſſe affectos, ob illa, quæ ante catechumenatum peccata admiſiſſent. Paucos autem mihi facilè eſſe perſuadeo, quibus cognitæ perſpectæ ſint pœnæ ſeu mulctæ eorum ſcelerum, ſeu flagitiorum, quæ Catechumenatus tempore cōmitterentur: Quod vnum à nobis ſuſceptum munus, & negotium eſt, vt huius pœnitentiæ leges quaſi aliquas promulgatas, temporis quoque rationem, ac ſeueritatem demonſtremus, & qua in re à prima, & ſecunda differat declaremus.

Neminem ignorare arbitror, à Catechumenis in ipſo Catechumenatu Deum offendi aliqua culpa, & ſcelere potuiſſe: ſimulque, quod ſcelus perpetraſſent aliquo ſupplicio, & animaduerſione dignum omninò videri, Eccleſiamque ipſam iudicaſſe grauiores multò, & acerbiores pœnas ſufferre debuiſſe, ob ea peccata, quæ in ipſo Catechumenatu edita fuiſſent, quàm quæ ante fidem agnitam, acceptamque, concepta: cùm hæc ab ignorantia legis Chriſtianæ profecta ſunt, & quaſi nulla voluntate patrata, ideoque miſericordia digna videantur, alia autem nullo excuſationum tegumento tecta coerceri omninò oporteat: Eccleſia tamen quod ſciret, perpenderetque Catechumenos, non omninò Chriſtianæ religionis præceptis, inſtitutiſque imbutos & inſtructos: aut ſubuereretur ne intolerabili quodam pœnæ motu, de propoſito ſuſcipiendæ religionis deturbarentur: aut verè ſentiret, cre-

Digitized by Google

deretque peccata omnia,ſuppliciaque, quæ peccatis debebantur, Baptiſmo remiſſa prorſus: non autem eorum peccatorum, quæ poſt Baptiſmum committebantur, cùm pœnitentię Sacramento delerentur, pœnam funditus extinctam & ſublatam, Catechumenos omni potiùs humanitate & lenitate, quàm qui baptiſati eſſent, tractandos cenſuit; eiuſque rei confirmandæ cauſa, videre eſt in Concilio Nicæno lapſos, quod Chriſti fidem nefariè prodidiſſent, cùm nullis minis, aut terrore mortis ante oculos propoſito,ad id compellerentur,prolixa aliquot annorum pœnitentiâ caſtigatos: Catechumenos autem ſi ſe tali perfidia, deſerta fide, obligaſſent, Can. 14. non niſi dilatione triennij in ipſo Catechumenatu punitos, inter *Audientes*, reuocari. Quid quod Concilium Elibérinum, *Flamines*, carpit, plectitque, quod ludos publicos Ethnicorum edidiſſent, aut quod ſacrificaſſent, imò qui præſentia tantùm ſua, ſacerdotum veſte induti, coroniſque redimiti eò honeſtaſſent, grauioribus pœnis longioreque pœnitentia, quæ ad multos annos produceretur: id Canones 2.3.55. confirmant: Catechumeni verò quamuis ſe ijſdem flagitijs contaminaſſent, non niſi prorogatione ſui Catechumenatus damnabantur.

Nemo vnquam legerit Catechumenum, eodem ſupplicio atque fideles, fuiſſe affectum, neque vnquã antiquorum libri fidem fecerint, in veſtibulo Eccleſiarum Catechumenos iacentes, flere, mœrere, lamentari, prætereuntium oſculari genua, comploratione ſua, ac precum vi obteſtari fideles, vti patrocinio ſuo,

Digitized by Google

ac interpoſita authoritate veniam quam ipſi Catechumeni peterent, conarentur exprimere.

Quod ad ſecundum pœnitentiæ gradum attinet, qui tam ad Catechumenos, quàm alios pœnitentes erudiendos & formandos inſtitutus erat: non eſt dubitandum Catechumenos, ob peccata quæ in ipſo Catechumenatu intercesſiſſent, eo amandatos. Sed hic ſecundus gradus, non tam pœnæ, aut animaduerſionis loco numerabatur, quàm quod tempus quoddam præſtituebatur, quod collocarent, excipiendis ijs, quæ tanquam rudimenta quædam, ac veluti ſemina Chriſtianæ fidei ſuggeſta, proponebantur, cùm non eo tempore ad aliud, eo in gradu poſiti, grauiùs, moleſtiuſue, adigerentur: qua de re ſuo loco, ac tempore multò quàm aliàs diſſeremus, cùm de ſecundo ſecundæ pœnitentiæ gradu agendum erit. Cæterùm vt intelligas ſecundum hunc gradum ad inſtituendos, non autem puniendos inductum, aduertas oportet Catechumenos, qui ne tantillum quidem in Catechumenatu ab officio deflexiſſent, aliquandiu perinde atq; ipſos pœnitentes, in eo commorari ſolitos, quibus tamen Eccleſia (id enim fatendum eſt) neque pœnæ genus vllum, neque pœnitentiæ legem certam, conditionemue imponeret.

Quod ad tertium gradum ſpectat, omnes Catechumeni, ſiue eos ſpectes, qui deliquiſſent, ſiue qui ſe innocenter geſſiſſent, è templo egrediebantur ante quam qui pœnitentes in tertium reiecti gradum, in ſe acerbitates impoſitas ſuſciperent, hoc eſt, in terram, ſe ſe ſpectantibus omnibus, proſternerẽt, certas quaſdam

Digitized by Google

tam Epiſcoporum, quàm Preſbyterorum manuum impoſitiones ſubirent: ideoque non fuiſſe in eo grege verſatos Catechumenos legimus. Quemadmodum item planè docent canones, Catechumenos in quarto gradu non fuiſſe, ob eam maximè cauſam, quam ſuprà attuli, exijſſe antè è templo, quàm pœnitentibus manus imponerentur, (intelligo autem manuum illam impoſitionem, quæ in tertio gradu fieret,) imò probabilius multò, ac rationi conſentaneum magis, ex Eccleſia digreſſos eſſe, quando ſolemnes precum ritus, ſacrificiaque peragebantur, quibus qui quartum gradum attigiſſent, intererant. Si Catechumeni ob grauitatem peccatorum ad ſuſcipiendam pœnitentiam, per illos quatuor vſitatos, inſtitutoſque gradus adacti fuiſſent, id ſibi potiùs gratiæ & beneficij, quàm ſupplicij alicuius cauſa tributum exiſtimaſſent: quin potiùs ea benignitate abuſi fuiſſent in Catechumenatu, ad Deum peccatis laceſſendum, quàm pio quodam metu, ad piè viuendum inſtigarentur. Myſteria namque illa oculis aſpexiſſent, quorum ſpectaculo alij Catechumeni, qui nunquam peccarant, potiri non poterant, beatoſque ſe, ac fortunatos, ſi ijs perfrui licuiſſet, indicaſſent: Catechumeni namque omnes generatim, & vniuersè, à cognitione & ſcientia illorum myſteriorum, perinde ac Pagani, Iudæique, excludebantur, quodam canone vno comperimus, ſi cui contigiſſet Catechumeno, caſu aliquo, ac fortuitò ſacrificijs intereſſe, aut oculis illa ſacra intueri, eum protinus ſacro fonte abluendum fuiſſe: tametſi neque Catechumenatum abſoluerit, nedum inchoarit, vt Catechu-

menis illa myſteria recondita, & ab eorum oculis remota fuiſſe oſtendamus, quandoquidem à Deo magnum quoddam in ſe profectum beneficium arbitrabantur, ſi caſus quidem inſperatus tuliſſet, vt ea ſacrificia non tam mentis, quàm oculis corporis contemplarentur.

Quo poſito affirmabimus verè, non fuiſſe ſecundâ pœnitentiâ, quaſi quadam pœna affectos (vt alio loco patefactum eſt) vnde reperies canones ipſos, vt monerent Catechumenos non perinde ac alios fideles puniendos eſſe, eorumque pœnam non ita grauem, & acerbam eſſe oportere, vt aliorum fidelium ſemper id inculcare, *Si tamen ſit fidelis*, vel, *Si ſit fidelis*, quemadmodum canonibus Concilij Eliberini quos protulimus in expoſitione 11. Canoni Concilij Nicæni: qua quidem explicatione, non obſcurè peruideas, Patres diſcrimina inter fideles, & Catechumenos conſtituiſſe, diuerſaſq; pœnas in vtroſque ſepoſuiſſe ac decreuiſſe.

Si proferatur Canon 67. Concilij Eliberini, quo pari pœna Catechumeni & fideles mulctari videntur; Ijdéque, propter idem ab vtriſque crimen admiſſum, ab Eccleſia repelluntur, illud ipſum menti tuæ inſideat, hæreatque, illo canone mulierum illarum mentionem fieri, quæ nefariè ſuæ libidini cùm ſeruirent, ad explēdas ſuas cupiditates, homines bene comptos, cincinnatos, delicatos, eleganti forma, ſpecieque, liberali eximios adhibebant: quæque Comœdos, ſeu ſcenicos, ad eandem rem quodammodo, alebant: verbum namque illud, *Viros*, non maritos, ſed mācipia quædam libidinum, ſeu adminiſtros ſignificat. Quod

ſi canon ille de marito vero verba feciſſet, non eſt dubium, quin in maritum potiùs, quàm in fœminam, ſeu vxorem animaduertendum cenſuiſſet, at ſi maritus Paganus, aut Ethnicus extitiſſet, veriſimile non eſt, mulierem pœnas dediſſe pro mariti ſui teterrima viuendi ratione, morumque intemperantia, cùm non in eius poteſtate fuiſſet, canoni ipſi quicquam prohibenti, aut imperanti parere, vt à marito diſcederet: ſed & illud lubet aſſerere, mulieres illas, ſi à turpi, ac prope meretricio quæſtu reſilirent, virorumque illorũ congreſſu ac conſuetudine vti deſinerent, nullo negotio in gratiam redijſſe cum Eccleſia, data illis venia, aliaſque ad communionem, ſi eſſent fideles, & alias ad Catechumenatum reuocatas: Dici ergo poteſt Eccleſiam, fœminis illis pœnitentiam non vllam impoſuiſſe, Canoneque illo non indicari aliquas pœnas, quas Catechumenæ ſufferre, aut experiri cogerentur, quin potiùs ab Eccleſia, illas reijci & expelli, quàm vt pœna aliqua plectantur, quod indignæ ſint, quæ inter Chriſtianas numerentur, cùm antequam Catechumenatũ perficerent, in cœno flagitioſarum voluptatum, tanquam ſues lutulentæ, volutarentur: neque vnquam religionem Chriſtianam vt complecterentur, in animum induxiſſent ſuum. Quis enim vnquam ſperaſſet eas Chriſtianæ fidei ſuſcipiendæ concilium, voluntatemque præ ſe laturas, cùm priuſquam Chriſtianis inſtitutis informarentur, quo dignæ haberentur, primo ſacramento muniri, & ad Chriſtianam militiam adſcribi, & quaſi nomen dare, ſeque pro fidelibus gerere, in oculis conſpectuque omnium flagitioſam

vitam

vitam, & Chriſtianæ puritati omnino aduerſariam, tranſigerent: cúmque teſtari omnimodo, ac ratione ėas oporteret, quouis ſe metu à diuinæ mentis offenſione deterreri, proculcato, ac quaſi protrito eiuſdem terrore, palam ad idem numen ſupremum violandum inflammatis animis rapiebantur. Atque hoc eo nomine eas è Catechumenatu eximebat: declarabatque nunquam eas Chriſtianæ fidei ineundæ conſilium inijſſe; eademque Eccleſia hoc ipſum erga mulierem confeciſſet, quæ ſe ſe ad Chriſtianiſmum obtuliſſet, ſi & virum adulterum ſecum ipſa retinere & viuere, & ad Catechumenatum adoptari voluiſſet: id potiùs ab Eccleſia repulſæ, quàm pœnæ aut pœnitentiæ nomine factum videri poſſet. Quod ſi contra, mulieres illas omnes intemperantię ſuę ſuppuduiſſet, quanquam Eccleſia eas repuliſſet antè, & à Communione remouiſſet, hoc eſt à Catechumenatu, omni procraſtinatione, aut tergiuerſatione poſthabita, nullâ indictâ pœnitentiâ in Catechumenatum adſcripſiſſet. Pœnitens verò quamuis peccare deſijſſet, aut excommunicatus, non propterea confeſtim ad communionem aſſumebatur: quo facto, non eſt recuſandum, quin canone illo 67. recuſationis potiùs, quàm pœnitentię vim vllam contineri fateamur.

Conquirendum ergo & perueſtigandum eſt, quæ pœnitentiæ Catechumenis, ob peccata ipſo Catechumenatu admiſſa, irrogarentur, cùm non perinde, ac fideles ſuorum ſcelerum pœnas darent: memoriâ autem tenere oportet fuiſſe quamplurimos in Catechumenatu gradus, antiquituſque *fieri non naſci Chriſtianos*,

Digitized by Google

idque non curſim,ſed ſenſim,ſpatio ad id efficiendum circumſcripto: illudque munus, ſeu actionem illam adumbraſſe aliquo modo, ne dicam expreſſiſſe perfe-ctorum animantium naturam, ſeu ortum, quæ aliquanto plus temporis, ſibi quàm alia, vt formentur, atque vt in lucem, vitamque erumpant, aſſumunt: Cuicumque autem diuinitùs lux oborta quędam, mentem iniecisſet, vt Chriſtianus fieret, priuata quadam in domo, quæ præſtigiæ, anileſque ſuperſtitiones Paganiſmi eſſent, edocebatur: neque tamen diuini verbi ſeu concionum audiendarum, quæ apud *Audientes*, habebantur, facultas dabatur, inde ad altiorem quaſi gradum prouehebatur, ad excerpendas ipſas conciones; quo in gradu vocabantur, *Audientes*, Poſteaque ad tertium deducebatur, vbi particeps, conſorſque precum & orationum fieret, quæ apud Catechumenos tertij gradus pronuntiabantur, poteratque in genua in ipſa Eccleſia procumbere, Catechumeni iſti *Orantes & genuflectentes*, dicebantur. Ad extremum rebus omnibus illis ex communi conſuetudine tranſactis, ſacro fonte, datis ad eam rem nominibus, abluebantur, vt inter electos collocarentur, vnde, *Competentes*, nominabantur. Pœnitentia igitur, quæ Catechumenis, ob illa quæ in ipſo Catechumenatu peccata commiſerant, indicta fuit, non niſi tribus illis poſtremis gradibus exanimata, ponderataque imponebatur: Neque ad alias pœnas, cruciatuſque protendebatur: verbi cauſa, ſi quis in vltimum, quartumve gradum Catechumenatus relatus, deliquiſſet, ad ſecundum, aut tertium ille gradum, deſultorio quodam modo

pro grauitate offenſæ, ſeu culpæ transferebatur: Atq; ita ſi qua in re peccaſſet, ad alios deſcendebat gradus: quādoque ſi grauior, aut atrocior eum vrgeret culpa, ad mortem vſque Baptiſmi dilatione plectebatur; Quandoque idem ob inexpiabilem aliquam peccati fraudem, omnino ei Eccleſiæ ingreſſu interdicebatur: Atque hic eſto modus ratioque, quâ olim Eccleſia in puniendis Catechumenis vti ſoleret, can. 5. Concilij Neocæſarienſis, omnes quæ ad eius rei intelligentiam offundi poſſunt tenebras, clariſſima expoſitionis face diſſipat, quò illud reperias, vt ſi Catechumenus in tertio gradu hæreat, pedemque in Eccleſia ponat, eique liceat ſe ſe in genua prouoluere, inter *Audientes* relegetur, hoc eſt, ad ſecundum gradum reuocetur, quid quod decretum eſt, vt ſi in ſecundo iſto gradu inter *Audientes*, in peccatum denuò incidat, aut etiam in eo obdureſcat, ei omnino Eccleſia & Catechumenatu interdicatur: Hic ſenſus, ſententiaque germana iſtius canonis eſt, nec aliter eum Zonaras & Balſamon interpretātur: non autem quo ſenſu nonnulli, atque inter cæteros Vicecomes, his verbis aſſerit, *Propterea Concilij Neocæſarienſis Patres can. 5. eos qui genibus flexis audiebant, graui culpa teneri, ſtatuunt illis verbis:* Contrarium namque omninò perſpicias, ſi diligentiùs accuratiùſve canonis verba examines. Decimusquartus item Canon Concilij Nicæni, non ad alium ſenſum torquendus eſt, qui quanquam non tam clarè & apertè Catechumenatus gradus ante oculos cōſtituat, aut explicet, quàm illos Neocæſarienſis deſignet, antè tamen ab eo canonem illum non diſſidere, verè dixeris. Nam

Digitized by Google

cùm ipſo canone videas triennio poſtquam, *Inter Audientes* verſatus fuerit mulctæ nomine, quod eum Dei ſui, fideique ipſi datæ, obliuio cæperit, *Inter Orantes*, reponi: poſſeque cum alijs Catechumenis in communionem precum venire: ex hoc intelligi licet, gradum illum, in quo genua poterant flectere, perfectiorem multò videri eo ipſo quo aures concionibus audiendis præbere Catechumeni quidem conſueuerant: propterea que ſupplicium eorum qui eò perueniſſent, non aliud exiſtimandum, quàm, vt, *Inter Audientes*, iterum collocarentur. Quò autem res illuſtriori ſigno emicet, ſimul & illud percunctabitur quiſpiam, ſi cùm *Inter Audientes*, numerabantur, à virtutis viâ aliquo peccato detorquerentur, qua tandem pœna reuocarentur in viam, vnde deflexiſſent: Neque enim cuiuſquam authoris teſtimonio probare poſſis ad priuatas domos fuiſſe amandatos, quæ relegatio primi gradus rationem contineret, quam in Catechumenatu præſtituimus, ad id perfacilis eſt reſponſio; ad illum primum gradum non ſolere reijci; ſed aliquanto diutiùs pro ratione criminis, *Inter Audientes*, recenſeri & retineri: ſed & dubium illud eſſe poteſt, quo genere pœnæ mulctarentur, ſi Dei Optimi Maximi iuſtum furorem peccato aliquo in ſe conuertiſſent in illo primo gradu poſiti, id eſt, cùm in priuatis ædibus erudiebantur, illos namque prorſus à grege Chriſtianorum exterminare, aut ſpem omnem Baptiſmi & regenerationis fidelium obtinendæ illis pręripere, ſummę inhumanitatis fuiſſet; adduci enim non poſſum vt credam Eccleſiam, quãuis ſeſe immani flagitio cõtaminaſſent,

Digitized by Google

in eos tam ferociter animaduertere voluiſſe? Quod enim peccatum tantum eſſe poteſt, cuius atrocitas Baptiſmum impediat, ſat magnam canonum vim, ac copiam reperias, qui clament, *Nec in fine accipiat communionem.* At nuſquam legas, qui imponant hanc pœnam, *Nec in fine baptizetur*: huius diſciplinæ rationes adeo illuſtres ſunt, vt putidum ſit, eas probare, quia nemini deneganda eſt via ſalutis neceſſaria. Alia ratio ſubijci poteſt, quod Baptiſmo omnia delerentur, ipſaque quæ ante Baptiſmum, peccata fuerant, non voluntaria habebantur. Ideoque, ſi cùm in primo gradu eſſent, ipſi etiam peccaſſent, ad alium non poterãt, ipſi, gradum traduci: neque omninò reijciebantur; ſed aliquanto ampliùs, perdiuque in eo, aut ſecundo reſidere cogebantur: ſuſtineoque, & præ me fero, Eccleſiam peccata illa, tanquam in Paganiſmo patrata, exiſtimare ſolitam, quod inſcitia planè, & ignoratione Chriſtianiſmi in primo gradu laborarent, peccataque illa, tanquam in vetere homine commiſſa, putarentur, id teſtificante Concilio Eliberino, *Eo quod in vetere homine deliquiſſe videatur*, cùm de Catechumeno, Apoſtata, & qui in ipſo Catechumenatu à fidei defenſione degeneraſſet.

Quando canones Catechumenorum, tantùm pœnitentiæ tempus certum ac definitum conſtituunt, deque gradibus omninò conticeſcunt, ne dum, quandiu in vno quoque morandum ſit, verbum vllum faciunt: non alio ſenſu, aut mente accipienda ſunt illa omnia, quàm cùm fidelium ad decem, aut duodecim annos pœnitentiam prorogant, prætermiſſo illo an-

Digitized by Google

norum numero, quos in ſingulis pœnitentiæ gradibus tranſmittant: hoc eſt diſtributionem, diuiſionemque totius illius temporis, à nutu, & voluntate Epiſcopi, prorſus pendere poſſe, pro ſuo iure imperare, vti pœnitens plus, minuſve temporis in vno quoque pœnitentiæ gradu conſumat: Ita quando canone quarto Concilij Eliberini, Catechumeno triennij pœnitentia, aut alibi decennij imponitur, planè ſentio iſtius temporis partitionem, ad Epiſcopi ſummam voluntatem, arbitriumque reuocari.

POENITENTIA QVÆ POST Baptiſmum imponeretur.

OBSERVATIO III.

QVod in antiquis Canonibus legitur, petere pœnitentiam, dare, accipere, negare eam morieñtibus, quibus, morbus rationis & ſenſus vſum intercepiſſet, impertiendam eſſe, eâdem conceſſâ, vel citra abſolutionem, & communionem, aliquid, quod ad ſalutem prodeſſet concedi pœnitentibus; & his ſimiles loquendi formulæ, longè aliter accipiendæ ſunt, quàm quod communi quodam vſu ac ſignificatione ſonat, veréque illa, *Pœnitentia*, neſcio quid aliud in hiſce locis, quàm quod apud nos, indicat. Nam neque pœnas, & pœnitentiæ præſcriptas & indictas moleſtias, neque communionem, & abſolutionem, quæ eius magis nota, & frequens ſignificatio poſſet eſſe, denotat: Sed quoniam nihil eſt in hiſce obſeruationibus difficilius,

nihilque quod ad omnes canonum nodos diſſoluendos, & extricandos magis conferat, quàm huius vocis explicatio ea fuſiùs paulò tractanda eſt: ac primùm nonnulli canones ſunt ſubijciendi, vt quæ poſſit eſſe huiuſce vocis, *Pœnitentiæ*, difficultas, clariùs eniteſcat: deinde oſtendendum, non quid tandem intelligatur in illis locis & canonibus per hanc vocem, *Pœnitentiæ*, ſed quid non intelligatur, quidve non ſit, & quantùm eius ſẽſus in iiſdem locis diſcrepet ab ea ſignificatione, quàm in aliis eorumdem Patrum, & canonum locis, hodieque inter nos obtinere ſolet: Poſtremò docendum vim aliquam, in illis locis huic voci, *Pœnitentiæ*, ineſſe, & peculiarem vſum habere, quem ſi intelligas, mireris neceſſe eſt, non ſolùm eorum diſciplinam, & theologiam, verùm etiam, quanta authoritate fideles regeret Eccleſia, & quàm ægrè ad ſuos theſauros nocentes abrepere pateretur.

Verba illa Sancti Innocentii in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum, *Negata menſæ communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur*, difficillima ſunt, & quaſi quendam obicem interpretibus obiiciunt: quid enim poterat eſſe pœnitentia, quidve ſignificare, quo conceſſo, communio quidem non concedebatur, ſed aliquid, quod morientibus ſpem aliquam futuræ ſalutis oſtenderet? quomodo id quæſo accipiendum quod homini penè animam & ſpiritum profundenti, cùm pœnitentia ſine abſolutione, & communione daretur, conceſſum quoque quidpiam putaretur? Nam hoc tempore, qui morienti pœnitentiam, retenta abſolutione imponeret, aliquid quod

ad animæ ſalutem obtinendam attineret, non videretur conceſſiſſe.

Quin omninò id aduerſari, & repugnare videtur ijs, quæ hoc tempore aguntur, quod in Concilio 4. Carthaginienſi legitur hoc canone. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia, ſi ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu ſacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit.* Et in Concilio Arauſicano, canone duodecimo. *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptiſari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ, teſtimonia aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo natu.* Item in eodem Concilio, canone tertio, *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione, eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi.* Quis non miretur, datam olim fuiſſe pœnitentiam homini morienti, qui nec hoc beneficium ſentiret, neque ſacerdotis verba, vel verborum ſonum intelligeret, & cuius tam profligata eſſet & perdita valetudo, vt non modò vocis, ſed & iudicij, rationiſque vſum, facultatemque amiſiſſet? Quod ſi noſtris temporibus, ægroto alicui pœnitentia imponeretur, qui mentis compos non eſſet, is ſanè, qui id præſtitiſſet, meritò omnium reprehenſionem incurreret, cùm id fruſtrà eſſet, & alicuius vtilitatis hodie non exiſtimaretur: Porrò in illis

canonibus

canonibus vides hanc vocem, *Pœnitentia*, de communione & abſolutione non eſſe accipiendam, cùm ea manifeſtò ibidem diſtinguantur: neque pro pœnis, quæ pœnitentibus infligerentur, cùm penè mortuo & extincto concederetur, qui nec quidem linguam mouere, aut ſupercilium adducere poſſet, tantum abeſt, vt aliquas moleſtias pro peccatorum ſuorum ſatisfa. ctione ſubire potuiſſet: vides præterea pœnitentiam illic vſurpari pro re quæ acciperetur ab homine muto, ſurdo, & penè mortuo, quique ad eam accipiendam, nec voluntatis, nec rationis, nec vocis ſignum vllum, aut ſignificationem præberet: Quæque præterea ita ei adhæreret, vt ſi in ſanitatem reſtitueretur, pœnitentię tempora & moleſtias percurrere teneretur.

Ad id quod hoc tempore factitatur, & ad vſum & ſignificationem pœnitentiæ, quæ in Eccleſiam introducta eſt, nullo modo reuocari, aut conuenire poteſt, quod ſecundo canone duodecimi Concilij Toletani legitur, pœnitentiam quoddam eſſe donum, quod ſacerdotum benedictione contribueretur ei, cui vel non interdicta fuiſſet: Propterea nemo eſt, cui mirari non ſubeat, quid erat in antiqua pœnitentia, quod eam illud Concilium cum Baptiſmo comparet, & non minùs quàm gratia quæ Baptiſmo infunditur, in animam hominis illius, qui ratione ipſa, & ſermone deſtitutus ſit, inſeratur, ita enim in illo canone ſcriptum legitur, *Ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur*. Hoc tempore pœnitentia nihil ferè aliud ſonat, quàm quoddam Eccleſiæ præſcriptum, decretumque, vti certum quoddam pœnæ genus conſtituatur in eum,

Digitized by Google

qui noxas, & vitę maculas pro ſatisfactione peccatorũ diluere cupit, quo interea decreto, atque inſtituto, nihil in eius animum demittitur, qui pœnitẽtiam agit, & ſi quid animam eius attingeret, id non conceſſione pœnitentię, ſed abſolutione in eam penetraret.

Quod tam ſæpè in canonibus occurrit, petitam datamque pœnitentiam homini morienti, nonnunquam etiam eam extra confeſſionem à ſacerdotibus efflagitatam, eiuſdem concedendæ penes Epiſcopos dumtaxat poteſtatem eſſe: non niſi certis legibus, eam irrogandam, & ſimilia quæ inter legendum, de pœnitentia hauriri poſſunt, controuerſam faciunt eiuſdem pœnitentiæ notionem: nam tametſi hoc tempore pœnitentia quædam poſtulari poſſet, potiùs tamen abſolutio quæritur, quàm pœnitentia, & is loquendi modus prope deſiit eſſe in ritu: neque homini (vti diximus) ad interitum ruenti pœnitentia tribuitur, neque extra confeſſionem impetrari conſueuit, neque ſolis Epiſcopis ea facultas conceſſa, ſed omnibus omninò Preſbyteris.

Ad extremum, hoc præſenti rerum ſtatu, pœnitentia, quam Preſbyteri imperant, non benedictio pœnitentiæ vocatur, neque benedictione confertur, contrà ea vulgò imponitur in ipſamet abſolutione, & ante remiſſionis benedictionem, ſed antiquitùs nunquam pœnitentia concedebatur cum abſolutione, aut ſine benedictione, & manuum impoſitione: Omnes item Canones, qui aut concedunt, aut negant ius pœnitentiæ dari, liquidò demonſtrant hanc vocem aliam habuiſſe acceptionem, quam habeat hodie, &

Digitized by Google

à noſtra plurimùm abeſſe, nam his temporibus, nullũ conſequendæ ius, aut obtinendæ eripitur, omneſque pro arbitrio, ſi eam ab abſolutione ſecludas, ſuſcipere poſſunt: id igitur in hoc capite quærendum eſt, quid poſſit eſſe ea pœnitentia, quæ benedictione peculiari conferebatur, quæ à ſolis Epiſcopis, quæ mortuis, aut penè mortuis, quæ tanquam donum aut gratia in animam dormientis infundi poterat: ſed primùm præſtandum eſt, quod polliciti ſumus initio huiuſce capitis, paucis oſtendam eam non poſſe accipi in illis locis pro abſolutione, neque pro communione, nec denique præcisè pro pœnis, quibus pœnitentes admiſſi facinoris veniam quærebant.

Canone tertio Concilij Arauſicani, hoc quaſi innui videretur, inflictâ alicui pœnitentiâ, qui propè fato conceſſurus eſſet, eum ad Eccleſiæ cómunionem reuocari, ideoque illam pœnitentiam, cuius in hac obſeruatione veram ac germanam ſignificationem exponere nitimur, genus quoddam communionis fuiſſe, eamque nunquam ſine abſolutione dari, ſiue abſolutionis vim continere, cùm is cui in morte ea dumtaxat eſſet conceſſa, (omni alia reconciliatione prætermiſſa) eius præſidio fultus in partem corporis fidelium admitteretur; adde, in eodem Canone, eam pœnitentiam, cuius intelligentia difficilis eſt, viaticum vocari, vt in Concilio Gerundenſi, *Pœnitentia benedictionem, quam viaticum deputamus.* Illud autem nemo reſpuat, viaticum apud antiquos, aliud nihil dici, aut cenſeri, quàm ius quo quis vtitur, & habet communicandi cum cæteris fidelibus, quamobrem ſi pœni-

Digitized by Google

tentia erat viaticum quoddam, omninò non eſt recuſandum, quin abſolutionis, ac communionis genus quoddam eſſet.

Canones qui pœnitentes ab Eccleſijs arcent, eoſdemque anathemate percellunt, ſi admiſſâ ſemel pœnitentiâ eam deponunt, eiuſque veſtem & habitum exuũt, & ad vomitum & ingenium redeunt, flagitioſamque viuendi rationem repetunt, canones ij inquam demonſtrare videntur, eam pœnitentiam, de qua hoc capite quærimus, quoddam abſolutionis genus fuiſſe: nam quomodo pœnitentes, qui eam ipſam pœnitentiam adepti eſſent, excõmunicatione plecti potuiſſent, niſi communione Eccleſię donati fuiſſent, priuatio illa indicat, prę ſe fertque eos poſt pœnitẽtiam illã, eaque, vel citra abſolutionem, accepta, in communionem cęterorum fideliũ receptas fuiſſe: neque verò reſpõderi poteſt aut apponi, ea hoc iure ſocietatis ſpoliatos, ſed ſicut ſuis temporibus pœnitentia auſteritatis & acerbitatis plena, ſuſtineri poſſet & expleri, ab eo qui non eſſet excommunicatus; ſic eos, de quibus agitur in his Canonibus, ſuarum culparum aut criminum pœnitentiam ſubijſſe, qui tamẽ excõmunicationis notâ nõ inurerentur, id inquam obtrudi non poteſt; nam olim omnino peccata mortifera excommunicatione caſtigabantur, neque vnquam fideles cum eo, qui lethale peccatum commiſiſſet, communione integra coniungebantur, niſi poſt eius peccati relaxationem: quo poſito, illud ſemper præſupponẽdum, eum qui pœnitentiâ mulctabatur, integro & pleno communitatis iure vſum non fuiſſe. Ex his igitur Canonibus 8. 3. 13.

25.24.23. Conciliorũ Turonenſis, Vaſenſis, Aurelianenſis primi, 23. Epaunenſis, & ex Sancti Leonis epiſtola 9. patet illud emi poſſe, benedictionem pœnitentia, quæ primo quaſi ad pœnitentiam introitu dabatur, & aliquando decem, aut duodecim annis, vel ampliùs, ante abſolutionem ordinariam, quemdam modum, ſeu ſpeciem abſolutionis fuiſſe.

Sed contrà faciunt multi canones, Patrumque loci, vt neceſſariò fatendum ſit, pœnitentiam quæ in morte concedebatur, non fuiſſe plenam, atque integram communionem, neque ad eius, qui moreretur ſalutem obtinendam, vſquequaque valuiſſe: neque per eam pœnitentem abſolutum, aut in fidelium corpus adaptatum, id habet expreſsè D. Cypri. ſcribens ad Epiſcopum Antonianum, *Hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubſtrahere de ſatisfactione medicinam.* Item, *Lacrymas fundere, ſed extra Eccleſiam, poſt iſta omnia morieris.* Item, *Pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus*: Et in epiſt. 23. 3. lib. *Pœnitentiam agentibus infirmitatis periculo ſubueniri, & pacem dare*: can. 2. Concil. Vaſenſis primi, perſpicuè aſſeritur, eum qui pœnitentiam recepit, non ideò ius communionis, aut abſolutionem recepiſſe: & Sanctus Innocentius ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, antiquam conſtitutionem, quâ moribundis pœnitentia permittebatur, duriorem nominat, quod ea ſine abſolutione, & communione daretur. Ex quo manifeſtum eſt, eum, qui pœnitentiam acceperat, ius communionis non accepiſſe: addit prætérea, in fine communionem vnà cum pœnitentia ijs eſſe impertiendam, qui morte vrge-

Digitized by Google

rentur, *Vt homines eiuſmodi, vel in ſupremis ſuis promittente Saluatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.* Ex quo efficitur, non fuiſſe ſatis homini excommunicato ad ſalutem, aut communionis ius accipiendum, pœnitentiam impetraſſe; eamque ab abſolutione & communione diſtinctam eſſe: canon 36. Concil. Epaunenſis iubet pœnitenti ad mortem laboranti relaxare damnationis tempora, vnde perſpicies pœnitentiæ tempore, de ſua ſalute pœnitentes periclitari, & fidelium communionis participes eos non fuiſſe. can. 33. Concil. Arelat. 2. præcipitur, *Vt poſtulantibus, pœnitentia non negetur; cuius pœnitentiæ communio, multo tempore differatur.* Ex quo clarum eſt, eum, qui benedictionem pœnitentiæ acceperat, non fuiſſe propterea à peccatis ſuis abſolutum, aut ad communionem Eccleſiæ aggregatum: canon decimus-tertius Concil. Nicæni, quo cauetur, ne quiſquam viatico neceſſario priuetur, intelligendus eſt neceſſario, & interpretandus de pœnitentibus, vt omnes conſpirant, ſentiuntque interpretes: Viaticum autem illud neceſſarium, eodem canone interprete, eſt abſolutio, & ius ad communionem fidelium. Ex quo conſtat, qui pœnitentiæ benedictionem receperat, non præterea ius communionis adeptum, aut abſolutum fuiſſe, ipſumque viaticum neceſſarium, non eſſe illam ipſam pœnitentiæ benedictionem.

Canones omnes vniuerſim, qui de viatico neceſſario ad ſalutem eorum qui in extremis ſunt, loquuntur, de iure communionis, non autem de illa benedictione intelliguntur, explicantque omnes neceſſariũ

eſſe, vt præter illam pœnitentiæ benedictionem, moriturus ius communionis recipiat, & abſoluatur: teſtantur id canon 13. Agath. 12. primi Concil. Matiſcon. 26. & 38. Epaunen. 5. Ilerd. 18. Toletani primi. 2. Vaſenſis 5. Valentiæ 76. 77. 78. 79. 4. Carthag. ij inquam omnes apertè, ac manifeſtè produnt, benedictionem illam pœnitentiæ non eſſe ſufficiens viaticum; neque eâ excommunicatos, aut pœnitentes ius cõmunionis, aut abſolutionem impetrare. Nam præter pœnitentiam illam decernitur, vt viatico pœnitentes inſtaurentur, & muniantur, ipſiſque communio & abſolutio concedatur, ſi de vita quodammodo periclitantes, periculosè laborent. Sextus Ancyrani ait, *His communio propter viaticum non denegabitur*: cùm de ijs pœnitentibus loquitur, alijſque qui Epiſcopi indulgentia & conceſſu pœnitentiam agerent. Efficitur præterea idem ex can. 16. eiuſdem Concilij, necnon 22. 31. 69. Eliberini, benedictionem hanc communionis ius non fuiſſe. Denique duo ſunt canonum genera, ex quibus manifeſtè colligitur, ea pœnitentiæ benedictione, non fuiſſe conceſſam pœnitentibus abſolutionem, aut ius communionis, ſed neceſſarium fuiſſe, vt præter illam benedictionem, ius communionis ab Eccleſia extorquerent, vt corporis fidelium pars eſſe cenſerentur; ac primùm quidem, ij qui decernunt, vt exacto pœnitentiæ tempore, ad ius communionis perfruendum aduocentur: Deinde cæteri omnes qui ſtatuunt, vt pœnitentibus de vita periclitantibus ius illud impertiatur, imò & ij omnes, qui his verbis vtuntur, *Dare pœnitentiam, petere, accipere*, pro-

Digitized by Google

bare videntur, nullam impetratâ pœnitentiâ, abſolutionemque ius eſſe aliquod communionis extortum.

Quod attinet ad Canones, quibus probatur eiuſmodi pœnitentiam, genus quoddam eſſe communionis, & abſolutionis, eos ego ita interpretor, vt in tertio Arauſicenſi de pœnitente ſit mentio, qui non ſolùm pœnitentia in infirmitate, ſed minore etiam reconciliatione, vnà cum pœnitentia donatus fuerat: cuique ad perfectam communionem nihil aliud deeſſet, quàm maxima reconciliatio; hoc eſt ius ad altarium, & ad Sacramenta: quapropter ex hoc canone deriuari nequit, hac pœnitẽtia communionis ius conceſſum fuiſſe pœnitentibus, aut eam ad communionem aditum patefeciſſe: Canon verò Verumdenſis, qui ait eiuſmodi pœnitentiam eſſe viaticum, eamque per communionem accipi poſſe, non ita eſt accipiendus, quaſi is, de quo illic agitur, pœnitentiam dumtaxat ſine abſolutione recepiſſet, ſed cùm pœnitentia ægrotantibus vnà cum minima reconciliatione aliquando impartiretur, & eâdem manus impoſitione, & benedictione vtrumque plerumque indulgeretur, pœnitentiam huic pœnitentię non ſeorſim, & ſeparatim, ſed vnà cum abſolutione conceſſam fuiſſe certum eſt. Quod ad Canones ſuprà citatos attinet, quorum ſententiâ, communio pœnitentibus ſubtrahitur, aliter eos interpretandos exiſtimes: neque enim id canones canunt aſſeruntque, pœnitentes vera & legitima communione priuandos, ac ſi cum cæteris fidelibus, ipſo pœnitentiæ tempore, altaris, Euchariſtiæ, & precum participes eſſent, ſed nouum quoddam eſt, & quaſi

& quaſi ſupplicij & pœnæ genus quod irrogant, quod pœnitentiam contempſerint, decernuntque iſtos pœnitentes ad mortem vſque à communione fidelium prohibendos. Nam fortaſſis eorum pœnitentia paucorum annorum ſpatio finiebatur; ſed quod eam pro nihilo haberent, perpetua ideo excõmunicatione feriebãtur: crediderim non aliam eſſe horum canonum intelligentiam atque vim; non autem vt ad communionem pœnitentibus quandiu in peragenda pœnitentia verſarentur, accedere liceret. Ad hæc certum eſt, pœnitentibus excommunicatis peccatum remiſſum, & quamuis plena & perfecta communione non fruerentur, neque ad ſacra, aut ad preces admitterentur, magnum tamen inter eos, & excommunicatos diſcrimen eſſe: quapropter excõmunicatione puniri poterant pœnitentes, etſi nulla eis cum cæteris fidelibus ſocietatis eſſet participatio: Huic ſuffragantur verba illa Concilij Turonenſis primi, *Quo faciliùs, & ipſe compunctionem per hanc confuſionem accipiat, & alij eius terreantur exemplo*. Nam illa indicant atrociſſimum fuiſſe pœnæ genus à Patribus excogitatum, quo cæteri pœnitentes, metu prohibiti deterrerentur, & in officio ſe ſe continerent: & canon 24. Concilij Aurelianenſis tertij, clarè demonſtrat id fieri, aut factum eſſe, non vt aliqua communio, aut eius pars quædam, quam in corpore fidelium haberent, durante pœnitentia, ejs adimeretur, (neque enim pœnitentes aliquam communionem poſſidebant;) Sed quod excommunicatione perpetua ob ſpretam pœnitentiam plectebantur, *Excommunicatione plectatur, viatico con-*

Digitized by Google

ceſſo ad exitum: vnde colligas hanc excommunicationem, qua pœnitentes ob peccata commiſſa tempore pœnitentiæ puniebantur, perpetuam fuiſſe; aut certé in multum tempus productam, quæ omnia paulò latiùs deduximus, vt manifeſtum fieret, hac pœnitentia nullum communionis beneficium, aut gratiam abſolutionis & pacis conceſſam fuiſſe. Supereſt vt oſtendamus hac etiam voce, non ſignificari pœnas, quas pœnitentes ob peccata commiſſa volentes, & ſine conceſſione Eccleſiæ capere poterant; ſed etiam non ſemper intelligi eas quæ ab Eccleſia præſcriberentur.

Ad id efficiendum, hoc vnum, quod à Diuo Innocentio affertur ſatis eſſet, *Morienti negatam fuiſſe communionem, conceſſam autem pœnitentiam*, vel quæ leguntur in Concilijs Carthaginenſi, & Arauſicano. Quia enim morienti, cuius ob valetudinem imminutæ adeò eſſent vires, vt ne vocem quidem emittere poſſet, pœnas aliquas, vel nomine pœnitentiæ infligere voluiſſet? Non eſt exiſtimandum quicquam ab Eccleſia irrogatum, cui mentis, vocis, & lucis vſuram morbus inuidiſſet, quique tanquam truncus ſine ſenſu iaceret in lecto: illuſiſſent certè potiùs, quàm ei ſubueniſſent, ſi quicquam mandatum, aut imperatum eſſet, quod fruſtrà certò ſcirent, quare aliud quiduis potiùs hac voce pœnitentiæ ſignificari crederem, quàm pœnitentiæ moleſtias, & ærumnas, cùm ea moribundis impertiretur.

His expeditis, fateor laborioſum, & difficillimum eſſe, ea de re aliquid certi exiſtimare, & ſententiam ſuam dicere, id enim quod antiquitùs in hiſce ritibus

Digitized by Google

pœnitentiæ obſeruabatur, non minùs alienum, & remotum eſt à noſtra diſciplina, quàm obſcurum & inuolutum. Quapropter ſi quis hiſce rebus iudicium ſuum interponit, operam ludere videtur. Nam cùm multùm temporis in eis, è ſuis tenebris & tegumentis euoluendis poſuerit, nunquam tamen eas ita aperiet, & ab omnibus difficultatibus purgabit, vt lectorum ſenſibus, & oculis tradat comprehendendas, & quaſi manibus tangendas: nihiloſecius, ſi certum eſſet, id ita mihi euenire debere, non deſinam aperire, quid de ea pœnitentia ſentiam.

Multa per pœnitentiam conferebãtur pœnitentibus, ac primùm ab excommunicatione, ſiue à peccato excommunicationis, vt loquuntur antiqui canones, liberabantur. Donum præterea quoddam, & gratia quædam peculiaris animis eorum per benedictionem pœnitentiæ illabebatur, quâ accenderentur ad pœnitentiam alacriùs peragendam, quaque maiori dolore de peccatis commiſſis augerentur. Poſtremò ea benedictio pœnitentiæ, erat quædam peccatorum æſtimatio, qua Eccleſia (penes quam erat poteſtas ſoluendi & ligandi omnia peccata) æſtimabat quanti, aut quantis pœnis & laboribus, vnumquodque peccatum, vel peccato pœnæ debitæ eſſent expiandæ; ſed ea omnia ſeparatim & fuſiùs diſcutienda ſunt.

Itaque de excommunicationis impedimentis, nunc eſſet diſſerendum, ſi ſequenti capite pluribus non doceremus, quomodo per eiuſmodi pœnitentiæ benedictionem, ijs omnibus leuarentur pœnitentes, & quantum emolumenti, & vtilitatis, his excuſſis, in

Digitized by Google

eos collatum eſſet; quod denique inter excommunicatos, & pœnitentes diſcrimen eſſet: ex quibus facilè colligetur, quid ſurdo, aut muto, vel citra abſolutionem, ex pœnitentia conferretur: quare hoc loco ea ipſa non ſunt repetẽda, ſed quid ſit, ad donum illud de quo loquuntur Patres Toletani Concilij accedẽdum. Donum aliquod, & gratia quædam pœnitentibus, eâ benedictione conferebatur, & quod magis mireris, in eorum animam, vel ſi omnia ſenſus expertes eſſent, peruadebat, vt canone 2. duodecimi Toletani Concilij, eleganter & lucidè deſcribitur, cuius maiorem partem hic adtexere operæprecium viſum eſt, cùm nullibi magis, neque clariùs huius doni vis & proprietates explanentur: *Quorum impudentia procax & obſtinata procacitas, nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lauacri gratiam venerit, meminiſſet. Etenim paruulorũ infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem diſcernendi, vel expetendi ſenſui aptior iudicatur, niſi ſponſione fidelium Baptiſmi accipiant Sacramentum, nullo ſenſu, etiam diſcretionis induſtria, id appetere poſſunt. Vnde ſicut Baptiſmum, quod neſcientibus paruulis, ſine vlla contentione in fide tantùm proximorum accipitur: ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque vlla repugnantia inuiolabiliter hi, qui illud exceperint, obſeruabunt.* Quod autem eſſet illud donum, & qua in re potiſſimum conſiſteret, quidue eo accepto & infuſo pœnitentibus inferretur, non tam facilè reperies, qui tibi explanabit quam algam in littore, vt aiunt, aut cochleas in dumetis.

Enimuerò diſſimulandum non eſt hæc verba, *Ita*

& pœnitentiæ donum quod neſcientibus illabitur, admirationem mihi mouiſſe, quod manifeſtè doceant ex priſcorum Patrum ſententia, aliquam per pœnitentiæ benedictionem, mentibus pœnitentium innaſci qualitatem; & quoddam veluti donum eo modo inſpirari, quo per Baptiſmum, & ſacros ordines, nouis beneficijs complemur: cùm ſit huiuſce canonis ſententia, eaque illuſtretur Baptiſmi exemplo & comparatione; quid tandem poteſt eſſe illud donum? aut qua ratione explicandum? vel eò magis res difficilis videtur, quod hodie ſola conceſſione pœnitentiæ, in animas pœnitentium nihil quidquam reale tranſmittatur: In hac quæſtione reliqui nihil feceris, vt ei lucem aliquam afferas, neſcio an è ſitu vetuſtatis eam eruere poſſis: iuuabit tamen tentare in re tam implicita, & exponere quidquid illud ſit, quod in præſentia, ad tantam rem, & tam abſtruſam enodandam mihi ſuccurrit: ſi verba illa, *Ita & pœnitentiæ donum quod neſcientibus illabitur*, accipiantur vt ſonant, velintq; antiqui illi canones, aliquid reale, vt ita dicam, ex benedictione pœnitentiæ, in mentibus remanere, id non aliud erat, quàm peculiaris quidam diuinæ gratiæ fauor, & veluti donum gratis datum, quo confirmatus, patientiæque dono corroboratus muniebatur ad exſorbendas omnes difficultates, & exhauriendos labores, qui in illa diuturnitate prolixioris pœnitentiæ deuorabantur, quique ægriùs, ſi peculiaris gratia abfuiſſet, tolerabantur: quemadmodum etiamnum videmus ſingularia quædam dona ſanctiſſimis viris à Deo concedi, ad aliqua perficienda quæ portenti & monſtri loco

Digitized by Google

habentur, atque his de donis ad peculiares effectus prodendos Tertullianus diſſerit, libro de Baptiſmo, cùm ait, *Petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, diſtributiones chariſmatum*, & libro de ſpectaculis, *Quod medicinas facis, quod reuelationes*: quæ quidem gratiæ diuinitùs illapſæ, primis illis ſæculis crebræ erant, eaſque Deus Epiſcoporum benedictionibus, frequenter impertiebat.

Quin etiam ad emendandam illius antiquitatis notitiam, adhibebimus pœnitentiam olim poſt Nicæni tempora, genus quoddam religionis fuiſſe, eamque pœnitentes nouiſſe, & ſolemni voto nuncupatam ſubijſſe, vt ex his canonibus liquet: canone decimo-quinto Concilij Agathenſis: *Pænitentes tempore quo pænitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, à ſacerdote (ſicut vbique conſtitutum eſt,) conſequantur, ſi autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abijciantur.* Canone quarto Concilij Epaunenſis, *Pænitentiam profeßi ad clericatum penitùs non vocentur*, Canone vigeſimo tertio, *Si quis accepta profeßaque pænitentia boni immemor ad ſecularia reuoluatur, prorſus communicare non poterit, niſi profeßione, quam illicitè prætermiſerat, reformetur*, Aurelianenſis Concilij, canone decimo tertio, *De his qui ſuſceptâ pænitentiâ religionem ſuæ profeßionis obliti ad ſæcularia relabuntur, placuit eos à communione ſuſpendi*, Canon quoque vigeſimus quintus Concilij Arelatenſis ſecundi eodem pertinet, & de religione, & profeſſione pœnitentiæ accipiendus eſt. *Hi qui poſt ſanctam religionis profeßionem apoſtatãt, & ad ſeculum redeunt, & poſt modum pænitentiæ remedia*

Digitized by Google

non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitùs non accipiant, & quicumque ille ſit, poſt pœnitentiam habitum ſecularem non præſumat, quod ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur. Epiſtola ſecunda Syricij capite quinto, & ex Diuis Innocentio & Leone multis in locis, quibus ſi adijcias pœnitentes à conſortio vxorum ſemotos fuiſſe, non niſi ex eorum conſenſu pœnitentiam ſubijſſe, habitum communem & vſitatum cum horrido commutaſſe, nullis negotijs, aut rebus ſecularibus, ſe ſe immiſcuiſſe, non erit difficile obtinere, pœnitentiam olim genus quoddam fuiſſe religionis, cuius votum nemo teneretur exoluere, niſi ab Eccleſia acceptum & ratum habitum eſſet, id autem fiebat ea manus impoſitione, & benedictione, quâ pœnitentiam imperabat & concedebat.

Poſtremò nonulla ex priſcis illis ritibus exculpere oportet, quæ huic difficultati lucem præbere poſſint. Ac primùm ad peccatorum veniam impetrandam, nihil magis apud Deum valere ducebant, quàm peccatores de ſe ſupplicium ſumere, & pœnitentiæ ærumnis, & pœnis ſe ſe exercere, ſi modò ab Eccleſia imponerentur, & ab ea ius & facultas illas capiendi conceſſa eſſet; nam quamquam grauiſſimas volentes, ſponteq; pependiſſent, & exquiſitis, inuſitatiſque ſe ſe cruciatibus & ſupplicijs confeciſſent, horum tamen omnium apud Deum, ſæpè exigua, & apud homines nulla erat aut ratio, aut exiſtimatio, niſi Eccleſiæ iuſſu & imperio ea perpetienda ſumerentur. Sed cùm Eccleſiæ authoritas, & conceſſio acceſſerat, tum ſatisfaciend viri, momentumque habebant. Etenim

Digitized by Google

cùm ligandi, atque ſoluendi poteſtas ei ſit permiſſa, haud dubiè ex eius arbitrio inter homines ęſtimandum eſt, quidquid ad peccata eluenda, pertinere aut valere debet: vel ſi alijs verbis rem exponi velis: penes Eccleſiam eſſe ijs pœnis & cruciatibus pretium facere, qui veluti in peccatorum ſolutionem cedere debent, nam cùm penes eam eſſet, (& nunc ſit) poteſtas eadē peccata condonandi, quidquid præterea hâc notâ non ſignatum offerretur, vel ei vis illa delendi, & ſoluendi non eſſet impreſſa, tanquam falſum & adulterinum non erat, ſoluendo: ob has cauſas, neceſſe omninò ijs videbatur, vt Eccleſia pœnas præſcriberet, & benedictione eas imponeret, eaque conceſſio pœnarum & pœnitentiæ, ius pœnitendi, & remedium pœnitendi vocabatur: ita accipiendum quod in quodam canone Concilij Valentini Galliarum habetur, *Vt his iuxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis aditus quidem non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel ſolatij ianua deſperatione claudatur, actori verò pœnitentiam vſque in diem mortis*, quo loco pœnitentiæ conceſſio & benedictio vocatur, *Satisfactionis aditus*, & ſolatij ianua, quia in eam conceſſiſſet Eccleſia, & ius pœnitendi, & agendi pœnitentiam ab ea accepiſſent pœnitentes, quidquid perpeſſi fuiſſent, quantumuis graue & acerbum illud fuiſſet, fruſtra tentatum videbatur: quapropter, quæ ab Eccleſia concederetur pœnitentia, ea ſatisfactionis aditus vocabatur, quia ea impetrata, Ius quoque acceptum & traditum cenſebatur id agendi, quo peccatorum gratia faciliùs obtineretur: eadem quaque pœnitentia, & pœnitentiæ benedictio, *Reme-*

Digitized by Google

dium pœnitendi appellatur à Patribus, vt à Cæleſtino epiſtola prima ad Epiſcopos Galliæ, capite vndecimo, quia ea non erat futura remedium peccatorum, quæ non ſuſciperetur ex præſcripto, & imperio Eccleſiæ: Et quemadmodum Leo primus dicit abſolutionem eſſe communionis remedium, quia qui abſoluebantur, communione & ſocietate fidelium donarentur; ita quoque idem vocat pœnitentiam ab Eccleſia conceſſam, remedium pœnitendi, quod qui ad eam admitterentur, remedium accepiſſent, quo peccatorum vulnera curarentur: Leo Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo, capite ſecundo & ſexto. *Pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi.* Item, *In cuius manu fuit, vt talium obitus, vſque ad communionis remedium differretur.* Cæterùm ſi quæ modò diximus ſatis firma & ſtabilita non videantur, nempe, non minimam abſolutionis partem, in pœnitentiæ pœnis & laboribus antiquitùs poſitam, adijciendum eſt, primis illis temporibus, multis conceſſam fuiſſe pœnitentiam, præciſa omni abſolutionis ſpe, quemadmodum Idololatris, Mœchis, Homicidis, & Apoſtatis, quibus omnibus, vel extremum ſpiritum ducentibus, delicti ſui gratiam non faciebat Eccleſia: Hos igitur, qua ratione, aut quibus verbis erigere potuiſſet ad eam pœnitentiam fortiter tolerandam, & explendam, cuius fructus & communio à ſolo Deo eſſet expectanda, niſi eadem oratione, quam modo adſcripſimus, nihil eſſe ſcilicet, quod non vincerent pœnitentium lacrymæ, vel vna excuſſa, cælum integrum commoueri, eorum gemitus repulſam non pati, prorſus nullum

Digitized by Google

tam immane ſcelus extare, cui pœnæ ab Eccleſia imperatæ veniam promereri non poſſint: & ni his & ſimilibus quæ fiduciam conciliarent, pœnitentibus, qui ſine ſpe reconciliationis in pœnitentia detinebantur, ſpem inieciſſet, fore vt à Deo inculpati aliquando dimitterentur, pauci reperti fuiſſent, qui in illis miſerijs ætatem exegiſſent.

His etiam & aliam rationem, quæ ex eadem illa priſca diſciplina deſumitur, adhibeamus: penes Eccleſiam, non ſolùm poteſtatem eſſe credebant, peccatorum delicta, ſed etiam pœnas ijſdem delictis debitas delendi, atque adeò æſtimandi, quo pretio, quibuſve rebus eſſent redimendæ; ob hanc cauſam ab eadem Eccleſia pœnitentiam, & pœnitentiæ benedictionem expoſcebant, qua benedictione poteſtas fiebat pœnitentibus pœnitentiam ſubeundi, quæ eſſet remedium pœnarum, quæque vim haberet eas delendi, & expungendi. Quod autem exiſtimaſſent labores & moleſtias pœnitentiæ, quæ ab Eccleſia permitteretur, hac vi præditas fuiſſe, non deſunt Patrum teſtimonia; ſed vnum Tertulliani tam apertum & manifeſtum pro omnibus adducetur: *Hæc omnia exomologeſis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat.*

Et ob has maximè cauſas, quas modò expoſuimus, crederem antiquam diſciplinam inſtituiſſe, ne vlli vnquam, niſi poſt ſatisfactionem, & pœnitentiam abſolutio & pax Eccleſiæ concederetur. Nam olim vt

Digitized by Google

alibi dicemus, non vt nunc fit, ante exactam, perfectamque pœnitentiam, nocentes inter fideles adnumerabantur: ſed multis ærumnis, longaque pœnitentia, omnibus prorſus peccatoribus ad communionem via erat aperienda; quod ſcilicet faciliùs, vt ita dicam, venia pœnitenti per abſolutionem impetraretur, qui multis iam ſeſe pœnis confeciſſet, & quaſi ſatisfeciſſet.

Ex ijs omnibus quicquid de ſecunda pœnitentia inter legendum occurret, id totum ita perſpicuum fiet, vt etiam ab inuitis aſſenſum extorqueat, ſed priùs quàm id præſto, & oſtendo, illud vnum præmittendum eſt, varia olim fuiſſe pœnitentium genera. Nam cùm pœnitentia non eadem ratione, neque eodem modo omnibus concederetur, tot commemorantur pœnitentium claſſes, quot modis pœnitentia imponi poterat; qui ad quatuor genera, quantum ad hanc quæſtionem attinet, reuocari poſſunt.

Primùm, vel moribundo pœnitentia ſine communione impertiebatur, cuius vires ex valetudine ita attritæ & extinctæ eſſent, vt nec loqui, nec audire quicquam poſſet, & qui obmutuerat, antequam ad eum ſacerdos potuiſſet accurrere. Secundum eorum erat, qui pœnitentiam, inſtante quidem morte, ſine communione acceperant; ſed valida mente, & integris ingenij viribus. Tertium genus eorum erat, quibus ad extremum vſque vitæ tempus imponebatur pœnitentia, & in ea ex Eccleſiæ præſcripto ætatem agere cogebantur, communionemque non antea recipere, quàm decederent. Vltima claſſis eorum erit, qui acceptâ, finitáque pœnitentiâ in gratiam cum Ec-

Digitized by Google

cleſia, cæteriſque fidelibus redibant.

Cùm igitur pœnitentia eis concederetur, qui in mortis diſcrimine poſiti, alienatæ mentis ſigna & errores oſtendebant, vel quibus omnes ſenſus adempti eſſent, eiuſmodi pœnitentibus, ea omnia per benedictionem pœnitentiæ conferebantur: donum illud ſingulare infundebatur, quo ſi quis eis ſpiritus, aut mentis vſus ſupereſſet, adiuuabantur ad dolendum de peccatis ſuis, & veniam à Deo faciliùs impetrandam; huiuſce doni eſt mentio in Concilio Toletano duodecimo, & de eo accipiendum quod ibidem reperitur, *Donum quod neſcientibus illabitur.* Nam eiuſmodi dona gratuita, quæ ſunt innumera, poſſunt muto, ſurdo, & omnis ſenſus experti, conferri: Votum illud pœnitentiæ quod fecerant, cùm eam poſtularent, quodq; emiſerant antequam vires eos deficerent, & fugerent ſpiritus, ratum habebatur ab Eccleſia: eaque ratihabitio, & acceptatio donum vocari poterat, & beneficium quoddam Eccleſiæ. Nam temerè pœnitentia cuiuis non concedebatur, aut votum illud agendi pœnitentiam ſine delectu recipiebatur; Patreſque Toletani Concilij, de eo dono & beneficio explicari poſſunt, neſcientis enim votum acceptum, eaque acceptio donum & beneficium vocari poſſunt. Præterea eiuſmodi homines qui in extremis eſſent, leuabantur omni onere & peccato excommunicationis, (vt Patres vocant) illa pœnitentiæ benedictione & conceſſione, eaque donum etiam vocari poterat, quod neſcientibus illaberetur: nullo enim maiori dono, aut beneficio pœnitens ornari, aut inſtrui poterat, præ-

Digitized by Google

ſertim cùm nihil illi penè vitæ reliquum eſſet, quàm ſi è poteſtate Sathanæ eximeretur, & ea re donaretur qua excommunicationis impedimentum deponere, & humeris excutere valeret. Cætera quæ per benedictionem pœnitentiæ docuimus irrogari pœnitentibus; videlicet certæ illæ pœnæ, & vis quædam, quæ eis ab Eccleſia inſpirabatur, qua non ſolùm peccata faciliùs, ſed etiam meriti cruciatus deleri poſſent homini illi ſurdo, & penè mortuo, non cenſebatur conceſſa, ni ſanitati reſtitueretur. Quomodo enim pœnitentiæ laboribus & moleſtis vindicaſſet peccata ſua, qui non ſolùm omnibus viribus, ſed vita fermè deſtitutus eſſet? Si verò incolumis è morbo euaderet, quamuis neſcienti, & ne quidem audienti, aut ſentienti pœnitentia indulta eſſet, ius tamen ei acquiſitum erat ad pœnitentiam; & quicquid poſtea eo nomine vſurpabat, peccati veniam apud Deum & Eccleſiam mereri poterat. Itaque hi erant illius pœnitentiæ fructus, quæ ſine abſolutione, aut communionis ſpe pœnitentibus conferebatur: hæ vtilitates, hæc commoda, quæ ex illa pœnitentes, vel ſine peccatorum remiſſione capiebant, & quorum cauſa, tam ardentiſſimè à moribundis exoptabatur, & ſurdis, & mutis iam iamque morituris, benedictione impertiebatur.

Hi verò, qui mortis metu feſtinabant ad pœnitentiam, quibuſue paulò ante mortem ſine abſolutione ea concederetur; omnia illa beneficia & præſidia, quæ per eiuſmodi benedictionem comparari paulò antè ſcripſimus, conſequebantur. Nam quamuis in extremis iacerent, & tam exiguo viuendi ſpatio

Digitized by Google

ſatisfacere, & diuturnas & moleſtas pœnitentiæ pœnas capere & ſufferre non viderentur: tamen quia mentis & rationis ſenſu integro & valido vterentur, longas illas pœnitentiæ ærumnas vna cogitatione, vel leuiſſima pœna æquare poterant, & explere, ſi ita iuſſiſſet & conceſſiſſet Eccleſia: in cuius eſt poteſtate contrahere, minuere, aut producere pœnas illas peccatis debitas, & ſatisfactionis meritum æſtimare, & ponderare, atque ſatisfaciendi vim & pondus quibuſlibet pœnis, quantumuis exiguis & leuibus imponere, & inferre.

Ex ijs omnibus ſatis liquet, quid cæteri pœnitentes tertiæ & quartæ claſſis, ex pœnitentiæ benedictione adipiſci poterant. Quapropter ea referre amplius, aut explicare ſuperſedebimus. Cæterùm ex ijſdem intelligitur, quid verba illa apud Innocentium ſibi velint, *Negatam fuiſſe communionem, conceſſam pœnitentiam, ne totum penitus negaretur*, totum enim non negabatur, cùm pœnitentia ſine communione concedebatur, cùm tam varijs, tamque diuitibus, & pretioſis donis & beneficijs, eâ acceptâ, complerentur pœnitētes. Cætera quoque, quæ de eadem pœnitentia reperiuntur, à Patribus, aut à Concilijs dicta & vſurpata, conueniunt cum his quæ diximus. Nam petere pœnitentiam extra confeſſionis ſacramentum, eam ſine abſolutione concedi, eam recuſari, non poſſe ſine Eccleſiæ conceſſione vſurpari, & his ſimilia: ex ijs quæ in hac obſeruatione habentur, ſi explicari & plana fieri non poſſunt, alijs ſaltem, vt eò perueniant, viam & facem præbuerimus.

Digitized by Google

DISCRIMEN INTER EXCOMMVNICATOS ET POENITENTES perpetuæ Pœnitentiæ.

OBSERVATIO IV.

NOn ſatis compertum habeo, an olim quemquam communione fidelium ita mouerit Eccleſia, vt omnem ei non ſolùm abſolutionis, ſed etiam pœnitentiæ ſpem eriperet: & an quoſdam ita ſeuerè exercitos habuerit, vt perpetua eos excommunicatione feriret: id autem quemquam in præſentia non attineat, neque magnoperè interſit diſceptare, ac diſcutere, facilè tamen adducor, vt credam facinoroſis, & ex omnium ſcelerum, & flagitiorum colluuione concretis hominibus, vel etiam, ſi in eadem ſæpiùs præcipites peccata abeant, pœnitentiam, modò illa peteretur, nunquam denegatam: Cæleſtini verba id ſuadere videntur, capite ſecundo, epiſtola ad Galliæ Epiſcopos. *Agnouimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſiderijs annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubueniri: horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quouis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem redimere, quo ſe ille expediri deſi derat & liberari, quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mortem addere, eiuſque animam ſua crudelitate ne abſolui poſſit, occidere? & ſalutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegarit. Item, cùm ergo Dominus ſit cordis*

inſpector, quouis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cùm ille ſe obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari. Idem etiam ex his Innocentij verbis hauriri poteſt, *Negata meritò communio, concesſa pœnitentia,* & ſi in hiſce ſcriptis hi loquendi modi, *Excommunicationis perpetuæ, perpetuò excommunicati,* aut ijs ſimiles reperiantur, non ita à me dicta quis exiſtimet, quaſi velim aliquos olim perpetua excommunicatione punitos, ſed vt pœnitentes perpetuæ pœnitentiæ ab alijs pœnitentibus diſtinguerem, & vim perpetuæ pœnitentiæ exprimerem: verùm an iure Eccleſia, & ea qua pollet authoritate potuerit id facere, eſſent qui exiſtimarent, hac præcipua de cauſa, quod magis inſolens, aut alienum à diſciplina Chriſtiana id non videatur, quam Idololatris vel in morte pacem & abſolutionem recuſare: quod antiquitus factum legimus & probauimus; ſed quidquid ſit, multi reperiebantur excommunicati, qui circum fores Eccleſiæ pœnitentiam flagitabant, multi præterea, qui ſalutis ſuæ immemores neglectâ, & non petitâ pœnitentiâ morerentur: hos igitur cum pœnitentibus lubet conferre, qui in perpetua pœnitentia ætatem tranſigebant: Nam illud non eſt ambiguum, & extra omnem controuerſiam de quibuſdam olim ita ſtatutum, vt omni abſolutionis ſpe præciſa, vel ſi præcipiti aliquo valetudinis genere tentarentur, ſolâ pœnitentiâ donarentur. Excommunicati ijſdem iudicijs, quibus communione fidelium indigni facti erant, Sathanæ quaſi traditi cenſebantur, & amiſſis omnibus quæ per Baptiſmum adepti eſſent, ad eum ſtatum redijſſe, quem antequam lauacro purgarentur, habebant:

habebant: id ita certum & fixum olim habebatur, vt non niſi ijſdem ritibus, ijſdemque exorciſmis, paci reſtituerentur pœnitentes, quam Catechumeni in Chriſti familiam Baptiſmo tranſierant, vnde dignoſcitur, de vtriſque idem iudicium apud antiquos fuiſſe, neq; magis hos, quàm illos ex eorum Theologia & ſchola in Sathanæ fuiſſe poteſtate: excommunicati igitur per ſententiam excommunicationis, in illud periculum vocabantur: atque ex ea adeò certa pernicies & peſtis eis impendebat, vt ſi ob aliam cauſam, quàm quod lethaliter peccaſſent, vt ita dicam, ius ſocietatis amiſiſſent, nihilominus peccato teneri, & in ſummo diſcrimine verſari crederentur. Agathenſe Concilium Canone tertio, *Et ſi parere noluerint, communio illis vſq; ad tempus Synodi, à reliquis Epiſcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicationis peccatum, excommunicati longo tempore morte præueniantur.* Quibus verbis peccatum aliquod excommunicationis iudicio quaſi imponi, & affingi videtur.

Præterea excommunicati à cæteris Chriſtianis, vt alibi diximus, tanquam polluti vitabantur, verùm tantâ curâ, tantoque ſtudio, vt ne quidem eos, non dico alloqui, ſed nec intueri ſatis tutum, & honeſtum eis videretur, ne minimò ſcilicet, vel vſu, vel conſuetudine, labem contagione contraherent, & pares, ſimileſque illis efficerentur. Ad extremum nemo eſt, qui ignoret ſi in his rebus minimum verſatus ſit, pro eo qui in excommunicationis vinculis mortuus eſſet, vel priuatim, vel publicè nefas olim fuiſſe preces concipere, aut poſt eius obitum, quæ à propinquis pro

Digitized by Google

animæ eius ſalute oblationes & munera offerrentur, accipere, benedicere, aut altari, vt mos erat, admouere.

Hic erat excommunicatorum in Eccleſia ſtatus, & vitæ conditio, at pœnitentium longè diuerſa, nam quamuis à communione fideliũ tam procul abeſſent, vt eam recuperandi, ne quidem in morte copiam non magis ſperare deberent, quàm excommunicati, tamen benedictione pœnitentiæ, manuumque impoſitione pleraque conſequebantur, quibus eorum conditio potior fiebat. Primùm cùm excommunicato pœnitentia concederetur, eadem manus impoſitione tollebatur excommunicatio, & periculum illud, quod excommunicatione intentabatur, non hærebat ampliùs pœnitens in peccato illo, quod appellant excommunicationis, è poteſtate denique ac tyrannide dæmonis eximebatur: clarum autem id ſit ex canonibus, qui ſtatuunt vt pœnitentiæ deſertor, & transfuga, pœnitentiæ habitu repudiato, excommunicetur: id enim decretum ſupponit, præmittitque pœnitentes, ſuo pœnitentiæ tempore excommunicationem non incurriſſe, cùm in ea non perſeuerantes excommunicari potuerint: præterea ſi ante pœnitentiam meminerimus pœnitentem excommunicatum fuiſſe, quare, quomodo ſolutus ſit ab ea excommunicatione, cùm ante pœnitentiam eâ adſtrictus, impetrata, ſolutus reperiatur? nulla certè alia ratio afferri poteſt, quàm impoſitione manuum, & pœnitentiæ benedictione eum ab excommunicatione liberatum eſſe: nam ab excommunicatione ad tertium vſque gradum pœnitentiæ, nulla reperitur, aut Eccleſiæ aduerſus excommuni-

Digitized by Google

catos indulgentia, aut ceremonia alia quâm pœnitentiæ conceſſio & condonatio, quare neceſſariò affirmandum eſt, eâ conceſſione ſublatam fuiſſe excommunicationem.

Cæterùm quamuis pœnitentes nulla premerentur excommunicatione, non ideo participes eos exiſtimes fidelium communionis, veluti omnia cum cæteris communia haberent, orationes, preces, ſacra, ſacrificia, oblationes, Agapas, ſtationes, vigilias, ieiunia, & ſimilia, quæ apud fideles celebrabantur: nam ea omnia pœnitentibus, æquè ac excommunicatis deerant: neque magis illis, quamuis in vinculis excommunicationis non detinerentur, quàm his eorum omnium fiebat poteſtas: Inter excommunicatos igitur, & fideles media quaſi via incedebant, Pœnitentes, & communionis Chriſtianæ, veluti candidati vocari poterant: nam quamuis iure ſocietatis fidelium carerent, non propterea vagi, non exules, non incerti, vt excommunicati, eius quæ poſt mortem futura eſſet ſalutis conditio, immò ſecuri confidebant, ſi æquo animo, & patienter impoſitas pœnas intoleraſſent, ſibi Deum fore miſericordem: Neque mirum videri debet, quod diximus pœnitentes medium quaſi ſtatum inter fideles, & excommunicatos obtinuiſſe, nam tot & tanti erant gradus interiecti, antequam ad Euchariſtiam perueniretur, vt tot genera pœnitentium numerari poſſint, quot eſſent gradus pœnitentiæ & communionis; atque vt pœnitentes quarti gradus, qui vocabantur ſubſiſtentes, non erant pœnitentes, (veri enim pœnitentes in tertio gradu collocabantur) neq;

Digitized by Google

fideles, ſed medio quaſi ordine inter pœnitentes, & fideles inſerebantur, ita pœnitentes primi, ſecundi & tertij gradus, quibus ab Eccleſia eſſet conceſſa pœnitentia, medium locum inter excommunicatos & ſubſiſtentes occupabant: quemadmodum etiam, qui Baptiſmo purgati antequam confirmarentur, deceſſerũt, non vocabantur Chriſtiani, neque fideles, (ſi veterem loquendi vſum tenere velis) ſed baptiſati: eodem planè modo pœnitentes non poſſunt vocari Excommunicati, ſed inter eos & fideles recenſebantur.

Poſtremò, fas erat cum eis agere, verſari, cibum capere, ac eiuſmodi humanitatis officia perſequi, & quod viui communionis, & pacis ius obtinere non poterant, emiſſâ animâ ſe ſe recuperaturos non dubitabant: nam poſt mortem oblationes eorum ab Eccleſia recipiebantur, qui vnus erat modus, & ratio, quâ qui in pœnitentia abſque reconciliatione, vitâ exceſſerant, in communionem reuocarentur; quæ omnia apud excommunicatos non erant. Quod autem oblationes pœnitentium poſt eorum mortem ſolemnibus ſacris adhiberentur, varia extant teſtimonia: Arelatenſe Concilium ſecundum, Canone duodecimo. *De his qui in pænitentia poſiti vitam exceſſerant, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honorauit pænitentiam, oblatio illius recipiatur:* Concilium Carthaginenſe quartum, Canone ſeptuageſimo nono. *Pænitentes qui attentè leges pænitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poßit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Sed non ſolùm oblationes

Digitized by Google

pœnitentium, qui antequam abſoluerentur, extincti eſſent, recipiebantur, verùm eorum etiam, qui pœnitentiam deſiderantes, & inclamantes morte oppreſſi fuerant, antequam adiuuari potuiſſent; teſtante id vltimo Canone, qui Concilio Epaunenſi annectitur. *Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui iam ſit confeſſus, & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad ſacerdotem, ſed præoccupauit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.*

VNICA POST BAPTISMVM POENITENTIA.

OBSERVATIO V.

INcredibilia propè ſunt, quæ his capitibus dicturi ſumus: ſed tamen ita vera, atque certa, & quæ cuiuſque animum ſummam in admirationem rapiant, Eccleſiam primis temporibus nulla, vel leuiſſima labe inquinatam fuiſſe: quin ita illibatam, intactamque, vt omni ratione, cura & ſolicitudine proſpexerit, filij vt ſui, quam à Baptiſmo hauſerant puritatem, eam nullâ aſperſam vitij alicuius maculâ ac fœditate conſeruarent: Imò ea ſeueritate adhibita, vt fugiendum ſibi, deteſtandumque peccatum, quouis terrore propoſito putarent.

Non ſolùm autem multa crimina, peccataque numerabantur, quorum authores, artificeſque abſolutionem omnem deſperabant, ſed & ea quoque quibus

Digitized by Google

ignoſci, & pœnitentiam concedi oportere ſenſerat, peccata ita vlciſcebatur, vt non niſi ſemel eis qui ea commiſiſſent, vnius pœnitentiæ copiam faceret Eccleſia: hoc eſt, ſi poſt Baptiſmum quis lethaliter peccaſſet, (exceptis ijs peccatis, quæ monſtri loco haberentur, & alijs tribus quæ commemorauimus,) illi multorum annorum pœnitentiam vnam aſſignabat, quâ tandem actâ, ad fidelium communitatem allegebatur. Quod ſi cum Eccleſia reconciliatus in idem, aut aliud mortale peccatum iterum prolaberetur, ita in perpetuum tribus primis ſæculis ab Eccleſia repulſam ferebat, vt non niſi pœnitentiæ, & in morte precum quæ reliqua erant ſubſidia expectanda ſibi duceret, nulla abſolutione data, quæ in ſpem veniæ illum erigeret. Quæ diſciplinæ antiquæ inſtituta propoſitaque ita ſentio quoſdam torquere, vt ſi probationum noſtrarum firmamenta admittant, rem tamen non credant ab Eccleſia vllo tempore vſurpatam. Hermes antiquus author, libro ſecundo vnicam eſſe pœnitentiam aſſerit, *Seruis quidem Dei pœnitentia vna eſt.* Item, *Vnam pœnitentiam habet.* Tertulliano authore idem confirmatur, qui rem totam planiùs: *piget ſecundæ, imò iam vltimæ ſpei ſubnectere rationem:* Item, *Sed iam ſemel, quia iam ſecundo, ſed ampliùs nunquam quia proximè fruſtra.* Diuus Ambroſius, & Diuus Auguſtinus in eandem mentem loquuntur & ſentiunt. Sed quis primorum Eccleſiæ temporum ſeueritatem, acrimoniamque non fuiſſe eam credat? cùm perſpicuè demonſtremus non pauca fuiſſe peccata, quæ perpetua excommunicatione ferirentur, hoc eſt qui communioni, ne in morte quidem

Digitized by Google

reſtituerentur. Non minùs iuſtum, æquumque videtur Eccleſiæ fores occludere ijs, qui Dei miſericordiam ludibrio habeant, (ita loquuntur canones) quique ijſdem ſeſe vitiorum illecebris conſtringendos dedunt, quorum veniam ſemel impetrarant, ac ijs qui nunquam vllius remiſſionis beneficio affecti ſunt. Cùm, quæ Concilium Eliberinum ſecundo & tertio canone ſentit, vera eſſe putantur & credibilia, eos perpetuâ pœnitentiâ, vel citra abſolutionem caſtigatos fuiſſe, qui tria aut duo in ſe peccata mortifera concepiſſent; grauiùs autem, acerbiúſque quis exiſtimet eis ſecundam denegare pœnitentiam, quos cùm Eccleſia perſanaſſet, ijdem in idem peccatum malitiosè recidiſſent? At quid clarius eſſe poteſt eo canone, qui ſeptimus Concilij Eliberitani. *Si quis fortè fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta, actâ pœnitentiâ, denuò fuit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Et quod peccatum, peccato carnis longiùs, latiúſque ſapit? Patres tamen Eliberitani Concilij ei qui ſecundò pellici ſe ad id peccatum ſiuerit, pœnitentiæ locum non impertiuntur, ne cui autem de eorum inſtituto, decretoque dubitare liceat, neue minùs illud ipſum paſſim obſeruetur, eandem omninò cauſam repetunt Canone 47. Rationemque ſubijciunt, non eſſe diutiùs id ferendum, ne communio fidelium in contemptum vocetur. Si tempore Syricij, Sancti Innocentij, Diui Leonis, Item Conciliorum Arelatenſis, Venetici, Turonenſis, Andegauenſis & Toletani, nulla alia ijs qui poſt pœnitentiam rurſus peccabant, aut anchora propoſita, aut Eccleſiæ gratia ſperanda,

Digitized by Google

quàm vt quandiu viuerent, Euchariſtiâ priuarentur, quo tandem modo ab Eccleſia primis illis temporibus diuexatos fuiſſe putandum eſt? quo quidem tempore ſanctus Innocentius ait coactam, compulſamque Eccleſiam ſeueriùs animaduertere in delinquentes, quo atrocitate diſciplinæ auſterioris inuecta, in officio continerentur fideles contra perſecutionum fluctus, turbulentiſſimaſque tempeſtates, quibus Eccleſia iactabatur vehementiùs, ſi non abſorbebatur; de ea priſtina ſeueritate luculentum extat teſtimonium in Concilio Toletano tertio, canone vndecimo his verbis, *Sed fœdiſsimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent.* Et, *Hi verò qui ad propria vitia, vel infra pœnitẽtiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundum priorum canonum ſeueritatem damnentur.* Quod ad illam diſtinctionem, ſeu diſcrimen pœnitentiæ publicæ ſeu ſolemnis, priuatæ & ſingularis attinet, quod plerique in medio ponunt, exiſtimantque hac illata, inductaque differentia omnes difficultatum nodos poſſe conuelli & diſſolui, qui legentibus & peruoluentibus, ſcripta, & canones Patrum inexplicabiles occurrunt. Id ipſum non niſi ad quartum ſæculum & conſequentes annos referri & valere poteſt: primis enim temporibus, non vnius eiuſdem peccati lethalis cauſâ, duo diſtincta reperias pœnitentiæ genera· nec probare quis poſſet propter vnius fornicationis crimen, ſiue publicum, ſiue priuatum, aliam fuiſſe quàm publicam indictam pœnitentiam.

TOTIES

TOTIES INDVLTVM QVOTIES PECCATVM.

OBSERVATIO VI.

EX illa dura & moleſta ſanè Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratione, eò delabi cœpta eſt Eccleſia, vt peccata omnia quæ committerentur, non ſemel aut iterum, ſed quoties peccaretur, toties dimitteret. At quomodo & quando id permiſſum eſt. Primùm non ignorandum eſt tempore Concilij Eliberini vnicam fuiſſe pœnitentiam permiſſam: canones quippe ante citati manifeſtè id declarant. Neocæſarienſe Concilium pœnitentiam eam mulierem ægrè poſſe obtinere ait, quæ rurſus adulterio ſe ſe contaminarit: Laodicenſe ſecundo canone aſſerit pœnitentiam dari poſſe ei, eáque exactâ, poſtea communionem, qui mortifera peccata non pauca commiſiſſet: inde intelligas oportet, ſi ſubdubitarent, vtrum illis, qui plurimis ſe ſe lethalibus peccatis obligaſſent, concedenda eſſet pœnitentia, multò magis dubitaturos, an is eam impetrare iure poſſet, cui poſt pœnitentiam & abſolutionem contigerit, in idem peccatum, quod alias admiſiſſet, recidere. Syricius apertè omninò, quod ad eos attinet, qui peccata peccatis accumulant, aut denuò peccant, poſt pœnitentiam, & abſolutionem, ſi rurſus peccent eripi omninò oportere pœnitentiæ locum & remedium: tamen hanc veniam poſſe quamquam indigniſſimis tribui, vt ſolemni ſacrificio, rebuſque diuinis interſint.

Digitized by Google

At vt Euchariſtiam ſumant non niſi in morte ijs concedere, quo ex permiſſu, poſſumus cognoſcere, tempore Syricij nondum fuiſſe ratum atque fixum, vt quoties quis deliquiſſet ei ignoſceretur: verum quidē eſt, iſto canone ſeueritatem iſtam antiquæ, & quæ fuerat primis ſæculis, cœptam diminui: nam ingreſſus in Eccleſiam liberè eis permittitur, communicatio precum & Euchariſtiæ in morte impertitur, quibus olim eos caruiſſe certũ eſt in tertio Toletani Concilij, quod anno Domini quadringenteſimo octogeſimo nono, aut 490. habitum eſt, Epiſcopi non ferendum illum, qui in Eccleſiam illatus fuerat, morem grauiter inſectati ſunt, vt toties peccatorum condonatio fieret, quoties eſſe ab aliquo commiſſa comperiſſent, ſtatueruntque ex antiquo veteris memoriæ Patrum decreto præſcriptoque pœnitentiam agendam, eaque rite peracta, ſi quis peccato ſe mortifero induerit, pro ſeueritate antiquorum canonum puniendum; hoc eſt meo iudicio, omni præciſa ſpe ſocietatis fidelium, exturbandum excommunicatione: vnde poteſt colligi, non niſi quarto aut quinto ſęculo hunc morem inuectum, vt ijs, qui poſt ſecundam pœnitentiam eiuſdem criminis rei comperiebantur, alia concederetur pœnitentia.

Digitized by Google

ABSOLVTIO IN MORTE DENEGATA.

OBSERVATIO VII.

QVis auderet, velletque pro certo ſtatuere primorum temporum adeò duram, ſeueramque fuiſſe diſciplinam, vt ne excommunicatis quidem, hoc eſt, pœnitentibus perpetuæ pœnitentiæ, cùm extremum vitæ ſpiritum profunderent, abſolutionem impertiri vellet: Preces infimas, lacrymaſque hominis in ſummum vitæ diſcrimen adducti, cùm eius ex hoc corporis ergaſtulo animus in aliam vitam erumpat & euolet, ita deſpici ab Eccleſia, vt id ei ſummoperè contendenti, ipſa non largiatur, quod non efflagitantibus, ac prope recuſantibus hodierno die vltrò Eccleſia offerat: admirabilis & portenti loco cenſebitur hæc propoſitio, eamque aliquo modo facere cum Nouatianis, aut ab eorum partibus ſtare nonnulli arbitrabuntur: atque id auſim affirmare, vt omnia conquiramus, perſcrutemurque argumēta probabilia, quibus id ſtatuamus, non eam tamen vim habitura, vt opinionem hanc non reijciendam comprobemus. Tamen qui eam conſideratè & attentè conſiderarit, non poterit non ſummâ admiratione compleri & affici, cùm ſecum ipſe cogitarit quæ fuerit antiquæ diſciplinæ vis atque perfectio, innocentia, charitas, obedientiaque Chriſtianorum; vbi Chriſtiani, inquam, illi, qui annum vnum nullius peccati lethiferi ſibi conſcij vitam traduxerunt? quique eo robore, ac conſtantiâ animi

ſunt, vt omnes voluptatum illecebras, lenocinia, oblectamentaque reſpuant, omnem luxum & turpitudinem oderint, vbi fidelium greges intacti, vitæque integritas tanta ſit, vt omni genere virtutum, atque actionum honeſtiſſimarum ſplendore ac dignitate, cum primis ſæculis contendant? Ecquis vſquam reperiatur, qui antiquæ pœnitentiæ aſperitatem, ſqualoremque ſufferre ac ſuſtinere poſſit?

At dicat quiſpiam Chriſtianos, hoc impoſito, inuectoque in medium viuendi modo, atque ratione in apertum æternæ ſalutis periculum vocatos fuiſſe: Non eſſe cuiuis facile & procliue tantum doloris & triſtitiæ ex vita flagitioſa & ſcelerate traducta, quantum eſſe poſſit ad delendam euellendamque ex animo Dei, vt ita loquar, vnius peccati lethalis memoriam, erepto ſacramentorum ſubſidio. Præterea nemo ſanæ mentis & conſilij inficiabitur, eoſdem Chriſtianos ſpoliatos videri cæleſti quodam fauore, ac gratiæ diuinæ benignitate, quam noui teſtamenti lex ſibi præcipué, cum eo vetus teſtamentum careret, vendicare poſſit. Nam præſidia, aut auxilia quæ expectantur, *ex opere operato* certiora ac firmiora multò ſunt ijs, quæ ex opere operantis proficiſcuntur, aut alijs legalibus quibus Iudæi tantùm nitebantur. Reuera tamen exercitum hoc & ſolicitum viuendi genus in perſequenda virtute eos delectaſſe certum eſt: ſed cùm me penitus in eorum Theologiæ diſciplinam dediſſem, has ego rationes non contemnendas reperiebam. Primùm enim ad Chriſtianorum fidem amplexandam fermè omnes ætate iam prouectos primis tem-

poribus animum adieciſſe conſtat, qui cùm ſenſim per gradus quoſdam, ac veluti incunabula Catechumenorum proceſſiſſent, hanc imbibebant opinionem, quæ penitus in eorum animis inſideret, diuinæ iuſtitiæ iram vehementer pertimeſcendam, peccati turpitudinem immortali odio digniſſimam, tanquam contagioſiſſimam peſtem fugiendam, magno & excelſo animi robore ad virtutis iter multis difficultatum vepretis, atque dumis obſeptum progrediendum: quo non niſi patientiæ laude præcellentes, & alta quadam mente præditi peruenirent: Eccleſia autem Diuuſque Paulus memoriæ proditum non ignorabat, ſe ſuoſque miniſtros, *Myſteriorum diſpenſatores* eſſe, non ſolùm vt quo ordine, quove modo atque via, ſacramentorum ipſa adminiſtratio inſtitueretur, ſed etiam vt ſummo iure, ac pro ſua ſumma poteſtate, ſuum ad arbitrium atque iudicium ſacramenta aut recuſaret, aut adminiſtraret Eccleſia. Tertiò verba illa diui Pauli, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, in eam ſententiam, ſpectata vi verborum, interpretabatur Eccleſia, credebatque, ſi quis ad ſocietatem congreſſumque aliorum coaptatus fuiſſet peccator, qui tetri alicuius flagitij & ſceleris conſcientia exulceratus eſſet, nec id à ſe crimen perpetratum, debito quo par erat pœnitentiæ alicuius ſupplicio, diluiſſet, cæteros fideles ſua congreſſione ac conſuetudine in eandem fraudem, malitiamque pertrahere potuiſſe. D. Cyprianus non raro hoc veluti pronunciatum, quaſi ab omnibus & receptum exaggerat, multaque alia inde, vt veriſſima colligit, vſque eo vt dicat Stephanum Papam cum

Digitized by Google

baptiſmum hæreticorum, vt legitimum valere ad ſalutem ſentiret, in eorum communionem & ſocietatem veniſſe; Et non ſe tantùm, ſed & alios de ſuo grege fideles omnium peccatorum, quæ à praua hæreticorum ſecta deriuantur, conſcios conſorteſque reddidiſſe; à quo etiam ſcelere non abhorrere videbantur cæteræ aliæ Eccleſiæ, quæ huius Pontificis doctrinam tuerentur, ac defenderent. Tertullianus ante Cyprianum, non alio argumento vſus, idem confirmarat. Ex illo autem metu, qui fuit maximus, illaq; Theologiæ diſciplina ſeu doctrina, vt cum ſumma caſtimonia, vitam traducerent, iniectus ille ardor erupit, aut, vt prolixa tot annorum pœnitentia ſuſciperetur, quâ peccatores vitiorum, peccatorumque ſordibus deterſis perpurgarentur, antequam ad fidelium numerum, cœtumque rurſus allegerētur. Quando autem tam atrocia, tamque fœda peccata deprehendebantur, veriti ne non ſatis eos pœniteret qui ea commiſiſſent, & ita deleri aut elui non poſſent, ea omnia diuinæ voluntati, iudicioque reſeruabant: neque Eccleſiæ cum ijs commercium eſſe vllum, ſocietatemque volebant. Quarto loco tametſi eam planè vim poteſtatemque ligandi, aut ſoluendi Eccleſiam obtinere credidiſſent, eademque ſacramenta vim eam habere omninò non dubitarent, tamen hoc vnum meditabantur & ſtatuebant, vt ſatisfactione peccata expiarentur, pœnitenſque ſuorum à Deo flagitiorum veniam impetraret: atque adeò ſupplicio potiùs de ſe ſumpto, pœnaque ſibi irrogata, ea expungeret, quàm vlla vi ſacramentorum; etſi fortè eos is metus vrgeret,

ne non omninò ſatis graues & acerbas peccatorum ſuorum pœnas à ſe repetijſſent pœnitentes, eos ad Dei Optimi Maximi miſericordiam & benignitatem remittebant, neque ſinebant ſuo à quo reiecti fuerant gregi obrepere, ne eorum ſocietate reliquus grex fidelium contaminaretur.

Quintò ita ſeuerè, aſperéque eos tractabant, quo illi ſe intra officij, religioniſque cancellos continerent, virtutem perſequerentur, vitij turpitudinem fugerent: nam cùm propter peccatum lethale, non ignorarent, perpetua ſe excommunicatione, aut quæ ad multos annos propagaretur, ſegregandos, ſe ſuaque omnia ſtudioſiùs, ne qua in re laberentur, circumſpiciebant: adde miracula prope quotidiana, adeoque frequentia, quæ oculis vſurpabant, quibus commoti non pauci, qui aliàs obſtinatos ſe ac obfirmatos aduerſus fidem Chriſtianam præſeferebant, eam conſtantiſſimè complecterentur: quam alioquin non tam diuini verbi prædicatione, quàm miraculorum copia adducti arripiebant: omitto grauiſſimorum ac periculoſiſſimorum morborum depulſiones, exactos è corporibus hominum dæmones, aliaque ſexcenta portenta diuinitùs geſta, hæc, aliaque tacitùs prætereo: quamquam eam vim habebant, vt in multorum animis diuini amoris, charitatiſque faces accenderentur, obedientia prompta, alacritas, hilaritas, cæteræque virtutes, quæ in omnium pectoribus emicabant, vigerent. Omnes vno verbo, quaſi ab omni ſenſu ſeuocarentur, extra ſe poſiti in cæleſtium rerum cogitatione, ac commentatione defigebantur, erantque in attonito nec quic-

Digitized by Google

quam optatius, aut iucundius accidere illis poterat, quàm, vt cruciatus Chriſti cauſa perpeti poſſent.

Quapropter non eſt mirandum, cur graui quodam flagitio coopertum & ſcelere conflatum hominē à ſuo tam caſto, integroque cœtu, in quo inquam nihil præter innocentiam ſpectares, propulſarent: vt videmus extra ſepta religioſarum familiarum emitti, educique eos quos per ſe ipſa præpoſtera & facinoroſa vitæ ratio à cœnobijs excluſerit. Vnde mirum videri nemini debet, cur eorum & prolixæ, & ſeueræ pœnitentiæ indicerentur: ad extremum Sanctus Innocentius huiuſce rei rationem affert: affirmat quippe ſi peccatores in morte ipſa pœnitentiam & abſolutionem ſe adepturos ſperaſſent, lapſos quoque idem poſtulaturos fuiſſe. Nam ipſorum cauſam quamuis Eccleſia iudicarit grauiore quadam pœna mactandam, tamen ferendam & tolerabilem, ac quodammodo iuſtiorem cenſeri, quod non ſuapte ſponte, ac ſumma voluntate adducti, vt adulteri, & homicidæ, ſed crudeliſſimorum tormentorum metu & grauitate victi & edomiti diuini numinis iram in ſe concitarent: Eccleſia autem ſuos omnes filios, ſeu fideles martyrij gloriâ accendere & inflammare conabatur; Propterea nullum non genus ſupplicij excogitabat in eos, qui impietatem illam & defectionem à fide, tormentorum metu in ſe concepiſſent, abſolutionemque aliorum peccatorum non dandam putabat, ne eo facto cogeretur, conſectario quodam iure, eandem relaxationem idololatris condonare. Verùm ipſa diſciplina quantumlibet ſua ipſa ſeueritate & atrocitate fidē excedere

videatur

videatur, ſpectata tamen diligentiùs, ſi pugnare cum ea quam hoc tempore profitetur Eccleſia videatur, noſtræ tamen Theologiæ non contraria cenſebitur: Tridentina namque Synodus, hoc nobis perſuaſiſſimum eſſe vult, abſque ſacramento pœnitentiæ, ipſaq; abſolutione, quemuis peccatorem poſſe in morte, contritionis vi ac efficacitate ſibi Dei gratiam beneuolentiamque promereri: quo argumento poſito, dubitationi nullus locus relinquitur, quin ſumma illa primorum temporum integritate & innocentia potuerit Eccleſia eam inducere & probare ſeueritatem, quandoquidem peccatores deſtituti illo præſidio pœnitentiæ & abſolutionis, ſuæ ſaluti cōſulere potuerint, nihilque illis defuerit, quod ad ſalutem, gratiamque diuinam recuperandam requiri, aut deſiderari potuerit, præſertim cum pœnitentia, eiuſque donis & beneficijs inſtructi & dotati.

CANONVM AVTHORITAS.

OBSERVATIO VIII.

CÆterùm tot ad eam rem comprobandam allatæ rationes, ſi non ſatis probent aliqua olim fuiſſe peccata quibus vel in morte ſpes omnis communionis, & abſolutionis præciſa eſſet, non deerunt canones, qui id omninò confirment, & omnem tollant dubitationem. Hi omnes, qui tam apertè vetant communionem etiam morientibus impertiendam, non id efficient; euincentq; fuiſſe quædam peccata, quibus abſolutio etiam in

morte negaretur? Exiſtimare autem verbum hoc, *Communionem*, pro Euchariſtia, ac non potiùs pro abſolutione ſumi oportere: inſignis imprudentiæ & inſcitiæ eſt, quam non incurret, qui in euoluendis Patrum ſcriptis, aut in antiquitatis cognitione, vel mediocriter verſatus fuerit. Primùm enim germana, geminaque huius verbi & protrita omninò ſignificatio eſt, accipi pro ſocietate fidelium, atque adeò pro iure quodam, ac veluti eius parte, quam quiuis ſibi adſciſcebat. Quare probandum eſſet Concilia à propria & vſitata notione, ac ſignificatione detorquere vocem illam ad Euchariſtiam indicandam: Deinde primis illis ſæculis duo illa à ſe diſtingui & magnoperè diſſidere videbantur, abſolutionem dare & Euchariſtiam: certumque eſt prorſus de vno, ante quam de altero, verba mentionemque fieri: nunquamque ad communionem quemquam peccatorem admiſſum Euchariſtiæ, quin priùs actum eſſet de Communione quæ illi cum fidelibus eſſe deberet. Hinc exiſtimari poteſt & intelligi quando canones ita loquuntur, *In fine accipiat, aut non accipiat communionem*: Id ita interpretandum ex ritu, formulaque diſciplinæ Eccleſiaſticæ de abſolutione, quam triennio, aut quadriennio ante Euchariſtiam diſtribuebant. Tertiò, *In fine accipiat communionem, & non accipiat communionem.* Ad eandem communionem omninò referenda ſunt. Ijs autem qui totam in pœnitentiæ continuis angoribus vitam traducebant: quique tamen, ſi ſubeſſet cauſa mortis, ad communionem reuocabantur, nullo modo Euchariſtia porrigebatur: Sed tantùm, *Ius ſocietatis fidelium.*

Digitized by Google

Quia ex antiquo illo Eccleſiæ ritu, nemo non videt, non mediocre collatum eſſe in eos beneficium, cùm ſola dumtaxat abſolutio ad ſalutem neceſſaria conferretur: Euchariſtia autem non adminiſtrabatur pœnitentibus, quamuis moribundis, niſi per Epiſcopum, vti mox dicemus, propterea in canonibus in quibus illa verba legis, *Nec in fine*, verbum, *Communionis*, eadẽ planè acceptione ſumitur, qua abſolutio.

Quarta diſciplina in dies Eccleſiæ, ſeu agendi, viuendique modus ab ſumma illa & priſtina ſeueritate ad maiorem humanitatem defluxit, ita in Concilio Nicæno multò remiſſiùs, quàm in Arelatenſi, in Arelatenſi quàm in Eliberitano, remiſſiùs, inquam, & leuiùs omnia tranſacta: ſicque ſurſum verſus gradiẽdo, aut regrediendo factum agnoſces. In Concilio quidẽ Nicæno, imò centum annis poſt idem Concilium, arcentur ab Euchariſtia pœnitentes in morte, ſine permiſſu Epiſcoporum: Perſuaſiſſimum ergo ſit, tempore Concilij Eliberini prohibitum fuiſſe preſbyteris multò ſeueriùs, ne eam impertirent eiſdem pœnitentibus. Proinde veriſimiliùs Canones iſtos, qui ita loquuntur, *Nec in fine, aut in fine accipiant communionem*, qui frequentiſſimi ſunt in illo Concilio Eliberino, ad abſolutionem, non ad Euchariſtiam referri omninò: Præſertim cùm quod canones eſſe præſtandum præſcribunt, vt agatur penes preſbyteros, vt plurimum ſit, & ad eos, inquam, potiùs quàm ad Epiſcopos, quæ à Concilijs dicuntur, referri par ſit, quibus cùm non liceat Euchariſtiam adminiſtrare pœnitentibus, vt ex Nicæno patet, veriſimile non eſt ſcriptos con-

Digitized by Google

ditoſve fuiſſe canones, quibus quod eorum eſſet munus officiumque non præſcriberetur, & eos mentionem facere de re quam Preſbyteri præſtare non auderent: Itaque in illis Canonibus, *Communio*, pro abſolutione, non pro Euchariſtia accipienda eſt. Quid quod Concilium Eliberinum, multò leuiùs, tolerabiliúſque Nicæno fuiſſet, quo cauetur, ne Euchariſtia pœnitentibus, vel in extremum vitæ diſcrimen adductis porrigatur, ſine facultate conceſſuque Epiſcopi, hoc autem liceat miſſo; poſthabitoque Epiſcopi conſenſu, eam pœnitentibus porrigere.

Quid autem obijcias, aut apponas canoni vltimo Concilij primi Arelatenſis, quo vetari videas, ne Apoſtatis extremum ſpiritum exhalantibus cōmunio detur? *De his, qui apoſtatant, & antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem agere pœnitentiam quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Quid? Eademne explicatio, expoſitioque contrà afferretur, quæ contra rationes & argumenta quæ protulimus, allata eſt? Nam vt probationum noſtrarum firmamenta omittamus, ecquis hoc ſibi perſuadeat Apoſtatam vel morientem, cùm neque benedictionis, & pœnitentię locus, aut copia ei facta fuiſſet, neque abſolutio conceſſa, auſurum fuiſſe Euchariſtiam petere? cùm primis Eccleſiæ temporibus perfecta abſolutaque omni ex parte reconciliatio, & ius ad Euchariſtiam non niſi certo quodam ordine aliquot annorum concederetur? Primum enim facultas agendæ pœnitentiæ daba-

Digitized by Google

tur quamuis penè expiraret. Deinde minor reconciliatio, ad extremum ius ad Euchariſtiam, quo poſito quis probabile putet Concilium verba facturum fuiſſe de fine & perfectione communionis, niſi ante diſſeruiſſet de modo atque via eò quò tendebant perueniendi? atque adeo de alijs, vt ita loquar, communionibus, quę ad hãc ſummam, atque omnino abſolutã cõmunionẽ perducerẽt. Poſtremo nobiſcũ illi conſentiẽtibus animis ſentiebant, abſolutionẽ ſatis omnino præſidij atque opis afferre ad ſalutẽ, ideoque quod ad peccatorũ cauſã attinet aliud nihil duriſſimis illis & ſeueriſſimis tẽporibus agitur, quàm quod ad ſalutẽ excõmunicatorũ valeat. Quapropter in vltimo illo canone, vox illa, cõmunionis, pro abſolutione, nõ pro Euchariſtia accipienda eſt. Concilium Nicænũ canonem ne edidit de re, quæ decreta iam, vſitata, confirmataque ab exordio naſcentis Eccleſiæ eſſet nemine reluctãte, aut repugnante, atque adeo iam inde ab Apoſtolis antiquitate per manus, quaſi ad Concilium Nicænum vſque tranſmittente, vſuque comprobante cùm inſtituiſſet, præcepiſſetque Concilium, vti abſolutio ſiue communio pœnitentibus daretur, morte accedente, interceptis antequam pœnitentiam aliquot annorum ſpatio definitam peregiſſent. Hoc omnium aures reſpuunt, neque enim leges aliam ob cauſam feruntur, quàm vt quod interuerſum aut perturbatum eſt, reſtituãt, aut aliquid quod ab Eccleſia in poſterũ obſeruetur, decernant. Hinc perſpicitur ante XIII. Canonem Nicænę ſynodi aliquos non conceſſiſſe pœnitentibus, cùm morerentur, abſolutionem.

Digitized by Google

Et quamquam iſto omnium celeberrimo Concilio conſtitutum videatur, vti omnes pœnitentes morte abſoluantur; tamen in Concilio Sardicenſi Can.1.certas ob cauſas ab aliquaque quæ occurrent crimina decretum eſt, ne in morte communio, & abſolutio cõcedatur. Quod ſi *Communio laica* aliud nihil eſt quàm in cœtum numerumque fidelium laicorum aſcribi, & à peccatis abſolui, vti alias demonſtratum eſt, videre erit in illo Concilio abſolutionem in morte negatam. *Omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita vt nec laïcam communionẽ in fine accipiat talis.* Quod autem à Sancto Innocẽtio ad Epiſcopum Tholoſanum ſcribitur, planum omnino & perſpicuum, vt omnis ambigendi locus tollatur: neque vnquam quicquam ab aliquo ita explicatum ſuper hoc Canone eſſe comperi, quod contrariæ opinioni, & ſententię patrocinaretur: Nam dicere verba eſſe facta de Euchariſtia, eamque verbo illo *Communio* indicari in illo Canone, minùs id rationi conſentaneum: neque vllo modo probabile eſt, quia (vt in explicatione, aut expoſitione illius Canonis dicimus) verbum illud ipſemet Innocentius interpretatur de abſolutione cùm ait *Reconciliationis ſecuros*, manifeſtéque oſtendit *Communionem* aliud eſſe nihil præter reconciliationem; Quorſum præterea antiquam illam diſciplinam duram & auſteram vocaret, ſolius tantum Euchariſtiæ prohibitio recuſatioque fuiſſet? Quia vel poſt ipſum Innocentium legimus Euchariſtiam pœnitentibus negatam fuiſſe, vt in decretis & reſponſis Felicij: Nonnulli vt ex hoc lubrico, & quaſi ſcopuloſo difficilique loco emergerent, San-

ctum Innocentium, aliud nihil in animo habere exiſtimant, quàm vt Concilij Eliberini acerbitatem verbis iſtis inſimulet, *Obſeruatio prior durior*, ac ſi Sanctus Innocentius de vnius prouinciæ diſciplinæ ratione, nõ autẽ vniuerſæ Eccleſiæ loquatur, cũ Patres perpetuæ pœnitentiæ Euphratam in Cõcilio Coloniẽſi addixerint, (erepta quippe illi in perpetuum laicorum communione, abſolutione item illum priuatum eſſe, certum erat argumentum,) probè tenebant nihil ſe moliri, aut pertentare, quod à conſuetudine atque moribus Eccleſiaſticæ diſciplinæ abhorreret; vnde manifeſtum fit abſolutionem morientibus olim denegatam fuiſſe. Cæterùm quid contra hæc verba canonis tertij Concilij Valentini opponent ij, qui huic antiquæ diſciplinæ & comprobatæ doctrinæ acriter repugnant? *Circa eorum verò perſonas, qui ſe poſt vnum, & Sanctum lauacrum, vel profanis ſacrificijs dæmonum, vel incæſta lauatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſeruandam, vt his iuxta Synodum Nicænã, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, & vel ſolatij ianua deſperatione claudatur, acturi verò pœnitẽtiam vſque in diem mortis non ſine ſpe tamen remiſsionis, quam ab eo plene ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diu ei miſericordia eſt, vt nemo deſperet.* Denique inueſtigare inſtituenti omnia pœnitentiæ genera, variaſque indictas ab Eccleſia pœnas, plurimorumque annorum decretos cruciatus perſpicuum eſſet, veteri Eccleſiæ ritu & inſtituto potuiſſe in ipſa morte abſolutionem recuſari.

APOSTATÆ NEC IN MORTE ABSOLVTI

OBSERVATIO IX.

APoſtaſia perpetuæ pœnitentiæ, non auſim dicere excommunicationis, quæ immutari reuocariq; nō poſſet, icta fulmine eſt, multò antequam Nouatianorum hæreſis in lucem tenebris erumperet: Nam cùm Tertulliani ætate adulterium & homicidium, vtpote quæ ab Apoſtaſia ſuperentur, pœnitentiâ perpetuâ plecterentur: quis de Apoſtatis vellet ambigere, aut negare pari ſupplicio affectos fuiſſe? Poſt Tertullianum, ad Cyprianum vſque idem pœnæ genus in eos inuentum & excogitatum: Nam tametſi vehementer obſtiterit, validiſſimiſque rationum firmamentis Nouatianis obluctetur, pœnitentiæ tabulam lapſis non eſſe eripiendam, tamen in extrema parte ſuæ diſputationis Cyprianus Apoſtaſiam eximit, eamque vt eâ gratiâ indignam excipit. Inde perſpicias, etiam ſi Nouatianos accuſent, & condemnent, tamen fuiſſe quędam crimina non negat, quibus antiqui Patres pœnitentiam ſeu relaxationem ſubtraherent: *Apoſtatæ verò & deſertores, vel aduerſarij, & hoſtes, & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundum Apoſtolum poſſint ad Eccleſiæ pacem, quando nec Spiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt vnitatem.* Iam inde à D. Cypriani tempore, ad Concilij Eliberini tempus ijdem Apoſtatę anathemate, vt par eſt credere, coercebantur.

bantur: & in concilio Arelat. primo, communio eis & abſolutio in morte denegatur.

QVANDO PRIMVM ADMISSI.

OBSERVATIO X.

DVo genera reperiuntur Apoſtatarum, quorum vnum à religione Chriſtiana abiectè defecerat: neque tamen ſe falſorum Deorum cultui mancipabat, aut vlla ſe ſe Idolatria polluebat: Alterum autem eorum qui nullo tormẽtorum compulſi metu, Chriſtum Dominum pernegarant, & ſimulachris Dæmonum thus adoleuerant, XLVI. canone Concilij Eliberini primi, illi Apoſtatæ eiuſdem Concilij tempore exacto decem annorum pœnitentiæ tempore, communionis fidelium participes factos conſtat: Quemadmodum vltimo canone Concilij primi Arelatenſis, pœnitentiam cùm concedi ſibi, ſi modò moribundi non eſſent, poſtularent, non repellebantur. Quod autem ad eos attinet qui Idololatria à Deo deſciuiſſent, neque ex Concilio Eliberino, alijſque ante Nicænum vnquam ne in morte quidem à ſuſcepto Idololatriæ facinore liberabantur. Nam cùm eadem tempeſtate neque Idololatræ, neque lapſi, quos ad Chriſti fidem deſerendam diritas tormentorum, quæſtioneſque crudelem in modum habitæ adegiſſent, ij abſolutionem niſi poſt diuturnam, & multorum annorum pœnitentiam conſequebantur: quis vellet affirmare aut credere Apoſtatas pari facilitate admiſſos fuiſſe? Propterea canone

Digitized by Google

XLVI. ſic habetur, nec *Fuerit Idololatra* Concilio Nicæno canone II. nullũ non genus Idololatrarum & apoſtatarum, omni exceptione poſthabita, dummodo eos pœniteret abſolutione gaudere cœpit, pręmiſſâ tamen duodecim annorum pœnitentiâ.

LAPSIS NEC IN MORTE PAX CONCESSA.

OBSERVATIO XI.

QVo probemus lapſos perpetuæ pœnitentiæ pœnis, vel ſine ſpe abſolutionis mulctatos fuiſſe primis duobus ſæculis, Sacramentorumque vſu, vel in ipſo articulo mortis perfrui prohibitos: tum argumenta rationeſque Tertulliani contra decretum Zepharini Papæ perpendendæ, tum illa examinanda, quæ ſuo loco de eorum reſtitutione dicentur.

LAPSORVM RESTITVTIO.

OBSERVATIO XII.

CRudeliſſima ſuppliciorum genera, quibus Chriſtiana religio diuexata fuit, ad mortem vſque Fabiani Papæ ita propagata ſunt, eiuſdemque ab interitu, ad Cornelio item illatam necem, vt plerique tormentorum diritate & acerbitate perterriti, à Deo & fide ad impietatem defecerint: Ea autem fuit incredibilis lapſorum vis ac copia, non modo Romæ, ſed & Carthagini, vt eò

Digitized by Google

prorumperent, ad id omni via, quoquo modo extorquendum, quod ad id vſque in illud tempus, iuſtis de cauſis denegarat Eccleſia, nimirum, vt liberum, ſolutumque illis eſſet ad pœnitentiæ aſylum confugere: eorum autem prima poſtulatio, mortuo Fabio Romæ, Cypriano viuente Carthagini, ſed eodem ob perſecutionis procellam abſente. Cæterùm Romæ eorum conatus eò proceſſit, vt commendatione & ardentiſſima Martyrum deprecatione, quo in ergaſtulis, carceribuſque collocatos adibant, aut interpoſita authoritate ſacerdotum, quos ad ſuam ſententiam, voluntatemque pertrahebant, aut ipſorum obteſtatione quam in limine & veſtibulo ædium ſacrarum admouebant, totum Eccleſiæ ſtatum conturbarint: eóque Romanum clerum adegerint, nec dum nouo creato Pontifice, vt quo primo quoque tempore petitioni ſuæ fieret ſatis, *Eorumque ratio haberetur*. Id autem eſt ſtatutum, decretumque, vt tantiſper ſubſiſterent, donec reſtinctâ perſecutionis flammâ, quæ latè graſſabatur, toti Eccleſiæ pax optata reſtitueretur, fieretq; poteſtas conuocandæ Synodi, quæ poſtulata non grauatè audiret. Proinde bene ſperandum rem ex animi ſententia proceſſuram, nihilque adhuc de veteri Eccleſiæ inſtituto detrahendum, aut immutandum, quod ſuo quaſi capite ſpoliata cùm eſſet, non facilè quicquam ſine conſilio tranſigeret: atque id primò fuit ad lapſorum poſtulata reſponſum, quod colligi facilè poteſt ex literis Romani cleri ad Diuum Cyprianum datis, ijſque recèns editis in lucem XXX. & XXXI. in quibus animaduertas, ſi cui neceſſitate

Digitized by Google

mortis oppreſſo è vita demigrandum ſit, ei pœnitentiam & abſolutionem condonandam. *Ante constitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, vt interim, dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, vt in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur, eorum autem quorum vitæ ſuæ finem vrgens exitus dilationem facere non poteſt, actâ pœnitentiâ & profeſſâ frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentes, ac veræ pœnitentiæ animi ſigna prodiderint, ita demùm cautè & ſollicitè ſubueniri.* Neque verò Carthagini minor impetus lapſorum extitit cui Paſtoris abſentia ſuffragabatur: Diui tamen Cypriani authoritas, non eorum temeritati, audaciæque ceſſit, cùm quantum in eo ſitum eſſet, eos ad pœnitentiam non admiſit, grauiterque presbyteros increpuit, quod commendatione Martyrum commoti, in gratiam receperint: quin ipſos martyres criminatus eſt, qui authoritate ſua ad pacem lapſis impertiendam abutebantur: retento, ſtabilitoque iure quodam ac præſcripto, quod Romæ ſancitum eſt, ad breue tempus expectarent, dum perſequutionum turbo quidam violentior conſideret: Eccleſiaque tandiu conquaſſari agitarique cœpta; compreſſa tempeſtate conquieſceret, quò commodiùs Concilio quodam publico conuocato, de re tota quicquam certi conſtitueretur: rem eſſe eiuſmodi, quæ totius Eccleſiæ conſenſum, Epiſcoporumque omnium ſententiam iudiciumque requireret; proinde quicquam inducendum non eſſe, quod reſcindi poſſet. Ideoque veteribus legibus, moribuſque

teneri oportere, lapſos, erepto illis pœnitentiæ ſubſidio, ne ſi quidem eos mori contingeret, niſi à martyribus pacem, abſolutionemque impetraſſent: quod ſi cuius obſtinatior, obſirmatiorque animus eſſet, quàm vt perſequutionum Eccleſiæ finem expectare non poſſit, id à ſe ipſo obtineri poſſe, quod ei Eccleſia pernegaret, ſe daturam reſpondit, neque defore occaſiones, quæ crebræ erunt Chriſtianæ religionis tuendæ cauſa, mortis oppetendæ, poſſeque, quod perfidia, aut turpi defectione perdiderit recuperare, cum profuſione ſanguinis, & martyrij teſtificatione. Illud Diui Cypriani anticipato conſilio confirmatum iudicium teſtantur epiſtolæ 14. 15. 16. 17. 18. & 19. tertij libri antiquæ editionis, quæ in recenti leguntur 10. 11. 12. 13. 14. & 18. Et hæc præcipuè ad Antonianum verba. *Ne me quis exiſtimet à propoſito meo leuiter receßiſſe, & cùm Euangelij primò vigorem, & inter initia defenderim, poſt modum videar animum meum à diſciplina & cenſura priore flexiſſe, vt his qui libellis conſcientiam ſuam maculauerint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putauerim: Quod vtrumque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt.* Verba hæc, *inter initia,* ſignificant tum primùm de reditu lapſorum, ac pœnitentia quæſtionem mouiſſe, item illa *Euangelij primò vigorem,* exiſtimaſſe Cyprianum repudiandam primam illam petitionem, omninò, eamque in perpetuum negligendam ab idololatria abſolutionem: verbis quippe illis ſuperioribus, hæc quæ ſequuntur opponit, *laxandam pacem putauerim:* Quare ſi *defendere Euangelij vigorem,* illis opponitur, *laxare pacem,* aliud

Digitized by Google

nihil eſſe video, planéque conſtat, quam Eccleſiam, neque pacem, neque abſolutionem illis tribuere. Quin & ſignificanter verba illa quæ proximè ſequuntur innuunt, eo ſenſu accipienda, quibus confirmat, ſi Concilij euocandi moram ferre non poſſent: *Qui differri non poteſt, poteſt coronari*, poſſe martyrio abſolutionem conſequi: vnde conijcias toto illo tempore, quod ab eorum petitione ad perſecutionis finem exitumque interiectum eſt, à pœnitentia excluſos, nihilque illis permiſſum, niſi ſpem quandam oblatam admittendæ eorum poſtulationis, vbi Eccleſia varijs afflictata tempeſtatibus conturbari deſijſſet. Id autem Romanæ Eccleſiæ Clerus verbis his aſtruit. *Quamquã nobis in tam ingenti negocio placeat, quod & tu ipſe tractaſti priùs Eccleſiæ pacem ſuſtinendam. Deinde ſic collatione conciliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus, pariter aſtantibus laicis facta, lapſorum-ue tractare rationem.* Atque hæc & Romæ, & Carthagini promulgata & decreta, interim dum Concilium cogi poſſet: vnde liquet lapſos excommunicationis illatæ in tempus ante Cornelium ignominiâ aſperſos, & veniam nunquam vel in morte obtinuiſſe, cùm & id eiuſdem Epiſtolæ verba declarent. *Ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credidimus, & interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpendio eorum qui foris poſſunt dilatione ſuſtineri, cauſa teneatur.* Id ipſum perſpici poteſt, & ſtabiliri quoque Epiſtola 18. Tertij libri cuius mentionem facit Epiſtola ad Antonianum.

Quid? nonne & argumento eſt, iudicio illo cognito declaratoque ante Cornelij & Cypriani tempora, lapſos ad pœnitentiam, neque ad ſocietatem fidelium vnquam vocatos. Etenim ſi vetere Eccleſiæ diſciplina & conſuetudine primorum temporum receptum eſſet, vt lapſis ad pœnitentiam confugere liceret, eáque peractâ ad pacem Eccleſiæ aſpirare Romæ, Carthagini, ſtatuiſſentne eis omnem pœnitentiæ ſpem eripiendam eſſe? nonne reſpondiſſent id mordicùs ſequendum, tutandumque eſſe quod ab Eccleſia de more & inſtituto maiorum confirmatum eſſet, lapſoſque fruſtra tanta vi, tantoque conatu pœnitentiam petere, quæ eis ex vſu Eccleſiæ denegari non poſſet. Quid quod agnoſcere & propè confiteri compellimur iudicium, ſententiáque illã Cypriani & Romani cleri ad lapſorum cauſam, patrociniumque pertinere potiùs quàm ad vllum detrimentum; imò ad eorum leniendum mœrorem, quam ex dilatione capiebant, eam eſſe promulgatam, vt expectatione ſuſpenſi Concilij publicè conuocandi erigerentur. Quod ſi primorum temporum mos tuliſſet, vt ad pœnitentiam accerſerentur, ſtatutum illud acerbius ſibi multò odioſiúſque duxiſſent, quàm quod cõmuni vſu receptum diuulgabatur, & ad ipſorum animos irritandos, laceſſendoſque magis, quàm ad mitigandos dimanaſſet: Ad extremum, Clerus Romanus ad ea quæ ſupra, addidit *nihil innouandum eſſe*, proptereaque lapſos excommunicatos videri, neque ad pœnitentiam admittendos: ex quo colligas antiquis temporibus, nunquam non fuiſſe pœnitentiæ perpetuæ cenſurâ notatos: neque

communionis ius fuiſſe illis aliquando commiſſum, alioqui ad peruertẽdum Eccleſiæ ſtatum, res illa conceſſa prorſus erupiſſet: verùm quæ diximus infirma, debilia argumenta videri poterunt, eò quod validiora ſequuntur, quamquam potentiſſima ſint. Priùs autem quàm ad vltimam ſententiam iudiciumque de lapſis Romæ & Carthagini latum progrediamur, perpendendum omnino, quod leuiter & obiter quodammodo in prima ſententia decreuiſſent, propoſita quidem morte, quæ illis obeunda eſſet, lapſos poſſe abſolui, quod de ijs tantùm intelligendum puto, quos ipſi Martyres commendaſſent, aut in partem ſuorum meritorum venire paſſi eſſent, ob ſupplicia grauiaque tormenta, quæ fidei cauſa ſubijſſent: nam quod attinet ad eos lapſos quos Martyres, participes ſuorum laborum aut meritorum non eſſe ſiuiſſent, eos quamquam ad perferendam mortem adigerentur, auctore ſaltem Cypriano, à Communione repellendos, eo ſaltem tantùm tempore, quoad Romę & Carthagini, ipſa legitimo & publico vtrobique habito Concilio res tota conficeretur: Id autem ea verba corroborant. *Credo, vt qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio adiuuari apud Dominum poſſunt in ſuis delictis, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu eis à nobis in pœnitentiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittuntur, Cæteri verò &c.* Quibus verbis videre eſt beneficium hoc non ita patere, vt ad omnes deriuetur, ſed ad eos tantùm, qui ad Martyrum merita, in quos ipſi ea tranſfudiſſent participãda accederent: & Epiſtola ſuperiore

riore omninò, id haud multò aliter docet, *Vt qui libellos à Martyribus acceperunt:* Et paulò infrà, *veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſiderauerunt.* Atque hic eſt eius clauſulæ ſenſus ſententiaque, cùm ait eos abſoluendos, qui morte occupabantur, quod magnoperè confert ad eam opinionem confirmandam, primis temporibus lapſos, idololatriæ nunquam crimine fuiſſe, quod incurrerãt, liberatos, cùm quo tempore Diuus Cyprianus vixit, quibus moriendi neceſſitas eſſet impoſita, eodem crimine obligati in foro exteriori Eccleſiæ obſtrictique ij tenerentur. Et quamquam Romæ omiſſa illa Diui Cypriani ratione, ſeu explicatione, videlicet in morte lapſis qui à martyribus commendarentur, pœnitentiæ locum eſſe: putarim tamen id ita explicandum quod Romæ declaratum eſt, vt id omninò Diui Cypriani, menti, iudicioque conſentiat: Nam in eorum epiſtola hæc verba habentur, *Quanquam & nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti*, non enim veriſimile videri, quidquam ab eo prolatum ea de re, quod pugnet, diſſideatue cum Romana ſententia decretoque, & verè dignus eſt tantus vir, eaque doctrinæ gloria præſtans Cyprianus, qui Romanorum decretorum vim, intelligentiamque pugnaciſſimè defendiſſe ſemper iudicetur.

Hæc autem ſententia de lapſis ita viguit, vt vniuerſa Eccleſia eam comprobaret, ipſique in eo ſtatu ſtarent, quo tempore à Fabiani Pontificatu, ad Cornelij tempora, grauiſſimis iactati calamitatibus conflictabantur fideles: atque tum maximè Carthagini

Digitized by Google

lapſi vt loquuntur epiſtolę creberrimę Diui Cypriani, nullum non mouerent lapidem, vt in antiquum ſtatum reſtituerentur, vnde excidiſſent. Peruicerunt autem, vt per preſbyteros quoſdam cùm abeſſet Diuus Cyprianus, neglecta Epiſcopi authoritate, ſine vlla exomologeſi, aut pœnitentia numerarentur inter integros, hoc eſt, quos nulla defectionis à fide labe contaminatos conſtaret, ijs Euchariſtiâ præbitâ, nominibuſque eorum acceptis, & adſcriptis. Nec contineri eorum inſolentia potuit: nam ſi à presbyteris, aut eos Eccleſia à ſuo cœtu omninò ſecerneret & reijceret, confugiendum ſibi ad Martyres exiſtimarunt, (vt & tempore Tertulliani adulteri præſtiterunt,) quos Martyras, ita importuni interpellatores exorarunt, vt ab ijs commendatitias litteras extorſerint ad pacem & ſocietatem fidelium, imò abſolutionem obtinendam, iniuſſu tamen Eccleſiæ. Sed antequam rem iſtam ſuprà tractatã ſuo quodam fine, exituque terminemus, & ad Concilium Romæ & Carthagini habitum, eorumque ſententiam communi cõſenſu receptam, quę lapſos ad ſpem erigeret, gradum faciamus, operæpretium fuerit videre, quo ſenſu interpretari quis debeat poſſitve primi illius decreti Eccleſiæ ſententiam & mentem, quæ in his verbis poſita eſt, *Placuit in exitu ſubuenire*. Primis namque temporibus magnum quoddam interiectum interuallum inter eos audio, videoq; qui accepta pœnitentia, ad vitæ diem poſtremum eam protraherent: talique tempore præſtituto, hoc beneficio vti ijs liceret, vt abſoluerentur, in ſocietatem fidelium aſcriberentur, Euchariſtiam ſumerent: & inter

eos, quibus palàm nec obſcurè denunciaretur, adduci non poſſe Eccleſiam, vt ad Pœnitentiam eos admoueret, niſi morbo præpediti, vexatique eſſent, quorum tunc ſortem, conditionemque miſerata Eccleſia pœnitentiæ tunc ſubſidium vltrò porrigeret, tali præſertim in cauſa: atque illi quidem ſpe maxima fruebantur, eiuſque rei compotes effecti, pœnitentiam patienter exercebant, excommunicationis vim non pertimeſcebant, aditu Eccleſiæ non prohibebantur, ſalùs eorum deſperata, deplorataque cùm non eſſet, libero, ſolutoque animo pœnitentiæ remedio, nec diſſimulanter vtebantur; non exaudiebantur eorum gemitus in veſtibulo Eccleſiarum, non ad terram proſternebantur, nec genua prætereuntium prenſabant, nec Epiſcoporum pedes oſculabantur, quò faciliùs ab ijs pœnitentiam exprimerent; non mortis metu percellebantur, cuius improuiſo impetu, caſuque intercepti pœnitentia priuarentur; vt paucis multa: illorum conditio melior, feliciorque multò, quàm aliorum quibus excommunicatis nullum erat cum reliquo grege fidelium commercium: hos non congreſſu, neque ſocietate, neque luce communi dignos putabant, cum his nemo inire conuiuium, nemo in partem, aut communionem illam vllius iuris, aut ſtudiorum eos venire volebat: perditis, afflictiſque rebus omnibus horum ſalus in ſummum vocari diſcrimen ita videbatur, vt id vnum magnoperè metuerent, ne excommunicati è vita excederent, quod pœnitentia delere vitæ ante actæ maculas non liceret, quãtumuis ſe vitæ angoribus conficerent, aut omni ſe cruciatu

corporis aut laboribus excarnificarét. Quod ſi inediâ, vigilijs, ſupplicijſque voluntarijs ſeſe mactarent, non alio ſanè conſilio ac mente ad eas corporis acerbitates deſcendebant, quàm vt digni haberentur, quibus eos debito quodam modo ſcelerum pœnitere fas eſſet, ſed fruſtra: non enim propterea dici poterant oblite-raſſe peccata flagitiaque, quæ in ſe turpiter admiſiſ ſent, cùm Eccleſia dolorem illum pro nihilo haberet, nihiloque ſecius ad communionem vocaret: ſin autem, nec opinantes vitam cum morte commutare cogerentur, tum neceſſe erat, non obſcura & illuſtria mœroris acerbiſſimi indicia præ ſe ferrent, vt pœnitentiam & ea probè obita, abſolutionem ſortirentur. Primi illi ſi propius à morte aberant, tam ſignificanter, expreſſéque non tenebantur edere doloris aut contritionis argumenta, quod & pœnitentiam iam vſurpaſſent, eaque ritè perfecta abſolutionem neceſſariò conſequerentur; quæ quidem alijs, niſi exactam ante perfectâque prę̨miſiſſent, aut profeſſi eſſent exomologeſim, negabatur.

Atque hoc eſto diſcrimen inter illos, quibus non conceditur pœnitentia, niſi cùm in aperto vitæ periculo verſantur, & eos qui permiſſu, & ſumma voluntate Eccleſiæ pœnitentiâ acceptâ eam ad mortem vſque proferunt: ac certè non mediocri beneficio affici videbantur lapſi illi, quibus Romæ & Carthagini primis illis iudiciis id condonabatur: vnde coniecturam facias quantò deterior eorum eſſet cõditio, antequam id obtinuiſſent, quę alia eſſe non poterat, quàm quod perpetuę quaſi excommunicationis pœnam ſubirent,

Digitized by Google

quandoquidem magni muneris loco ducerent ſe inter pœnitentes ad mortem vſque cenſeri.

Sed ad id quod ea de re pari conſenſu decretum, vltimaque Conciliorum ſententia definitum eſt, veniamus: Perſequutionis furore & violentia retardata omninò, Cornelius Romæ Concilium; Carthagini D. Cyprianus item ſuum habuerant, vt lapſorum ius controuerſum diſceptaretur: cuius is fuit exitus, vt pœnitẽtiã reciperent, eamque ad mortis extremũ vſque diem quidẽ producerẽt, ipſoque mortis obeũdę tẽpore tantum abſoluti à ſocietate, & cõmunione fideliũ non excluderẽtur: libellaticos autẽ poſſe reponi inter fideles, modò pœnas aliquas pœnitentia ſuorum ſcelerũ exoluiſſent; atque hæc eſt lapſorum in cauſa dijudicata quæſtio, quo factum eſt & comprobatum, vt antequam lis illa tota ſuperior agitata concluderetur, in perpetuum excommunicationis quaſi vinculo lapſi conſtringerentur, ita vt ne ipſa quidem in morte expedirentur, aut abſolutione fruerentur. Supereſt vt id Concilijs illis conſtitutum probetur, quo nihil facilius verbis illis, maximè ad Antonianum. *Et ideo placuit frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubueniri.* Cauſam rationemque aperit eorum, quæ cùm Romæ, tum Carthagini acta, tranſacta, & definita fuiſſent, libellaticos quidem recipi poſſe in gratiam, modò eos conſtet ſpecimen quoddam, vel leuiſſimum pœnitẽtiæ præbuiſſe, præſertim cùm minùs deliquiſſent, minorique pœna feriendi eſſent, quàm qui Dijs immolaſſent, quos condemnarant, vel potiùs hoc eos beneficio cumularent,

Digitized by Google

vt toto vitæ curſu pœnitentiam vel ad ipſum vſque obitum non intermitterent: tum morientes participes fore communicationis, id ita eſſe eiuſdem Epiſtolæ verba indicant. *Temperamentum ſalubri moderatione librauimus, vt nec in totũ ſpes cõmunicationis, & pacis lapſis negaretur*, Item, *ne ad communicationem temerè proſilirent; ſed traheretur diu pœnitentia*, quæ ſuperioribus verbis explicantur, ſed & hæc quæ ſequuntur, *Traheretur pœnitentia*, ad mortem vſque dici illa putanda ſunt: vt & infrà ea quæ nos expreſſimus & attulimus demonſtrant: & vt ipſemet fatetur, expoſita illa quam affert differentia lapſorum, qui non ante finem pœnitentiæ quàm vitæ faciunt; & Martyrum & aliorum fidelium, *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcere nõ exire inde donec ſoluat nouiſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe, aliud denique pendere in die iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.* Epiſtolâ altera ad Cornelium ita diſertis & germanis verbis citat, quæ de communi ſententiâ & conſilio ſuorum Coepiſcoporum, vt id in dubium reuocari non poſſit. *Statueramus, vt qui in perſequutionis infeſtatione ſupplantati ab aduerſatio, & lapſi fuiſſent, ac ſacrificijs ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent.* Verba hæc, *ſub ictu mortis* luce meridiana clariora ſunt, quàm vt quiſquam dubitare debeat ſumma liberalitate id illis eſſe tributum, vt cùm è vita diſcederent, abſolutionem impetrarent:

Digitized by Google

planè idipſum in eadem Epiſtola iterat, repetitque his verbis, *Vt de ſæculo recedentes ſine communicatione aut pace Domini dimitterētur, & hiſce; meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, vt infirmis, ſi qui eſſent in exitu ſubueniretur, quandiu quies, & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & ſubuenire ſero morientibus in infirmitate pateretur.* Cornelius autem, quod contra quam in Concilio Romæ, & Carthagini habito præſcriptum erat, lapſos adigi oportere, vt ad mortem vſque pœnitentiam promouerent: neque niſi tali in periculo conſtituti abſoluerentur, Cypriani ſententiam improbarat, qui lapſis quibuſdam pœnitentiam laxarat, neque quod Eccleſia, vt firmum & ratum decreuerat, tutabatur. Qua de re certior factus Cyprianus, ita reſpondet, certiſſimè quidem id fuiſſe Eccleſiæ ſententiâ communi declaratum: verùm id potuiſſe fieri, & retineri tempore pacis, quo ſoluti omni cura, & metu liberi, poterant, vel ad necem vſque pœnitentiam non interrumpere, auxilioque & præſidio Eccleſiam illis eſſe poſſe, quo tempore præſentiſſimam illis opem eſſet allatura. Perſecutione autem recrudeſcente, (hæc enim epiſtola aliquanto poſt Concilia, & alteram perſequutionem quando lapſi hoc ſibi dari poſtularunt, ſcripta eſt, ac maximè quantum ego conijcio Imperatore Decio ſæuiente) non fuiſſe mortis tempus aut horam expectandam, vt abſoluerentur: ſed eos Dei gratiâ muniendos, quò promptiùs, & alacriùs ad ſupplicia, & cruciatus Dei cauſa perferendos graderentur: *Nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda, vt quos excitamus*

ad prælium non inermes; & nudos relinquam[9]. Quid cauſæ eſſe potuit, cur Cornelius Cypriani factum criminaretur, quod lapſos quoſdam ante obitum abſoluiſſet, niſi quod eius factum à Conciliorum deciſione decretoque abhorreret: vnde coniectari licet, non aliam fuiſſe Conciliorum mentem, quàm, vt Idololatræ non niſi morte ipſa abſoluerentur, ibique interim maleficia, & ſcelera pœnitentia delerent.

Quod autem conqueritur D. Cyprianus Therapium, cuidam lapſo Eccleſiæ pacem tribuiſſe, multo antequam è vita excederet, liquidò illa & ſignificanter coarguunt, duobus illis Concilijs aliud non fuiſſe permiſſum lapſis, quàm vt in morte abſoluti decederent, *Quibus ſignificaſti de Victore quodam presbytero, quod ei antequam plenè egiſſet, & Domino Deo in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius collega noſter immaturo tempore, & præpropera feſtinatione pacem dederit, quæ res nos ſatis mouit, receſſum eſſe à decreti noſtri authoritate, vt ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate vrgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur*, conqueſtio illa, querimoniaque perſpicuè conuicit, non aliud fuiſſe beneficium in lapſos collatum in duobus illis Concilijs, quàm vt quoad hâc lucis vſurâ fruerentur, pœnitentiam non omitterent, & cùm eos vita deficeret, abſoluerentur. Quamquam autem clariſſima & firmiſſima quæ attulimus hactenus argumenta, probationis non indigeant, quo oſtenderemus ijs in Concilijs nihil præter pœnitentiam lapſis, & in morte abſolutionem condonatam. Res tamen

eiuſmodi eſt, vt incredibilis videatur, & quam multi doctrinæ laude præſtantes non admittant, adeò vt neceſſe ſit, vndequàque quæ ſuppetũt depromere, & coaceruare argumẽta, quib⁹ rem ipſam corroboremus.

Dubitandum non eſt quin epiſtola quæ extat D. Cypriani ad Epiſcopos, Fortunatũ, Haymum, Optatum & alios qui Concilio Capſæ habito interfuerunt, ſcripta ſit poſt decretum de lapſorum cauſa præſcriptum, idque in ea epiſtola Diuus Cyprianus non hæſitanter affirmat. Epiſcopi autem vehementer & obnixè ab eo contenderant, vt quid ea de re ſentiret, luculento ſcriptorum ſuorum teſtimonio conteſtaretur; liceretne in communicationem & partem fidelium Ninum, Clementianum & Florum adſciſcere, qui exquiſita ſuppliciorum atrocitate diuexari, cùm vim tormentorum ſuſtinere non poſſent, Chriſto fidem datam eiurarant, ijdemque poſtea, triennio pleno atque integro, deteſtabile illud & inuiſum Deo, hominibuſque facinus dolore maximo è conſcientia ſceleris concepto lacrymiſque perpurgaſſent. Diuus Cyprianus titubanter reſpondet hac epiſtola. Verè quidem in Concilio illo placuiſſe Epiſcopis, vti non niſi in morte pax lapſis concederetur, at id ad eos pertinere non videri, qui neque ferro, neque facibus, vt ita loquar, ardentibus ad corpus admotis à Chriſto deſciuiſſent: ſed ad eos, qui id ſceleris perfidioſè, vel nullius intentati ſupplicij metu perterrefacti vltrò in ſe admiſiſſent: tamen poſt ferias paſchales ea de re cum Coepiſcopis ſe diſceptaturum. Quo ex facto dijudicare facilè quis poteſt, omninò nihil aliud quàm quod

Digitized by Google

toties inculcauimus ijs in Concilijs ſtabilitum fuiſſe. Nam præterquam quod tam manifeſtè in ea epiſtola oſtendit, N*am cùm in Concilio placuerit pœnitentiam agentibus infirmitatis periculo ſubueniri, & pacem dari*, quamobrem id ei in dubium veniſſet, idque ad maius Concilium dijudicandum tranſmiſiſſet, aut cur tam inexorabiles Epiſcopi fuiſſent ad pacem lapſis impertiēdam, quos tam diuturnus, longinquuſque triennij labor, dolorque cum tam aperta admiſſæ culpæ deteſtatione propè confeciſſet? Hinc ſanè videas lapſo datam abſolutionem poſt triennij pœnitētiam, videri quiddam quod aduerſetur, non ſolùm illi decreto quod poſtremis Concilijs placuerat: verùm etiam antiquo & veteri Eccleſiæ inſtituto, vt inde deprehendas, quæ fuerit olim lapſorum ante ea tempora vitæ conditio.

Neque verò mihi perſuaderi poteſt qui pro aris & focis, vt ita dicam, pugnantes non admittunt decretum illud, quod in Concilijs Romæ & Carthagini habitis de lapſorum poſtulatione actum eſt, deque eorū abſolutione quam antè non impetrarant, legiſſe, aut examinaſſe ſolertiùs verba illa Diui Cypriani, *& idcirco frater chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde et manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis et pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum*: inter alia quæ Concilia illa ſanxerunt D. Cyprianus ad Antonianum aſſerit, verè quidem omni animi cau-

Digitized by Google

tione prouiſum, vt qui lapſi propiùs à morte abeſſent, abſolutionem non deſiderarent, quæ volente ac iubente Eccleſia daretur: ſed ita, vt ijs tantummodo permitteretur, qui eam pœnitentiam lacrymarum vi, ac copiâ, ſalutari odio ſui concepto, expetijſſent: ij autem repellerentur à communione, qui poſt turpem defectionem, de reconciliatione cum Eccleſia non magnoperè laborarent, aut vt ab ea recepti, admiſſiq; in Eccleſiam pœnitendi ius ſibi dari non depoſcerent: hi ſanè qui ea mente erant, vt à defectione ſua reſilire nollent, ne ſi morientes quidem pœnitentiam petendo reſipiſcerẽt, beneficio abſolutionis videntur digni ob eam præſertim cauſam, quod non tam ſuæ perfidię & defectionis odium, quàm mortis impendentis terror ad ſaniora conſilia mentem reuocaret. Quæ cùm ita ſint, ſi hoc conſtituto negare quis auſit Eccleſiam cuiquam vnquam præripuiſſe copiam abſolutionis; vel ei qui extremum ſpiritum exhalaret: neque quæ dicam habeo, neque clariora ad id probandum argumenta mihi ſuppetunt.

Ex hoc decreto quod Concilia confirmarunt, aut ſuppeditarunt in eadem epiſtola adiungit, & aliud quod excipi vult. *Apoſtatæ verò & deſertores, vel aduerſarij, & hoſtes, & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, ne ſi occiſi pro nomine eius foris fuerint, admitti ſecundum Apoſtolum poſſunt ad Eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt vnitatem.* De Apoſtatis verba facit, & alijs quos pœnitentiam efflagitare, & ad Eccleſiæ gremium velle redire conſtabat; neque enim etiamſi voluiſſet Eccleſia ijs aperire potuit aditum ad pœniten-

Digitized by Google

tiam, qui poſt Apoſtaſiam à flagitioſâ vitâ, ad meliorem vitæ frugem redire detrectarint: cùm nemo vnquam de ijs in viam veritatis reducendis cogitarit, qui ad peccata obduruerunt. Quare verba illa ſupra commemorata ad eos ſpectant, qui ſcelerate & turpiter à ſe traductam vitam deteſtantes, voluntarium & debitum de ſe ſupplicium ſumunt; non autem ad eos, quos flagitiorum à ſe commiſſorum non pœnitet, quique pœnitentiam non deprecantur, & quibus in perpetuum Diuus Cyprianus ſacris interdicit. Ideo perſpicuum eſt hæreticum non habendum, qui in morte cuipiam abſolutionis gratiam non impertijſſet, idque factitatum aliquando, & vſurpatum: proptereaque decretum hoc, vt lapſorum conditio deterior, exploratâ ſpe veniæ, & ſalutis repararetur, in eam fuiſſe, vt expoſuimus, partem accipiendum, neque quicquam quod à fide diſſideret aut diſcreparet, introductum videri.

Quòd ſi cui adhuc venit in mentem dubitare, cùm res eiuſmodi tot argumentis eluceat, quòd fuerit de lapſorum cauſa iudicium pronuntiatum: percunctari ex eo ſanè velim; quid ſuper ea re ſtatutum à Cornelio, & Cypriano, & quid ex eorum præſcripto retentum, & actum arbitretur. Quod quò faciliùs intelligatur, illud omninò animaduertendum, non niſi tria, in ea præſertim re negotioque potuiſſe iudicia fieri conficique. Primò lapſis non indicto, impoſitoque vllo onere pœnitentiæ, in fidelium cœtum aggregandos. Secundò aliquot annorum ſpa-

tio pœnitentiam illis irrogandam. Tertiùm expectandum mortis tempus, quo poſſent abſolui. Quòd ad primùm attinet, non puto quemquam tam rudem, imperitum, & in veteris diſciplinæ Eccleſiæ inſtitutis tam peregrinũ & hoſpitem, qui quem mortiferi peccati labe contaminatũ cognoſceret, abſolutũ eumdem fuiſſe profiteretur, niſi priùs grauioris delicti à ſe perpetrati pœnas aliquas pœnitentiâ luiſſet. Quid quod ducentis poſt annis, vt decreta Felicis teſtantur, continuati quidem plurimorum annorum pro pœnitentiâ labores, quos exantlarent, imperabantur: quòd ſi ita res habet, non eſt recuſandum, quin prioribus ſæculis aut temporibus, grauiori multò, & acerbiori mulctarentur pœna, ſiquidem de veteris diſciplinæ ſeueritate multò plus detractum, quàm additum. Quod ad ſecundum, nihilo id veriſimilius eſt aut credibilius, quid ita? Quia Concilijs Nicæno, & Ancyrano, hanc in eos pœnam conſtitutam reperimus, vt multorum annorum pœnitentiam tolerare cogerentur, quæ quidem poſt Cornelij, & D. Cypriani Concilia, tanto interuallo coacta ſunt, quantum inter Decium, & Conſtantinum Imperatores interiectum eſſe ſpatium animaduertimus, centum fermè annorum: quo conſtituto, argumento eſt ætate Cornelij ſeuerioris diſciplinæ vim fuiſſe maiorem, ideoque lapſorum pœnitentiam longiorem. Præterea ſi à Cornelio dicas ad multos annos tantùm eorum prolatam pœnitentiam (viginti aut circiter triginta annorum) petiturum me ſcias, quæ tandem fuerit eorum vitæ degendæ ratio ante Cornelij iudicium & ſententiam: eo au-

Digitized by Google

tem res pertinebit, vt neceſſariò dicamus fuiſſe eos in omne tempus fidelium cómunicatione priuatos: neque enim aliud inter duo illa iudicia mediũ eſſe poteſt, niſi ſi quis aſtruat, ante Cornelium communicationis participes effectos, cùm ex hac vita abirent, aut ab eodem Cornelio pœnitentiæ tempus paucorum annorum interuallo contractum, verùm contrarium oſtendimus, & eam fuiſſe Cornelij, & Cypriani humanitatem & benignitatem in lapſos, neque priſcis temporibus antea ea fuiſſe gratia lapſos donatos; ſin autem probabile non eſt, Cornelium neutrum è duobus feciſſe iudicium, ſequitur tertium decretum iudicaſſe ſibi ſequendum, qua de re tota noſtra eſt diſceptatio probatioque.

De Concilio Nicæno verba antè fecimus, in quo illud perpendendum erit Patres, cùm, quod ad ſalutem, & commodum lapſorum permagni intereſt, canonem vndecimum explicarent, vſos eſſe verbis iſtis, tametſi omnes miſericordiæ ijs aditus intercludi poſſe videantur cùm indigni ſint, tamen cùm nos eorum miſereat, mitiùs & benigniùs cum illis agendum arbitramur, Pœnitentiæque tempus duodecim annorum ſpatio circumſcribimus. *Licèt miſericordia indigni ſint, benignitate tamen in eos vti, quicumque ergo verè pœnitent tribus annis fideles, inter audientes habeantur, & ſeptem annis iaceant. Duobus autem annis ſine oblatione communicent.* Quare ex eo intelligi poteſt, quod Cornelij & Cypriani de lapſis iudicia, & quæ ad Syluestri vſque tempora retenta fuiſſe videntur, grauiora multò acerbioraque fuiſſe, quàm quod in Nicæno ca-

Digitized by Google

none de iiſdem lapſis præſcriptum eſt: cùm Synodi Nicęnæ Patres eo canone acrimoniam ac ſeueritatem eorum quæ tum gerebantur, moderatione quadam ſe linire profiteantur: immò ea verba mouent dubitationem, an ij qui ſponte fidem exuerant, veniam, inſtante morte, à Cornelio acceperint. Ea autem quæ paulò ante Concilium Nicænum vel ea ætate in cauſſa lapſorum obſeruabantur, ab illo Cornelij decreto vim, & formam accepiſſe veriſimile eſt, vel ſi velis leuiora etiam fuiſſe, quàm quod Cornelius ſtatuerat, vt paſſim in hiſtoriarum monimentis legimus, progreſſu temporum Eccleſiaſticæ diſciplinæ vim aliquanto leniorem redditam. Qui ergo ſecum reputarit iſtius diſciplinæ gradus quaſi factos, & vnde profecta ſit attenderit, & quomodo ſenſim ad hanc lenitatem deſcenderit, non credet ante Cornelium lapſos vlla vnquam vel morte imminente communionis gratiâ donatos fuiſſe: Nam Concilio Nicæno lenita fuit ea diſciplina, quæ in eos tum obſeruabatur, quã mitiorem fuiſſe decreto Cornelij diximus: at verò Cornelij decretum grauem illam, & acerbam priorum temporum regulam fregit, & in faciliorem mutauit. Quæ ergo potuit eſſe prima illa regula quæ obtinebat ante Cornelium, cùm in Nicæno eorum pœnitentia fuerit duodecim annorum, & per tot interualla de prima illa ſeueritate tantùm detractum animaduertimus? Cæterùm planè confitendum erit nemine diſſentiente teterrimum, & maximum omnium peccatorum eſſe Idololatriam, *Quod eſt ſummum ſcelus*, vt ferunt Eliberini Canones, & vt ait Tertullianus, *Prin-*

cipale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſa iudicij, Et alibi. *Quale delictum iam intellige, cuius cohibitionem poſt idololatriam ordinauit*, & tamen in Concilijs Eliberino, Arelatenſi & Ancyrano, recenſentur peccata alia quæ pœnitentiâ ad mortem vſque prolatâ caſtigantur. Quidni ergo colligas idololatriam teterrimum peccatum, vel eo tempore quo illa Concilia viguerũt, eâdem fuiſſe pœnarum acerbitate vindicatam, præſertim cùm omnium maximè deteſtabile ſcelus ſit, ideoque ſupplicio maiore plectendum videatur.

Sed quonam quæſo ſenſu alio accipienda ſunt verba D. Cypriani ad Antonianum, *Et quidem apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtinc in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt: Non tamen à Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, vel duritiâ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſeparatur.* Non aſſeuerat tempus quoddam extitiſſe, quo adulteris abſolutio non daretur, ac cùm maximè ea concederetur, Epiſcopos quoſdam fuiſſe, qui à vetere inſtituto decretoque noluerint diſcedere, quòd in eo poſitum erat, vt abſolutio non tribueretur. Non denique cenſet, aut exemplo quodam propoſito concludit, quàm ſcienter & appoſitè ad Antonianum (ſi fortaſſis non ipſi probaretur, quòd decretum Romæ fuerat & Carthagini, vt ignoſceretur in articulo mortis Idololatris) adhærere potuiſſe antiquo illi totius Eccleſiæ iudicio, & voluntati, nimirum,

Digitized by Google

mirum, vt in perpetuum abſolutione deſtituerentur, & ſpoliarentur, neque ea de cauſa ab aliorum Epiſcoporum quaſi corpore diſtrahi eos debere, aut conſpirantem conſenſum Eccleſiæ præfractè repudiare: qua ex comparatione & contentione adulterorum & lapſorum liquet lapſos relegatos & amandatos ab Eccleſiæ corpore, vel in ipſa morte videri, multò ante quam Cornelius eâ de re quid ſentiret, dixiſſet: Quemadmodum perſpicuum eſt, adulteros antequam publico Concilio placuiſſet, vt ij tanquam huius corporis membra reciperentur, reiectos fuiſſe & expulſos.

MONSTRIS NVLLA VNQVAM VENIA INDVLTA.

OBSERVATIO XIII.

Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora & in ſexus, vltra iura naturæ non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra, Verba iſta Tertulliani præ ſe ferunt iſta tam tetra, tamque horrenda peccata, pœnis, quæ nullo vnquam tempore expungi poſſent ita mactata: vt ex ijs item illud eruas, quos omninò tantorum ſcelerum vitiorumque conſcios vita damnarat, ab omni Eccleſiæ tecto procul amandatos, neque eis ad veniam vllam ſperandam, aut petendam in primis Eccleſiæ tectis remanere licuiſſe: Quibus autem pœnitentiæ agendæ ſpes quædam cooriebatur, ij reconciliationis cum Eccleſia ineundæ modum omnem perueſtigantes, ſubo-

dorantesque, ſub tecto quodam quod propè templum erat, ſtabant, vt prætereuntes omnes lacrymis, luctu, ſqualoreque prope perditi, ac profligati, ad miſericordiam pellicerent, & eorum iudicio, ſententiaque digni haberentur, qui diutiùs ab ingreſſu in templum, & à pœnitentia non arcerentur; quorum autem depoſita, deplorataque cauſa & conditio eſſet, ſic vt quoque diffiderent ſe vnquam ad id quò alij aſpirarant, peruenturos, non modò tecto Eccleſiæ; ſed & eo quod proximum contiguumque erat, excludebantur: quod ne quidem inter eos, qui ad tempus excommunicati fuiſſent verſari, vt indigniſſimis liceret.

Tempore Concilij Eliberini, peccata iſta tam execranda, tamque horribilia, eandem pœnæ ſupplicijque vim ſufferebant, vt canone ſeptuageſimo primo conſtat, nec abſolui in morte ipſa poterant. Idem ſtatuitur in Concilio Ancyrano, his verbis, *inter hyemantes orare.*

QVO TEMPORE MONSTRIS GRATIA FACTA.

OBSERVATIO XIV.

IN Concilio Ancyrano atque adeo in Græcia, paulò humaniùs benigniúſque cùm iſtis monſtris cœptum eſſe agi legimus: proque eorum grauitate criminum, aut tenuitate modus quidem factus præſcriptuſque pœnitentiæ eſt; ſic vt alijs viginti annorum,

alijs quinque & viginti, alijs vel ad mortem vſque terminus præſtituatur: adeo vt morientibus communionis facultas & vſus non adimeretur. Præterea quæ vniuerſim aut generatim toties ſuprà dicta ſunt, Eccleſiam in annos propè ſingulos, aut ætates mitiori quadam ratione, atque via, Chriſtianorum animis laborantibus, quos diſciplina ſeuerior, auſteriorque perterrefaceret, quam appoſitè medicinam feciſſe: illud ex errore Nouatianorum profluxit, vt Eccleſia multùm de illa priſtina ſeueritate diſciplinæ dimitteret. Nam vt errorem illorum Eccleſia penitùs conuelleret, fuit quædam illi neceſſitas impoſita conferendæ cuiuſdam beneficentiæ in peccatores, diſciplinamque inſtituere conſentaneam ſententiæ & doctrinæ, quam contra Nouatianos tuebatur. In Concilio Nicæno inculcatum illud, ſuggeſtumque, vt Idololatræ poſt pœnitentiam admittantur: & quanquam in illo canone de Monſtris non agatur, tamen ex vi & facultate illius canonis, Monſtrorum illorum liberatio, expiatioque quædam permitti videtur, cum apoſtaſia, & ſpontanea idololatria, quâ nullum maius cenſeatur ſcelus ad pœnitentiam & communionem admittantur. Tempore Diui Baſilij, quem poſt Concilium Nicænum vixiſſe nemini dubium eſt, liquet, illorum monſtrorum authores, & ad pœnitentiam, & ad Communionem admiſſos.

Digitized by Google

HOMICIDIS PAX IN EXITV DENEGATA.

OBSERVATIO XV.

QVI Tertulliano huius quæſtionis tanquam arbitro & diſceptatore vti vellet, ei perfacile eſſet ex eius ſcriptis illud eruere, & excerpere homicidas ſuæ ætatis perpetuæ pœnitentiæ, & longæ excommunicationis iudicijs proſtratos iacuiſſe; ſimul & eo teſte comprobare, non modò cùm ſuæ ſententiæ cauſas profert; verùm etiam cùm hiſtorici partes quodammodò ſuſtinens, narrat ea quæ ſuo tempore gerebantur, vſum, moremque Eccleſiæ primis temporibus multis in prouincijs fuiſſe, vt homicidæ Dei miſericordiæ quaſi dedititij dederentur, eiſque in perpetuum communio ſocietaſque fidelium pernegaretur, verba iſta libri de pudicitia, *Vt ſolam eam ſecernat ad pænitentiam,* Item, *nonne hinc Idololatria, inde homicidiũ detinebunt,* Item, *Idololatriam quidem, & homicidium ſemel damnas.* Item, *Igitur aut nec illis, aut etiam nobis pænitentiæ ſubſidia conuenient,* Item, *perſonæ acceptio eſt, miſerabiliores pænitentias reliquiſti,* Item, *hinc eſt, quod neque idololatriæ, neque ſanguini pax ab Eccleſijs redditur,* liquidò demonſtrant ſolitos fuiſſe Orthodoxos homicidis non communicare abſolutionem, ſed ſolam pœnitentiam, eoſque æterno quaſi exilio condemnatos ab Eccleſia abigere. Quid enim roboris, virium ac ponderis argumenta, quæ ab eo ſuggeruntur, in Orthodoxos habuiſſent, niſi opi-

Digitized by Google

nionis eorum & diſciplinæ fuiſſet, homicidas perpetuæ pœnitentiæ, intercluſa omni ſpe maioris gratiæ, cenſura inurere? Id veri ſpeciem non habet, nec aliter de Tertulliano cuiquam ſentiendum erit, qui præſertim eius ingenium viri acre, & tetricum cognouerit, qui quidem crimini non vertiſſet Orthodoxis, quod homicidas perpetuò ab Eccleſia relegarent, adulteris autem ad miſericordiam ſperandam, quaſi ſignum præferrent: niſi vtrumque tum temporis verum & vſitatum fuiſſet. Quare cùm eiuſmodi argumenta contra Orthodoxos excogitet & proferat, omni aſſeueratione confirmare poſſumus, eorum fuiſſe hanc, & docendi, & viuendi rationem. Quoque firmior huiuſce rei fides extet, idem illis criminis loco obijcit de Idololatrarum cauſa, quod ſcilicet cum adulteris perfugij locum penes ſe omninò ſtatuiſſent, Idololatras tamen tali ſolatio effugioque vti per eos fas non eſſet: & veriſſimum erat lapſos ea tempeſtate in perpetuum ab Eccleſia remotos. Nam apud D. Cyprianum Epiſtola ad Antonianum legimus, temporeque Tertulliani lapſos, & Idololatras perpetuò fuiſſe, ſi non excommunicatos, abſolutione tamen priuatos: Ideoque homicidas exiſtimandum ſimili pœna fuiſſe mulctatos; cùm eodem Idololatrarum, & homicidarum argumento confirmet, ad eum omninò modum adulteros fuiſſe puniendos.

Tertullianus, D. Cyprianus, Pacianus, alijque Patres actuum Apoſtolorum Cap. 15. *Abſtinete vos ab Idolothytis, ſanguine & ſuffocato*, explicanda putant de Idololatria, homicidio, & adulterio, vnde ſuſpicandum

& quaſi confirmandum, cùm Eccleſia certiſſimas veriſſimaſque ob cauſas, & rationes adhiberet, & vſurparet hanc ſeueritatem, tria illa genera criminum conſimili pœna afficere voluiſſe: quandoquidem eâdem omninò lege, & ijſdem verbis ab Apoſtolo plecterentur, & quaſi quodam compenſationis modo prohiberentur, vt ait Tertullianus, cùm dicat, quò tria illa præcepta magis cuſtodirentur, veteris legis omnia quæ erant mandata, eo nomine abrogata fuiſſe. Cùm igitur perſpicuè paſſim reperiamus Idololatras, & adulteros primis illis Eccleſiæ naſcentis ad ſeueritatem compoſitis temporibus perpetuæ pœnitentiæ addictos fuiſſe: cui dubitandum erit, homicidas, eamdem vim animaduerſionis, & iudicij non effugiſſe?

Eccleſia progreſſu ac ſucceſſione quadam temporum, præſertim verò poſt repreſſam illam, ac edomitam perſecutionum vim, humaniùs multò ac leniùs erga fideles ſe ſe habuit, plurimúmque de illa prima quæ penè obduruerat ſeueritate, detraxit, propterea canon ille XXII. Concilij Ancyrani, quo homicidæ voluntarij pœnitentiam ſubire perpetuam coguntur: ijdemque beneficij ac gratiæ loco communionem, & abſolutionem, in ipſo vitæ exitu aſſequuntur: admonet nos edocetque primis quondam ſæculis, eos vel morte imminente aſolutione caruiſſe, cùm Eccleſia auſterum illum, & durum ſanè agendi modum remittendo, aliud nihil quàm perpetuam pœnitentiam & abſolutionem, cùm illos ex hac vita migrare contigerit, impertiat. Qui autem id in controuerſiam

vocaret, ecquam huius canonis cauſam rationemque afferre poſſet? Quamobrem quæſo Ancyrani Concilij Patres præfinijſſent, vti ad mortem vſque pœnitentiam protraherent, ſi antea eodem vel ampliore beneficio eos fuiſſe vſos conſtaret? Canones non ad aliūm finem diriguntur, quàm vt noua quædam inducantur, aut antiqua & vetera reformentur. In Concilio Eliberitano, quanquam Idololatris & homicidis aliquanto ante ad pœnitentiam, & communionem in ipſa morte locus quidem daretur; tamen id decretum conſtitutumque eſt, vt qui vtriuſque criminis rei fuiſſent, neque abſolutionem, neque Eccleſiæ pacem morientes impetrarent. Quò probabilius eſt, haud ita pridem illorum vnum crimen, qui in ſe admiſiſſet, frui cœpiſſe communionis beneficio, cùm qui geminum ſcelus perpetraſſet, pœnâ perpetuæ pœnitentię, vel vltra mortem afficeretur. Eodem Concilio delator, hoc eſt, qui necis alicui allatæ auctor extiterit, ad exitum vſque ſeu mortem priuatione communionis plectitur: quæ tandem pœna primis duobus ſæculis repetebatur, ab eo qui manu propria fratrem ſuum è medio ſuſtuliſſet? Quod de Theodoſij Imperatoris excommunicatione, & octo menſium pœnitentia memoria proditum eſt, ob imperatam indictamque cædem Theſſalonicenſium ciuium, id me in eam ſententiam vt diſcedam, & propendeam adducit, non leue ſupplicium, vt ſumptum eſſe putem de alijs qui non erant Imperatores, qui cædem aliquam ſuapte ſponte non alieno impulſu inducti feciſſent tempore Diui Ambroſij. Idem eſto iudicium

de pœna quæ irrogata eſt in homicidas primis duobus ſæculis.

QVO TEMPORE EIS INDVLTA.

OBSERVATIO XVI.

NOn magnum fuit momenta rationum afferre in medium, quibus quis probaret, primis Eccleſiæ temporibus homicidas abſolutione priuari: neque in morte quidem, alio præſidio ab Eccleſia conſtituto ſubleuari poſſe, quàm vt precibus, pœnitentiæ benedictione, & ſpe quadam prope explorata ab Epiſcopis erigerẽtur, Deũ optimum maximum, quà eſt miſericordia, benigniùs, & humaniùs cum illis acturum, modò eos ſcelerum & facinorum conſcientia exſtimulatos, dolor quidam ex intimo animi mœrore conceptus dilaniaret; ſed non ita in promptu eſt deſignare tempus, quo poſita & abiecta ſeueritate clementiùs multò & indulgentiùs habiti ſunt & excepti, cùm Eccleſiæ placuit, vt inter fideles morte irruente reponerentur, & in communionem homicidæ vocarentur: tamen id factitatum eſſe circa tempora Conciliorum Eliberini ſcilicet & Ancyrani non obſcurum eſt, vel paulò anteà In his enim duobus Concilijs extant ea quæ primùm ad eos reſtituendos definita ſunt. *Qui voluntariè homicidium fecerint, ad pœnitentiam quidem iugiter ſe ſubmittant, circa autem exitum vitæ communione digni habeantur*, & licèt non ita conſtet, quo in Concilio, aut à quo Pontifice, aut Epiſcopo æquiſſimum viſum eſt, vt in priſtinum

ſtinum ſtatum vnde depulſi fuerant, reſtituerentur. Non abſurdum tamen, aut ineptum fuerit ſentire, Epiſcopos illorũm Conciliorum, authores item fuiſſe legum & inſtitutorum quæ primò de hac re decreta ſunt. Quod ſi ante illa Concilia homicidis pœnitentiæ aſylum & effugium propoſitũ eſt, id potiùs vſu ac conſuetudine quâdam, quàm publico aut priuato cuiuſuis Concilij conſenſu receptum & probatum eſt. Etenim nemo inficiari audeat in illis Concilijs primas ea de re leges eſſe aliquo ſcripto exaratas, ſin minus eſſe, quas primò non ſolùm nacti ſumus, ſed quas Epiſcopi Concilij Epaunenſis agnouerint: Nam trigeſimo primo canone declararunt canones Ancyranos eſſe, & cuſtodiendos & retinendos in cauſis homicidarum. *De pœnitentia homicidarum, qui ſæculi leges euaſerunt, hoc ſummâ reuerentiâ de eis inter nos placuit obſeruari, quod Ancyritani canones decreuerunt.* Vnde ſuſpicari licet eos ex intima antiquitate vetuſtiores deprompturos fuiſſe, ſi quos reperiſſent; exiſtimandum item eſt ex canone 2. 5. & 6. Eliberini Concilij, atque adeo ex vigeſimo ſecundo Ancyrani, ante hæc Concilia non fuiſſe in more poſitum, neque ita decretum mordicus, vt ad pœnitentiam homicidæ inuitarentur. Quamobrem enim iſtorum Conciliorum Epiſcopi decerni oportere illud conſtituiſſent, ſi ex vſu & conſuetudine Eccleſiæ ij nullo negotio ad pœnitentiam, quam ſuſciperent, impellerentur? Quod ſi coniecturæ indicio aliquo probabili vti volumus, ſimile uero eſt & credibile tempore D. Cypriani, homicidas ad pœnitẽtiam peragendam intromiſſos, nam Tertulliani tempore

Digitized by Google

aſſequi illis non licuit: & D. Cyprianus hoc concedere videtur in expoſitione Symboli tractatu *de zelo & liuore*, & tractatu de *veſtitu virginum*, ſi eius ſint opera: quid quod ij qui eius ætate ab Eccleſia remouebãt lapſos, non omiſiſſent Orthodoxis exprobare, homicidas ab iis perpetuæ pœnitentiæ & diuturnæ excommunicationis fulmine ictos percuſſoſque fuiſſe, & hoc vti argumento, quemadmodum vſus eſt Tertullianus libro de Pudicitia. Præterea, quod habetur in illo Ancyrani canone, (quemadmodum ſuperiori capite expoſuimus,) in homicidas perpetuâ & indeſinenti pœnitentiâ animaduertendum eſſe, neque eos ad communionem ante obitum admouendos pro coniectura haud leui & temeraria erit, illa primùm ætate & concilio, homicidis veniam & pacem Eccleſiæ indultã: nam ſi huiuſce Concilij tẽpore niſi inſtãte morte non abſoluerentur, atque ad extremum vſque vitæ terminum, in pœnitentia ſtandum eſſet eis & morandum; quid tandem de ijſdem actum exiſtimare debemus initio naſcentis Eccleſiæ, & ſuperioribus temporibus, quibus acriùs multò & ſeueriùs vindictam exercebat in eos qui in Baptiſmo, quas hauſerant gratias ac beneficia, ea omnia vnius lethalis peccati macula corrumpebant?

Digitized by Google

MOECHI AD COMMVNIONEM NON ADMISSI.

OBSERVATIO XVII.

INter illa peccata, quæ primis ſæculis perpetuam excommunicationem, hoc eſt, pœnitentiam incurrebant, adulterium facile principem locum tenebat, teſte Diuo Cypriano ad Antonianum Epiſcopum, cùm mirari ſe dicit, quamobrem totius Eccleſiæ conſenſionem reijciat, ſeque ab ea cùm aliud ſentiat, ſegreget; ob id maximè, quod à corpore Eccleſię lapſos arceat, contrariamque ſententiam tueatur: nec quod Romæ, aut Carthagini definitum ſit, propugnet. Paucis ante annis, cùm ratio ipſa poſtularet, vt à Pœnitentia non excluderentur adulteri, plurimorum Epiſcoporum non fuiſſe eam mentem & opinionem, imò eorum iudicio, aditu, introituque Eccleſiæ adulteros prohibitos; propterea tamen Eccleſiæ pacem, ac concordiam perfringendam non putaſſe: nec ſe ab Epiſcoporum aliorum ſocietate diſſociaſſe. *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtis in Prouincia noſtra, dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pænitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt.* Quibus verbis duo conijcies eſſe agitata: Primùm priſcis temporibus, ante Diuum Cyprianum adulterium hoc tam graui perpetuæ excommunicationis prope ſupplicio punitum. Deinde paucis ante

Cyprianum annis, adulteris veniam fuiſſe quandam tributam. Quamobrem enim Epiſcopi, quorum mentionem facit, conquererentur aut grauiter tuliſſent adulteros ad pœnitentiam ſubeundam admiſſos, ſi vſus, conſuetudoque inualuiſſet, vt admitterentur? Quorſum Epiſcoporum aliter ſentientium, qui numero cæteros vincebant, opinionem reieciſſent? re autem ipſa aliter, ac cenſerent, ſe geſſiſſent: eoſque adulteros in perpetuum ab Eccleſia remouiſſent, *& in totum pœnitentiæ locum clauſerunt*, niſi tunc tempus illud extitiſſet, quo primùm cœpti ſunt adulteri ad pœnitentiam euocari, cùm aliàs pœnitentiam perpetuam ſubirent; Epiſcopique qui communem opinionem probare detractabant, veterem illam Eccleſiæ ſeueritatem nollent remittere, ſed antiquum illud Eccleſiæ decretum retinere, quo in perpetuum adulteri ab Eccleſia propulſabantur. Qui in ſententiam Tertulliani diſcederet nullo negotio id probari poſſe videret: hiſtoria quippe illa, aut commemoratione eorum, quæ de eorum reſtitutione ſuſcepta eſt: aut denique facto illo Zepherini cùm de illis ad pœnitentiam ſollicitandis edictum promulgauit, clarum & exploratum eſt ante Zepherini tempora, adulterij pœnam fuiſſe pœnitentiam perpetuã: quæ enim alia cauſa Tertullianum impuliſſet, cæteroſque eius ſententiæ ſuffragatores Epiſcopos, vt à communi aliorum conſenſu diſſentirent, quàm quod nouum & inauditum in Eccleſiam inuehi & importari cernerent, quin & illa D. Cypriani verba, quæ ſuprà citata ſunt, omnem dubitationis anſam, occaſionemque præcidunt. Mitto ea quæ ſuo loco & tempore, de eorum reſtitutione diſputabuntur.

Digitized by Google

QVANDO AD EAM ADMISSI.

OBSERVATIO XVIII.

ZEpherinus cùm totus animo, & cogitatione in Eccleſiæ curam cuſtodiamque excubaret, videretque quæ de adulteris lata lex erat ob pœnitentiam perpetuam, quæ pace in morte careret, eam vehementiorem & ſeueriorem, quàm vt ſuſtineri ferrique poſſet. Eoque nomine, non paucos in dies ab Eccleſia ad Paganiſmum tanquam perfugas conuolare potiùs, quàm reliquum vitæ curſum in perpetuis angoribus pœnitentiæque mœrore conficere, ſapienter prouidit, vt adulteri pœnitentiæ remedio ſubleuarentur, certoque annorum ſpatio tranſmiſſo, ad Eccleſiæ gremium, & communionem aggregarētur, quo promulgato paſſim edicto quaſi lege, contigit, vt maximæ turbæ tragœdiæque tota Eccleſia in Africa maximè excitarentur, quòd eiuſmodi decretum tam nouum, & inuſitatum cùm videretur, Tertullianus libro de Pudicitia acerrimè reprehendit; ſed & plurimi Epiſcopi, vt ante demonſtratum eſt, id ſibi ferendum non iudicarunt, rati adulteros ex vetere patrum diſciplina, perpetua pœnitentia feriendos. A Zepherino edictum hoc conflatum & confectum illa conuincunt Tertulliani verba, nullus vt ſit dubitationi locus, additis proprijs eius edicti verbis, *Ego Mæchis & fornicationi pœnitentiâ functis, veniam do.* ſic vt Zepherinum authorem edicti non ambigas fuiſſe, præſertim ſi verba Diui

Cypriani à me ſupra allata examinentur: quæ quam appoſitè & propriè ad tempora Zepherini pertineant, nemo non ſagax, prudenſque antiquitatis indagator aduertit. Quod autem ne mors quidem ipſa adulteris veniam & communionem impetraret, id ex ijs, quæ de Diuo Cypriano attulimus, probatur: & vero etiam planum eſt, ex libro de pudicitia, quo in libro vix tria verba continuata reperias, in quibus non deprehendas edicto iſto rem omninò nouam vſurpari, quò remittendus eſt lector: Ad hæc accedit, Zepherinum non promulgaturũ fuiſſe hoc edictum, ſi conſuetudo id non vetuiſſet. Quid enim latione legis opus eſt, ad ea quæ tum gerebantur promulganda, & quæ nemini dubia aut incerta videbantur? Ad extremum cuique obuium eſt è canonibus Eliberini & Ancyrani Conciliorum, quod fuerit duorum primorum ſæculorum, ſeu temporum iudicium de ſupplicio, pœnaque huius criminis: cum quo tempore indicta ſunt illa duo Concilia, adulteri ſeptem annorum pœnitentia dura & auſtera illo Concilio; altero autem in ſeptimo canone pœnitentia cuius fructus & communio ne in morte quidem ſperaretur, ſi cùm crimen illud pœnitentiâ ante deleuiſſent, in idem denuo crimen prolaberentur; eodem planè modo octauo canone, mulieres nec in fine abſoluuntur, quæ maritis valere iuſſis, domo profugerunt, vt alienæ libidini obſequantur: 64. 70. 65. Canonibus eadem pœna incurritur.

Digitized by Google

PACEM A MARTYRIBVS EXORABANT.

OBSERVATIO XIX.

ECquid cauſæ exiſtimandum eſt cur Tertulliani ætate adulteri, & Diui Cypriani tempore lapſi ad Martyres concurrerint, niſi quod cùm ſe pœnitentiâ perpetuâ damnatos cernerent, neque vlla reſtitutionis ſpes obijceretur, occultis ac non vſitatis vijs, ad ea quæ conſequi ex diſciplina & vſu Eccleſiæ non poſſent, peruenire niterentur: contendiſſe ac elaboraſſe eos, vt martyrum commendatione freti faciliùs pœnitentiã aſſequerentur, & reconciliationem, aut vt pœnitentia breuiori temporis interuallo definiretur, dici non poteſt; quamobrem quia quem ad pœnitentiam agendam adſciſcebat Eccleſia, certò ſciebat is ſe aliquando in communionem rediturum. Ideoque non neceſſe erat lapſos adire ad Martyres, vt eâ potirentur, quam ſe accepturos ſciebant: & quamuis ea conditione lapſis ab Eccleſia pœnitentia daretur, vt ad plures annos eam continuarent; tamen eo nomine peccata omnia remiſſa & condonata omninò perſuadere ſibi poterant: neque ad id gratia aut amicitia martyrum obtinendum requirebatur: cùm à martyribus nunquam impoſitam, aut relaxatam, aut contractam pœnitentiam, aut denique poſthabito, neglectoque Eccleſiæ iudicio quicquam ab ijs, quod ſecus Eccleſia iudicaſſet immutatum aut perturbatum, legamus. Quod ſi quid apud antiquos authores Pa-

Digitized by Google

tres de authoritate & facultate remittendi peccata quam ſibi arrogabant Martyres, animaduertimus, nullo modo ad eos id ſpectat, quibus conceſſa fuerat pœnitentia: neque vnquam legas modum ab ijs pœnarum fuiſſe conſtitutum aut moderatum. At verò id vnum mirum videri tantùm, quod pacem perpetua pœnitentia mulctatis ſine vllo pœnitentiæ aut ſatisfactionis labore tribuiſſent, eius rei plenę ſunt Diui Cypriani Epiſtolæ, & Tertulliani ſcripta perpetuò loquuntur & vociferantur, *communicatores reuertuntur*: atque illa eſt ratio quam protulimus, quod qui pœnitentiam obtinuerat, ſua ſibi peccata condonata & obliterata nō dubitabat, ſi modò pœnitentiā expleret, propterea que nihil ei ſubſidio eſſe potuiſſe Martyrum authoritatem ad abſolutionem impetrandam. Qua ex re colligas omninò lapſos, & adulteros illis temporibus perpetuæ pœnitentiæ iudicium non euitaſſe, effugiumque illud ad Martyres non aliam ob cauſam eſſe quęſitum, aut comparatum, quàm quod non aliam ſibi ad Eccleſiam viam aut aditum ſubodorarentur, niſi illorum meritis aut commendatione; quod ſi vel pœnitentiâ multorum annorum obitâ, peccatorum ſuorum expiationem ſe conſequuturos ſperare potuiſſent, eam magno & forti animo ſuſceptam tolerаſſent, neque Martyribus, aut Eccleſię diutiùs moleſti & importuni fuiſſent. Poſteaquam enim à Zepherino ſancitum fuit, adulteros diuturniore pœnitentia, vt à Cornelio lapſos in ſocietatem & communionem fidelium adſcribendos, non reperimus à Martyribus vlla vnquam remiſſā delicta, neque vnquam quen-

quam

quam de eo conqueſtum eſſe videri, quod cui authoritate Eccleſiæ pax tributa eſſe diceretur, is de ſua reſtitutione multò certior, tutiorque cenſeretur, quàm qui eam aliâ viâ, modoque non vſitatò ſibi comparaſſet: quamuis longâ pœnitentiâ ad eam eſſet perueniendum, neque legimus lapſos aut adulteros poſt Concilia ea de re à Zepherino, & à Cornelio habita Martyrum opem imploraſſe. Crediderim præter omnium opinionem & ſpem pedetentim atque ſenſim in Eccleſiam hunc irrepſiſſe morem, atque conſuetudinem, vt hic rerum ſtatus influeret, hoc eſt, vt Eccleſia tanquam indulgentiſſima parens filiorum ſuorum imbecillitati & fragilitati obſecundaret. Primis ſanè ſæculis quando recens adhuc Saluatoris calebat cruor fidei, Charitatiſque virtus, ardorque tam altas in animis mentibuſque hominum radices agebat, vt nihil non arduum, ac operoſum quod intentaretur, ipſi aggrederentur; atque eò factum eſt, vt palàm in oculis, auribuſque hominum peccata ſua quodam modò diuulgando defigerent: magnoque ſe beneficio affectos, cumulatoſque iactabant, ſi ſibi viginti, imò triginta annorum, atque adeò ad extremum vitę diem pœnitentia aliqua imponeretur, neque vnquam peccatores de eius tempore & diuturnitate conqueſtos intermorientibus, aut conſeneſcentibus his virtutibus, in Chriſtianorum pectoribus obedientia paulatim elanguit, Eccleſiaque agnitis perſpectiſque ſuorum fracti, atque parui animi ſignis, cùm filiorum ſuorum virtuti diffideret, ad Dei Optimi Maximi miſericordiam confugiendo, grauioribus eos vrgere ſup-

Digitized by Google

plicijs deſijt. Quid, quod decreta Conciliorum, ſeu canonum qui percurrerit, omiſſâ illius pœnitentiæ antiquæ ratione ſeu forma, illud ex eorum lectione hauriet, quinto, ſexto, & ſequentibus ſæculis, eos qui ob peccatorum ſuorum atrocitatem dolerent vehementiùs, pietatiſque & ſatisfactionis ſtudio adducti, ea obliterare vellent, emiſſo voto in manibus Epiſcopi, quo exolui non poſſent, neque vellent, confirmaſſe ſe nunquam ad vomitum redituros, peccatorumque immanitatem perpetuo luctu, habitu, & ſqualore deploraturos. Vnde liquet primis illis temporibus, cùm Chriſtianorum ſumma illa pietas vigeret, lapſos ad Martyres non confugiſſe, vt ſibi indita pœnitentia minueretur, quam nemo vnquam, quamuis diuturnam, ſubire recuſauit. Deinde penes Epiſcopos erat pœnitentias contrahere aut producere, quapropter ab Epiſcopis potiùs hanc gratiam petijſſent lapſi & adulteri, quàm à Martyribus, quorum authoritas minoris eſſet momenti in Eccleſia, quam Epiſcoporum.

HÆRESIM QVAMOBREM INDVXERIT NOVATIANVS.

OBSERVATIO XX.

NOuatianus antè ab Eccleſiæ corpore quàm ſe diuelleret, eamque ſententiam præfractè & obfirmatè tueretur, quamq; hæreticam cenſeret lapſis parcere, dixerat, affirmarat & ſcripto teſtatus fuerat, vrgente & pre-

mente neceſſitate, lapſos abſoluendos, eiſque omnino ignoſci oportere: hiſtoriarum namque monumenta produnt, mortuo Fabio, ſede inani ac vacuâ, Clerum Romanum coïtione quâdam atque cœtu facto, cogitaſſe quomodo lapſis obnixè & vehementer contendentibus, vt pœnitentiæ ſibi locus daretur, ſatisfieret: Quo tempore ibi Nouatianus cùm Presbyter & vnus è Clero eſſet, rogatus ſententiam, dixit ſibi videri non à pœnitentia lapſos excludendos, neq; ſi ad certum mortis periculum vocarentur, Eccleſiæ pacem illis eripiendam. *Additum eſt etiam, Nouatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſua voce recitante, vt lapſis infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur*, ait Diuus Cyprianus, quo conſtituto, verè & aſſeueranter obijci Nouatiano illud potuit, illum eſſe aut fuiſſe hæreticum, cùm quam opinionem ſua ſententia confixiſſet, eam propugnaret: eamque ipſam defenderet, quam Eccleſia condemnarat. Hinc intelligi etiam poteſt non eũ ſtudio religionis defendẽdæ eò progreſſum eſſe: neque quod ſe contaminatum iri lapſorum ſocietate ſubtimeſceret: aut quod Eccleſiæ corpus vlla peſtifera, ac venenata lapſorum contagione inſici poſſe, vt ipſe vociferabatur, crederet: cùm multò antè quàm eum honoris & commodi priuati effrenata cupiditas occæcaſſet: opinionem illam, vt Chriſtianæ fidei, atque doctrinæ conſentaneam comprobaſſet; verùm cùm ſe de ſpe quam animo deuorarat depulſum, atque adeò de ſummo illo & auguſtiſſimo Pontificatus gradu deturbatum, Corneliumque ad illum honorem concordibus aliorum ſuffragijs, ſe vno repudiato vi-

Digitized by Google

diſſet euectum, ita iracundiæ, inuidiæque ardentiſſimis facibus exarſit, vt ſe præcipitem in illam hæreſim daret, eo animo, vt quem ſibi ereptum, Cornelio autem delatum ferre non poſſet honorem, ſibi reſtitueret: Corneliumque vt hæreticum declarandum decerneret. Quæ verò res ei mentem hanc iniecerit, vt huius potiùs quàm alterius hæreſeos architectum, & quaſi machinatorem ſe haberi pateretur, eam eſſe comperio, quod Cornelius ad Pontificatum coaptatus lapſorum cauſam agitandam, examinandamque ſuſcepit, quod vnum non mediocriter Eccleſiæ ſtatum perturbabat: quo nomine, Concilium conuocandum putauit, in quo illud decretum ac præfinitum, vt cùm ad mortis vſque diem pœnitentiam produxiſſent, communionis participes efficerentur. Nouatianus quamquam antequam Cornelius ad Petri ſedem occupandam adlectus eſſet, idem propè quod Cornelius aſſenſu ſuo probaſſet, oblatam ſibi occaſionem percommodam & opportunam conflandæ inuidię Cornelio, ſuique exſaturandi & explendi odij, furoriſque inflammandi non contempſit: cuius rei perficiendę cauſa in omnem ſe partem torquet atque verſat: toto quippe terrarum orbe longè latéque diſſeminauit, imò omnes Africæ oras, Hiſpanias, Siciliam ſcriptis ſuis obijt, à Cornelio funditùs euerſam Eccleſiam maximam, eius inaudita & non ferenda licentia ad Idololatriam feneſtram eſſe patefactam: nihil purum putumque in Eccleſia videri: eam eſſe ſocietate, congreſſu & conſuetudine lapſorum infectam & inquinatam. propterea Eccleſijs Hiſpaniarum & Africę

Digitized by Google

nullum poſthac cum Cornelio eſſe debere commercium, vitandam omninò conſociationem, quin ſi ſapiant, impoſitum ſibi Eccleſię Romanę iugum, quod Roma anili ſuperſtitione prȩſtigijſque infatuetur, excutient. Atque hic eſt ſcopulus ad quem ſuam illam, quam ab Eccleſia Romana fidem aliàs hauſerat, alliſit impegitque Nouatianus; qui cùm Cornelio obieciſſet eius conſilio & authoritate lapſis pœnitentię viam apertam, coactus eſt eiſdem lapſis veniam in exitu denegare, & hanc opinionem & hęreſim tanquam prȩcipuum ſuæ ſectæ fundamentum ponere, atque adeò omnes cogitationes ſtudiaque conferre, vt non paucos Epiſcopos qui ſibi ſuffragarentur, commoueret & attraheret, qui ſua dogmata paſſim diuulgarent. Hæc vna igitur eſt ratio cur potiùs hanc occaſionem Nouatianus arripuerit, quàm quamuis aliam, quod ſcilicet Eccleſia tum primùm ſub Cornelio lapſis, & ad pœnitentiam agendam, & ad veniam impetrandam, ſignum ſuſtulit: niſi enim res inaudita aut noua fuiſſet, Nouatianus nunquam defectionis ſuæ aut diſſentionis illius anſam illã apprehẽdiſſet, neque ſuæ doctrinæ æmulatores nactus contra Cornelium, Africæ Eccleſias concitaſſet, breui quodam ad ea quæ afferebat reſponſo reddito, Cornelium nihil, quod ſaperet nouitatem, neque quod multò antè non vſurpatum fuiſſet, eſſe molitum. At quia res erat inſolens & inuſitata, ideo reperti ſunt qui Nouatiano adhærerent. Vnde intelligi poteſt ante Nouatianum, lapſis ne in ipſa quidem ex hac vita tanquam è diuerſorio demigrandi neceſſitate, ad com-

Digitized by Google

munionem licuiſſe per Eccleſiam obrepere.

QVA IN RE POTISSIMVM VERSARETVR.

OBSERVATIO XXI.

PErmagni intereſt ad veteres canones penitùs introſpiciendos, eorumque vim omnīnò pernoſcendam, videre & intelligere, qua potiſſimùm in re, error Nouatianorum verteretur. Plurimi namque doctrinæ gloriâ præſtantes, quod errorem Nouatianorum in eo verſari tantùm putarent, quod praxi quadam, atq; vſu, communionem & abſolutionem (quęcumque tandem res, vel ipſius mortis impendentis occaſio neceſſitaſque offerretur) lapſis, atque alijs grauiore, & atrocitate ſcelere conſtrictis negare ſolerent, magnoperè hallucinati ſunt in explicatione plurimorum canonum, eorúmque maximè in quibus hæc verba legas vſurpata, *nec in fine accipiat communionem*: quod in ijs hanc vocem, *Communio*, pro Euchariſtia, non pro abſolutione ſumpſerint: quod ſcilicet vererentur, meo iudicio, ſi aliter interpretati fuiſſent, propiùs ab hæreſi Nouatianorum abfururos, & tamen huius vocabuli vſus legitima, vſitata & germana ſignificatio apud veteres, aliud nihil eſt, quàm vis & ius communicandi cum cæteris fidelibus. Enimuerò cùm ſeueritas primorum illorum temporum ea fuerit, vt nunquam aut perrarò Euchariſtia pœnitentibus, quos mors, pœnitentiæ tempore, oppreſſos intercepiſſet, præberetur: eò nos ille mos adducit, vt credibile

videatur verbum illud *Communionis* de abſolutione, non de Euchariſtia intelligendum, quam excommunicati non ita facilè auſi fuiſſent ſperare, cùm pœnitentibus non ita ſæpe id beneficij loco tribueretur, quos ad id obtinendum conſtat gratioſiores fuiſſe, quàm excommunicatos. Et quamquam id illis vltro daremus, in illis canonibus de Euchariſtia, non de abſolutione verba fieri, nihil prohibet, quò minùs illos canones ſeueritatis accuſent, eoſque increpent vt ſuffragantes & patrocinantes Nouatianis: adeò indubitatum id tuentur Nouatianorum id eſſe non modò abſolutionem; ſed & Euchariſtiam ingruente mortis diſcrimine non condonare. Dici non poteſt quas in anguſtias redactos ſe eſſe conquerantur, cùm euoluendus eſt canon ille Sancti Innocentij, quò diſertè contendit primis illis temporibus abſolutionem non fuiſſe datam: cùm explicandi ſunt alij canones, vt vltimus Concilij Arelatenſis primi, nonnullique aliorum Conciliorum, in quibus id fuiſſe ſtabilitum, & confirmatum apparet. Neque enim poſſunt, audentue ſtatuere vnquam Eccleſiam abſolutionem in ipſo mortis puncto articuloue recuſaſſe quod metuerent, ne ſi id faterentur ab Eccleſia factitatum, eam ad hæreſim Nouatianorum aliquando hæſiſſe: nihil non moliuntur, & in omnem ſe partem verſant, vt canones illos effugiant, & obſcurent, cùm tamen eâ verborum vi ſignificanter declarant fuiſſe negatam, vt explicationis nullius indigeant. Quò autem minore negotio ex illis difficultatibus emergere poſſint, aduertant oportet, Nouatianorum errorem non in eo

Digitized by Google

poſitum, quod dicerent neque lapſum, neque excommunicatum in morte à peccatis liberandum: ſed hæreticos ideo habitos, quod opinarentur Deum ipſum Eccleſiæ neque remittendorum, neque retinendorum peccatorum capitalium poteſtatem copiamque feciſſe: atque hæc in eo fuit, viguitque eorum hæreſis, qui quamquam illud conſequeretur ex illorum falſa opinione, vt abſolutionem non largirentur, tamen hoc ipſorum factum non hæreſis nomine appellationeque afficiendum erat: neque ad hæreſim accedebat ob aliam cauſam, quam quod à fonte illo, & quaſi capite hæreſim olente dimanarat, eo maximè quod Nouatiani crederent, id Eccleſiæ à Deo non fuiſſe præſtitum & conceſſum: quæ cauſa ſola fuit cur praxis illa ſeu diſciplinæ Nouatianorum ratio, hæreſis nomen notionemque non effugeret. Hæc enim eadem doctrina ſeu diſciplina hæretica omninò non erat, ſi quidem eius origo fuit ab alio quodam principio atque fonte, potuitque ea vſurpari ſine vlla hæreſis ſuſpicione metuque, & re ipſa ſupra id ab Eccleſia non neglectum, imò obſeruatum & retentum. Et quamquam Eccleſia iam inde ab incunabulis, ac primordijs ſuæ, vt ita dicã, infantiæ ad ſe tranſmiſſam, per manus Apoſtolorum acceperit poteſtatem ligandi atque ſoluendi: tamen quoddam fuiſſe tempus certum eſt, quo erga quoſdam peccatores eam non exercuit, eò præſertim nomine, vt terror quidam inijceretur Chriſtianis, ijque alacriùs ac ardentiùs ad Martyrium concurrerent, metuque diuturnæ excommunicationis ſubeundæ, intra officij Chriſtiani fideique

cancellos

cancellos atque terminos retinerentur, neue acerbiſſimorum ſuppliciorum atrocitate fidem eiurarent, ad extremum ne in vitiorum voraginem horrore perpetuæ pœnitentiæ perfuſi præcipites agerentur. Nouatiani igitur Chriſtum Dominum in Eccleſiam ſuam hanc authoritatem poteſtatemque transfudiſſe inficiabantur: ideoque eam nunquam vſurpabant. Hinc eſt quod ea diſciplinæ ratio hæreſis nomine malè audiebat, quod falſo ſcilicet quodam principio inniteretur Eccleſia contra ad ſe hanc vim ac poteſtatem à Deo tranſlatam ac communicatam affirmabat, & poſt Nouatianos ſiue odio quodam illorum hæreſeos & opinionis tam prauæ concepto, ſiue quod ſucceſſu temporis, pace ac tranquillitate potiretur, eamque ob cauſam non nihil de illa priſtina ſeueritudine dimitteret, quam ante perſequutionum luctuoſa tempora retinebat, liberiùs multò ac ſolutiùs in eam ſe partem flecti ſinebat, vt etiam omnes lapſos, qui ſuo fato occidebant, abſolutione data à ſe, in cælum filios ſuos præmitteret: tamen non ita vniuerſè ſeu generatim, atque adeò neceſſariò id gerebatur, vt non poſt Nouatianos canones quidam expreſſè exarati legantur, (imò poſt Concilium Nicænum,) quibus prohiberi videmus ne quibuſdam excommunicatis, certas graueſque ob cauſas certorum delictorum abſolutionis gratia contribuatur, quod alio capite veriſſimum eſſe demonſtrabitur: vnde agnoſcere poſſumus errorem Nouatianorum non ad eum planè modum intelligendum & conſiderandum, quod lapſos re ipſa à communione pelleret. Verùm quod diceret abſolutionis

communicandæ ius & poteſtatem Eccleſiæ non eſſe permiſſam? ſed eam ſibi ſoli Deum reſeruaſſe, iſtamq; diſciplinæ & vſus rationem per ſe ſpectatam, non hæreſim æſtimandam, cùm Eccleſia ad praxim eam reuocarit.

PRIMVS POENITENTIÆ GRADVS.

OBSERVATIO XXII.

PEccato ſic immutatur Chriſtiani hominis ſtatus atque conditio, vt in maximam quaſi capitis minutionem collapſus, illo ipſo quo peccat temporis articulo, donis omnibus & beneficijs, non ijs modò quæ in baptiſmate accepit, ſed & quibus in Confirmatione & Eucharistia ornatus eſt, excidat. Et à dæmonis quidem poteſtate per Baptiſmum aſſertus eſt in libertatem, *Tum enim*, ait Tertullianus, *hominem ſentit planè liberatum*, peccato eam libertatem amittit & in ſeruitutem recidit. Vnde & nonnullis Patrum voces has *tradidi eum Sathanæ*, de excommunicatione placuit interpretari. Iuſtificationis quoque in eo gratia extinguitur, cuius erat hoc ipſo ſacramento factus compos, ſpoliatur indumento Spiritus ſancti quo erat in confirmatione indutus; ius denique id communionis quo per auguſtum Sacramentum adeptus erat, vt & corporis fidelium & corporis Chriſti communione frueretur, eiuſque membrum fieret, amittit; euaneſcunt illicò dona hæc & peccato abolentur.

His nudatus & ſpoliatus omnibus, miſer atque

inops inter porcos deſtituitur, Diaboli mancipium ſine re, paterna domo, patris gratia extorris, vt ille de Euangelio luxurioſus. Neque hæc tantùm quæ longè grauiſſima ſunt, damna patitur, ſed reus peccato fit mortis filius, qui iram Dei commiſerit. Hæc qui ſecum ipſe reputabit, minùs profectò mirabitur primis illis Eccleſiæ temporibus cùm adſtrictiori diſciplina, & ſeueriori lege viueretur, tantùm illam moræ, tantúmque difficultatis interpoſuiſſe antequam pœnitentes reciperet in gratiam, tot gradus eſſe pœnitendi, tot in ſingulis ærumnas exantlari voluiſſe. Ac Catechumenis quidem baptiſmatis aditum tot difficultatibus intercluſit, quanquam horum nec tanta culpa, quàm baptiſmo initiatorum, nec tanta vindicandi aſperitate digna videbatur, vt annis compluribus hoc eos in tyrocinio contineret primis fidei myſterijs imbuendos, & Chriſtianæ pietatis moribus informandos; ſic vt ijs nihil interea quidquam de Sacramentorum arcanis aperiret. Quò iuſtior fuit eius in pœnitentes aſperitas, qui in cognitam & perſpectam Ieſu-Chriſti fidem, legemque iurati vltrò eam polluiſſent, tot diuina munera atque dona cum varia & inani re, hoc eſt cum fluxa voluptate commutaſſent, & diabolum Domino præpoſuiſſent, *comparationem enim*, ait Tertullianus de Catechumenis, *videtur egiſſe qui vtrumque cognouerit, & iudicato pronunciaſſe eum meliorem, cuius ſe eſſe maluerit.*

In his damnis & cladibus quibus oppreſſi tenentur qui peccarunt tria in primis ſpectauit Eccleſia; Chriſtum eiuſque legem quam non timuerant, ſatisfaciẽdi

Digitized by Google

debitum, & culpæ quam commiſerant exſoluendæ Euchariſtiam, denique cuius accipiendæ ius amiſerāt. His morbis ac vulneribus medelas inuenit totidem gradus pœnitentiæ, quibus indocti legem Chriſti ediſcerent, Deo ſatisfacerent, Euchariſtiâ denique digni redderentur: in auditione enim leges Chriſtianæ religionis edocebantur, in tertio gradu graues illas pœnas ſubibant, quibus Deo ſatisfactum putabant: in quarto denique gradu ſanctificabantur & quaſi conſecrabātur, vt ornatiores & digniores eſſent ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, & eius accipiendæ ius amiſſum recuperarent. Quæ attentè diligenterque conſideranda ſunt, vt gradus hi pœnitentiæ quem ad finem inſtituti ſint, intelligatur. Nec enim in id tantùm vt à peccatis ſoluerentur, ſed vt ad Euchariſtiam, quæ præcipuus & pœnitentiæ & Catechumenorum ſcopus, tum Chriſtiani hominis finis atque conſummatio, ac religionis caput eſt, dignè percipiendam præpararentur. Nam cùm Eccleſia hoc haberet donum ampliſſimum & maximum, tum nihil grauius in quemquam ſtatuere potuit, quàm ſi ſummo illo beneficio eum priuaret. Hoc præmium ampliſſimum dedit, hanc pœnam grauiſſimam impoſuit.

Et quatuor quidem fuiſſe pœnitentiæ gradus, compluribus, quarto, quinto, ſed & tertio ſeculo, ſi modo Gregorij Thaumaturgi ij ſunt qui eius nomine feruntur, conditis canonibus perſpicuum eſt. Gradibus ijs latina de Græcis nomina, *ſletus*, *auditio*, *ſubſtratio*, *conſiſtentia*. Græca ſunt, προσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις. Quibus deinde nominibus eos La-

tini appellarint enucleatiùs deinceps explicabitur. Interpretum iſta ſunt quibus in præſens vti libet, vt notioribus quàm quæ latini moris & vſus ſunt. Sed antequam primum illum gradum inſiſtimus explicare, quo tempore inſtituti ſunt ij, age inquiramus. At pœnitẽtiæ quidẽ multa in ſcripturis, plurima in Patribus veſtigia. Graduum pœnitentiæ non ita multa documenta ſunt. Verùm Eccleſia vt ligandi habet & ſoluendi poteſtatem, dubitat nemo quin rationem, quo quis pacto ſolui poſſet inire pro ſuo iure potuerit, viamque aperire quam maioribus interdum, minoribus aliàs difficultatibus interſepiret, aliquando & planam expeditamque daret; neque ijs tamen aut mutatis, aut etiam ſublatis quicquam fieret quò minùs integra pœnitentia eſſet, quippe adiuncta ipſi hæc ſunt, & circumſtantiæ ipſa pœnitentia non ſunt.

Tertullianus apertè & explicatè primus de pœnitentia ſcripſit, quatuor autem graduum non meminit, quanquam pœnas quibus in ijs exercebantur pœnitentes, pleraſque commemorat, vt iam eius ſæculo in vſu fuiſſe videantur. Eos porrò illum nominatim non appellaſſe, qui ſibi ſatis eſſe duceret, quid in ijs obeundis facto eſſet opus, quibus rebus conſtarent, explicare. Hæc enim à primo gradu aliena videntur, quæ ad hunc modum ſcribit, *Presbyteris aduolui, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis iniungere.* Siſtebant enim ſe qui primum gradum obibant ad Eccleſiarum veſtibulum, ibi prætereunti fidelium gregi aduoluebantur, Hæc porrò ipſa quæ in libro de patientia ſcripta ſunt, quatuor graduum ſignifica-

Digitized by Google

tionem habent non obſcuram. *Hæc*, inquit, *expectat*, *hæc exorat, pœnitentiam quandoque inituris ſalutem.* Primùm deſignare videtur, *expectat*: lacrymæ quippe & aduolutiones eiuſmodi non alio fine, quàm vt ad pœnitentiam acciperentur. Nec enim eorum fuere, qui accepti forent, idcircò, *expectat*, inquit. Quid autem expectare poterat initio pœnitentiæ, niſi vt ſibi pœnitentiæ locus detur, & lacrymis ad eam admittatur. In altero gradu pœnitentiam exoptabant pœnitentes, in ſe videlicet conferri pœnas illas piaculares quas in tertio gradu ſubibant pœnitentes: Nam vt citiùs pœnitentiam finirent, & in integrum reſtituerentur, optabant ex ſecundo ad tertium gradum tranſire. Hoc vno verbo ſignificat, *exoptat.* Tertiùm vocibus his conſignari facilè adducor vt credam, *exorat pœnitentiam*, in tertio enim exorabant pœnitentiam, quia ab ea veniam ſuorum delictorum impetrabant; hoc eſt, exorare pœnitentiam; illa demùm *quandoque inituris ſalutem*, quin ad quartum gradum pertineant nullus dubito. Non enim tertio defuncti gradù, ſtatim ad communionem Euchariſtię admittebantur, quamquam iam pœnis ſoluti, & perpeſſionis aſperitate; verùm in hoc tantiſper antè conſiſtebant, quàm Euchariſtię participarent cui proximi erant, nihil interea duriùs ſuſtinentes: *moxque inituri ſalutem*, hoc eſt Euchariſtiam, quę Chriſtiani hominis vera ſalus eſt. Primum quoque gradum opinor ſatis ſignatè oſtendi, cùm ſcribit libro de Pudicitia. *adſiſtit enim pro foribus eius*, Item, *digamos foris ſiſtimus*, Itē, *& illi exinde proſtrata.* Neque non multa horum graduum argumenta B.

Digitized by Google

Cyprianus reliquit. Gregorius Neocęſarienſis ille Taumaturgus Origenis diſcipulus, anno circiter 233. florebat, in ea epiſtola quam eius nomine inter ſuos canones Græci cenſent, quatuor illos gradus diſertim explicat. Primò illo dempto tres tantùm meminit Cõcilium Ancyranum, eoſdem Nicænum. In cæteris deinde Concilijs, & Græcis ſcriptoribus gradus hoſce quatuor ſignatè atque explicatè legas. Baſilio frequẽs eorum mentio, canonicis præſertim ipſius in epiſtolis inculcata; minus frequens apud latina Concilia, latinoſque Patres, aut non iiſdem certè verbis deprompta. Primum gradum ita B. definit Gregorius, *fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorij vbi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro ſe precentur.* Hoc & eiuſmodi locis pleriſque planum & euidens eſt ad Eccleſiæ aditum ſtetiſſe ſe in hoc gradu pœnitentes, ibique fidelium aduentum operiri ſolitos, quibus acciderent tranſeuntibus, & in genua demiſſi peterent ſe vt precibus iuuarent. Verùm non vſque adeò in promptu eſt, fletuſne illiuſmodi & gemitus in Eccleſię limine primus omni tempore fuerit pœnitentiæ gradus, hoc eſt, ſemperne pœnitentiæ gradus quatuor fecerit Eccleſia, ſemper impoſuerit pœnitentibus, ad Eccleſiarum oſtium vti adſiſterent, gemerent, ineuntium Eccleſiam fidelium opem precariam obteſtarentur. Dubitarem enim quatuor antiquitùs fuiſſe gradus ab Eccleſia poſitos. Et quantum conijcere poſſum, fletus olim, hoc eſt, primo & altero ſæculo ex arbitrio celebrabatur, non Eccleſiæ præcepto. Tametſi dubitari non poteſt perpetuum fuiſſe morem

Digitized by Google

flendi, genua ponendi, ad Eccleſiarum fores procumbendi, quibus mœrorem animi ſui de noxia ſuſcepta teſtarentur, prætereuntium miſericordiam & preces elicerent. Verùm id eos ſua voluntate, non Eccleſiæ præcepto, neque quo primum gradum pœnitendi obirent, feciſſe, mea eſſet opinio, vti ſibi pœnitentiam daret Eccleſia, non data vtique, vt quarto reip. Chriſtianæ ſæculo mos tenuit: Tum enim pœnitentiam adepti, non qui eam conſequerentur, non ſua, ſed Eccleſiæ voluntate, non flectendis fidelibus, ſed officio fungendo, limen Eccleſiæ fletibus rigabant. Hoc eſſe diſcrimen fletus exiſtimo eius, qui duobus primoribus ſæculis, & illius qui quarto, quintoque ſolemnis fuit pœnitentibus: illo primum pœnitentiæ gradum ambibant, hoc obibant; ille anteibat pœnitentiam, hic ſequebatur. Quod multis ſuaderi poſſe rationibus videtur; nam & Tertullianum Cyprianumque legentibus nihil perſpectius occurret, quàm frequens illa in Eccleſiarum foribus prouolutio impetrandæ lacrymis, ac vberi fletu pœnitentiæ: tum quicquid primo in gradu pœnitentiæ fieri quarto ſæculo ius fuit, hoc in illis authoribus reperitur. Sed ne id Eccleſiæ pręcepto feciſſe dicas eos de quibus loquuntur, verbaque eos facere de ijs, qui iam pœnitentiam acceperant, ijdem authores declarant ſe agere de ijs qui abſtenti, nec pœnitentiæ compotes eſſent, quique hanc ſibi viam ad pœnitentiam munirent, atque eam nondum ingreſſi eſſent. Quare tres modò primis ſæculis fuiſſe pœnitentię gradus, auditionem, ſubſtrationem & conſiſtentiam, ſiue communionem ſolis

precibus

precibus exiſtimarem, atque primi gradus pœnas non prçceptas, ſed ſuſceptas. Quod manifeſtum fiet, ſi conſideremus in illa Chriſtianç diſciplinç, quæ ſanctiſſima fuit, nouitate, ad fidelium communionem lapſos & alios peccatores tam tardè lentéque Eccleſiam recepiſſe, vt eos in Eccleſiarum foribus lacrymantes, opemque implorantes, iacere complures annos ſineret, nec eos reſpiceret priuſquam certiſſimum doloris ſui teſtimonium dediſſent, omniumque ore ac conſenſu pœnitentiæ permitterentur, & digni viderentur quibus donum pœnitendi & ſatisfaciendi impertiretur. Hoc Cyprianus in octaua epiſtola libri primi, *ſine petitu & conſcientia plebis*, in octaua decima *citra ſta[illegible] plebis authoritatem* factum negat, vultque fideles pro ijs orare poſtquam vtique iacuiſſent in veſtibulo, & ante ora oculoſque fidelium in ſqualore & lacrymis diu verſati eſſent. Ea re intelligas Cypriani ſæculo communione prohibitos ſponte Eccleſiæque iniuſſu feciſſe quodcumque poſteriori ætate primo in gradu factitatum ſit, eoſque ploraſſe vt pœnitentiam impetrarent; quarto verò ſæculo eoſdem ploraſſe vt acceptam explerent.

Neque enim quiſquam eò redactos crediderit pœnitentes, vt cùm ſuapte ſponte ſemel ad veſtibulum ploraſſent, plorare iterum, pœnitentiâ donati, cogerentur. Cùm enim certum ſit duobus primis ſæculis nocentes ſponte in Eccleſiarum veſtibulo ploraſſe vt pœnitentiâ donarentur, veriſimile non eſt eoſdem alium fletus gradum, acceptâ pœnitentiâ, expleuiſſe; atque iterùm ſub primo illo Eccleſiæ tecto ploraſſe.

Itaque fuerint in Eccleſia duobus primis ſæculis quatuor pœnitentiæ gradus, ſi ſpontaneus ille hoc numero cenſeatur. Tres porrò legitimi & præſcripti, Auditio, Subſtratio, Conſiſtentia, primum namque inibant gradum, ſed non Eccleſię decreto: neque vt pœnitentiam quam non accepiſſent, inciperent, dabant ſe in aſpectum fidelium, lacrymas mœroris teſtes profundebant, teſtes ipſi fideles omnes prouocabant, qui pro ſe apud Epiſcopi tribunal dicerent: ſed vt piæ multitudinis preces & conſenſum extorquerent, ſine quo olim vix vlli abſtento datam ab Epiſcopo pœnitentiam reperies: cùm igitur omnes peccatores incerti eſſent, an omninò, aut quando eam impetrarent, hanc prouoluendi ſui cauſam habebant: hinc ille in ingreſſu ſacrorum nondum condonatâ pœnitentiâ effuſus fletus. Ac ſeriem profectò temporum, rerumq; vicem intuenti perſpicuum fiet, cur primum eſſe deinceps pœnitentiæ gradum Eccleſia ſtatuerit, eas quas in ipſo natu pietatis vltrò lacrymas eijciebant, vt pars eſſet pœnitentię quæ priùs ad eam via fuerat: quippe cùm duobus primis ſæculis parcior eſſet & adſtrictior Eccleſia, neque pœnitentiam ita facilè concederet, vti quarto & quinto poſtque ſeculis dedit: nam nihil eſt in hiſtoriarum luce clarius Idololatras & abſtentos ad Eccleſiarum aditum deſediſſe, ibi fletu & gemitu elicere miſericordiam ſtuduiſſe, ſanciēdæ tamen diſciplinæ cauſa nonnunquam reiectos, & ad Dei miſericordiam remiſſos qui eos reſpiceret ac ſanaret: atque hinc exortus eſt Nouati peſtilens error, hæc illi defectionis cauſa cùm pœnitentiam lapſis

Eccleſia permiſit. Dicebat homo impius non poſſe illam capitalia crimina dimittere, nec eorum pœnam æſtimare, neque ſatisfactionem certis pœnis aut temporibus definire, graues illas noxas ſibi diuinam miſericordiam reſeruaſſe, idololatras pro foribus Eccleſiæ relinquendos eſſe, vt mos erat, neque quidquam immutandum. Qui & Montanum anteà furor exagitarat, cùm ab Eccleſia indicatum eſt adulteris relinquere ſe quoque aditum ad pœnitentiam. Quæ cùm & Montani & Nouati errores à ſtirpe erutum iret, non modò in viam pœnitentiæ lapſos induxit, ſed & de priſtina ſeueritate nonnihil remiſit, & in aliam partem inclinauit, nec in veſtibulis oſtijſque templorum annos complures deſtituit ampliùs; cùm nulli eſſent reijciendi, ſed omnibus omninò pœnitentiam dari iuſſit, confeſſos illicò pœnitere annos aliquot voluit. Hinc eſt quod ab Nouati exploſa hæreſi abſtentos parciùs in foribus templorum videmus pœnitentiam, vt antea temporis prenſantes; neque tamen, vel ſi ſtatim confeſſis, aut ſi notum erat delictum petentibus pœnitentiam dederat, immunes à fletibus & lacrymis fecit. Nam & hę pœnitentium imprimis partes ſunt, & more inſtitutoque fiebat, vt doloris ſui publicum hoc teſtimonium proderent. Quare ne peccatores de pœnitentia ſecuri, eò quod certò ſcirent, exploſo & condemnato Nouati errore, ſe pœnitentiam ſi eam rogarent, accepturos, fletus illos omitterent, quibus antea pœnitentiam deprecari ſolerent, & ſine lacrymis obtinerent, quod antea multis cum lacrymis vix obtinuerant, aliquanto tempore fidelium

Digitized by Google

introitum ſeruare, adſtratos flere, facere ſecundum captam pœnitentiam id quo capere pœnitentiam ſolebant, primum denique huius actum eſſe voluit Eccleſia, quod proemium fuiſſet.

Ab his ductum initijs primum gradum puto, quem ſi quis ab Ancyrani & Nicæni magni Concilij temporibus vſque repetitum ibit, quæ Concilia poſt errorem Nouatiani habita ſunt, tametſi ſtatutum ab Eccleſia luctum illum Concilia illa minimè declarent, nihilque de primo gradu dicant, ſic potiùs exiſtimet de ijs verba feciſſe vtrumque Concilium, qui ſua ſponte primum hunc gradum obijſſent, & hęſiſſent in templorum foribus pœnitentiam obteſtantes.

Mihi enimuerò pro comperto eſt, ſi cui fortè pœnitentiam Eccleſia quarto etiam ſæculo denegaſſet, iſque repulſus pœnitentiam tamen profiteretur, liminibus Eccleſiarum longo inſtaret tempore, ploratu & planctu, mœroriſque aſſiduitate pœnitentiæ veniam tandem exoraret, eum ad primum gradum detruſum non eſſe, qui tantum angorem animi & culpæ odium tam palàm teſtatus eſſet, ſed eo omiſſo in ſecundum locum transmiſſum eſſe.

Fletus porrò huius & gemitus indicendi non aliam cauſam habuit fidelium mater, quàm vim eam propitiandi numinis quam ineſſe lacrymis Deus ipſe indicat, & placandi ſui rationem demonſtrat, edicenti Deo, *Quoties ingemuerit peccator* parendum decernebat, reque vera ingemiſcendum, vti qua ope monſtrabat ea flecteretur quæ fletibus cogi vult diuina miſericordia.

Digitized by Google

Sed ô mirabilem ſacroſanctæ antiquitatis pietatem & religionem! Quoties enim quiſque in hoc rerum ſenio & prope occaſu plurimis & grauiſſimis noxis vel vnam lacrymulam arcanò ſecum impendit? At vnius delicti conſcientiam ſanctiſſima illa in antiquitate ſolidum triennium, etiam verò quadriennium inſpectante Eccleſia propalamque lugebant: non elugebant quippe, ſed hanc ſibi viam ad luctum atq; ad pœnitentiam muniebant. O veteris diſciplinæ ſanctitatem mirabilem quæ culpas ſic amputabat, vt reliquum corpus integrum, & ab omni labe caſtum tueretur. Cæterùm pœnitentes hocce in infimo gradu quid ieiunij, quid ærumnarum pertulerint, ſe vt habuerint, quo veſtitu fuerint, canonum eſt edictionibus explicatum. Templorum certè aditum ſeruabant, ibi dum ſacrum eſt, conſiſtebant, ſacra obeuntes fideles operiebantur, re diuina peracta abeuntibus pari demiſſione aduoluebantur. Agapis adhibitos non video, cùm in his preces fierent à cœtu fidelium, neque cùm fidelium delectu pœnitentes comprecarentur: vnà verò cum fidelibus eſitaſſe potuiſſe quarto ſæculo, argumento ſunt canones, quibus aditu & ſermone fidelium arcentur flentes ſi in ipſo fletus gradu quid deliquiſſent, atque communem cum ijs cibum capere fideles vetantur.

Digitized by Google

SECVNDVS GRADVS POENITENTIÆ.

OBSERVATIO XXIII.

PRimo iſto gradu tranſmiſſo, cùm pœnitentes longo ſatis interuallo ſuis complorationibus, limina introituſque Eccleſiarum conſperſiſſent, & geniculationibus pauimentum contriuiſſent, ijs ad ſecundum gradum acceſſus tranſmiſſioque parabatur: quam Græci Auditionem vocant, Latini verò, quanquam non eo verbo vtantur, duoſque inter ſe primos gradus permiſcendo confundant, verbiſque illis exprimant, *ſtent & orent inter Catechumenos, vel inter Audientes*, vt ait Papa Felix, tamen poſtea quod dixerint ad eandem ſignificationem transferri deducique poſſe videbimus: quod quò faciliùs aſſequamur, in memoriam reuocandum eſt quod alibi dicimus, mirificam quãdam & apertam fuiſſe inter pœnitentiam & catechumenatum conſenſionem, atque adeo vt qui vtrumque accuratè perpenderit, non diffitebitur pœnitentiam, quaſi ad quendam catechumenatum repræſentandum conſtitutam, omneſque leges & ritus pœnitentium à Catechumenis hauſtos & deriuatos fuiſſe: & quamuis Eccleſia duriùs atque acerbiùs in pœnitentes, atque in alios animaduerteret, quod maiori ſanctitate, amiſſa Baptiſmi gratiâ, indigerent, quàm catechumeni, vt digni haberentur qui Euchariſtiam perciperent, tamen via quædam, ratioque ad illam quaſi ſanctitatem & purgationem perueniendi, è ritibus qui in ſecundo

gradu Catechumenorum vſurparentur, accepta & deriuata fuit qua puriores & integriores in eum ſtatum & gradum ſanctitatis reſtituerentur, qui neceſſarius eſſet, vt ad Euchariſtiam accederent.

Vt igitur Eccleſia certos quoſdam ludimagiſtros & quaſi doctores inſtituerat renunciaratque, qui nihil aliud agerent inter Chriſtianos, quam ſingulis diebus operam ſuam conferre, & profiteri, vt ipſos Catechumenos ſaluberrimis Chriſtianæ religionis pręceptis (omiſſà omni myſteriorum & ſacramentorum mentione) imbuerent, atque eos ipſos, diuini numinis horrore incuſſo, inferorumque & ſempiternorum cruciatuum timore propoſito, ab vſitata & aſſueta viuendi ratione auerterent, & paulatim mentem Chriſtianæ religionis eis inſpirarent: quid quod ſecundus gradus catechumenatus in eo tantùm verteretur, vt ijs quæ diſputarentur audiendis attentas aures præberent: eoque nomine tantùm auditores eſſent & dicerentur; ita ſtatuerat Eccleſia, vt eaſdem lectiones pœnitentes memoria cuſtodirent, & ijſdem doctoribus quibus Catechumeni ſubijciebantur, erudiendi traderentur; eodemque modo pœnitentes in ſecundo gradu habebat & docebat, ac ſi nunquam è catechumenatu in quo priùs verſabantur, emerſiſſent; atque de integro omnia fidei præcepta & prima rudimenta eos ediſcere & audire volebat. Et ſi huiuſce inſtituti rationem quæras, alia non eſt quàm quod opinaretur Eccleſia, eos qui ſeſe flagitijs mortiferis obſtrinxiſſent, diuinæ ſupremæque iuſtitiæ cognitione aliqua ſcientiaque non tinctos fuiſſe; quandoquidem tam breui

Digitized by Google

tempore eorum omnium memoria ex eorum animis effluxiſſet: ideóque illos rurſus ad fidei rudimenta condiſcenda remittebat, eoſque inter collocabat, qui nullam vel leuiſſimam diuinæ iuſtitiæ, eiuſque legum cognitionem vllam hauſiſſent. Et quantum conijcio, pœnitentes fidei legiſque diuinæ ignari magis & imperiti cenſebantur, quàm catechumeni, quod eos diutiùs in iſto ſecundo gradu morari vellet Eccleſia: atque adeò eos doctorum diſciplinę, quàm Catechumenos longiore ſpatio temporis ſubmittendos curaret: ſic vt inter Catechumenos *Audiētes*, & inter pœnitentes ſecundi gradus vix vllum diſcrimen eſſet; quod ijſdem lectionibus ſimul intereſſent, ijſdem magiſtris, eodem in loco operam nauarent, in eundemque finem omnis eorum labor & induſtria deſudaret. Et quemadmodum Catechumeni ſecundi gradus *Auditores & Audientes* vocabātur; non quod fidelium concionibus habendis aures præbere conſueſcerent. Nam quiuis catechumenus, in quarto & quinto ſæculo, quacunque conditione eſſet, quiuis etiam pœnitens, imò etiam Iudæi ipſi, hęretici, pagani, *quique è diuerſo*, vt ait canon, quodammodo ſtarent, conciones audire poterant, qui tamen *audientes* non nominabantur; ſed in hoc ipſo gradu conſtituti cùm eſſent, propriè diſcipuli & legis Chriſti tyrones appellabantur; quod in eo gradu Chriſtianiſmi rudimenta omnia & prima elementa audirent. Et ni fallor, hæc vox, *Audiens*, pari ſignificatione à Patribus vſurpabatur, qua ab Ethnicis cùm alicuius ſectæ æmulatores & diſcipulos indicare cupiebant, eandemque

vim

Digitized by Google

vim in veterum Patrum ſcriptis habere videtur, quam Ethnicorum ſcripta tuentur: & ob id maximè pœnitentes dictos fuiſſe audientes, & ſecundum gradum nomine auditionis nuncupari; quod eo in gradu, cùm quaſi nulla Chriſtianæ religionis cognitione notitiaque aſperſi fuiſſent, noui diſcipuli & auditores Chriſtianæ diſciplinæ inſtituerentur.

Ex his quæ diximus facilè poterimus Latinos cum Græcis conciliare, & id confirmare quamobrem Patres Concilij Agathenſis, Epaunenſis & Arelatenſis, itemque Papa Felix (vtentes verſione Rufini in vndecimum canonem Concilij Nicęni,) vt ſecundum pœnitentiæ gradum indicent, his verbis vtantur, *ſtent inter Catechumenos*, vel, *quinque annos exigãt inter Catechumenos*, vel, *cum Catechumenis diſcedant*. Græci verò vt eundem gradum exprimant, de Audientis tantùm nomine loquantur. Nam verbum iſtud, *Catechumeni*, de quibus apud Latinos ſermo eſt, ad Catechumenos Audientes referri oportet, qui cùm ea omnia quæ oporteret pœnitentes ſecundi gradus ſubire, facerent: hoc eſt, cum lectionibus de quibus antè diximus, intereſſent, & cùm eæ conciones & lectiones finitæ eſſent, ex Eccleſia egrederentur: idcirco Latini, vt hunc ſecundum gradum exprimant, nihil aliud dicunt, quàm quod ſtent & verſentur cum Audientibus Catechumenis, quia ſcilicet vtrique ijſdem præceptis & inſtitutis eſſent formandi; atque ea eſt ratio, vt quæ Latini de pœnitentibus ſecundi gradus diſputant, cum ijs quæ apud Græcos reperiuntur, congruere & conſentire exiſtimem. Cùm autem canones

Digitized by Google

dicunt *ſeptem annis orent inter Catechumenos*, vt canon nonus Concilij Ilerdenſis, vbi Patres de iſto pœnitentię ſecundo gradu, & cæteris verba facere videntur, non hoc ita accipiendum quaſi pœnitentes ſecundi gradus præterquam quod cum Audientibus Catechumenis ſtare, & ijſdem lectionibus imbui poſſent, potuiſſent quoque in Eccleſia preces fundere, & cum alijs Catechumenis quibus ius eſſet in Eccleſia genu flexo orare, etiam in genua procumbere (neque enim Catechumeni Audientes poterant hoc iure perfrui.) Verùm hac loquendi formula *orent cùm Catechumenis*, Patres tres primos pœnitentiæ gradus complectuntur & ſubintelligunt. Et quamuis ea ipſa verba verè & propriè non poſſint niſi ad tertium gradum pœnitentiæ & Catechumenatus reuocari, tamen ijs breuitatis cauſâ vtuntur ad tres primos gradus pœnitentiæ definiendos: quod ſcilicet facilè vnuſquiſque illis temporibus intelligeret pœnitentes qui inter Catechumenos orantes relegati eſſent, priùs cum Audientibus Catechumenis ſtetiſſe: quis enim illa ætate non ſciret primi & ſecundi gradus pœnitentes cum Catechumenis orare non potuiſſe; quod ab Eccleſia vtrique recederent antequam Catechumeni tertij gradus genua flecterent & orarent; ſed tanta breuitate tres illos gradus exprimunt, vt illos denotent, non per ea quę fierent in primo aut ſecundo gradu, verùm ijs rebus quæ dumtaxat in tertio gradu vſurparentur. Quapropter tenebras quaſdam nobis qui à primis ſæculis longiùs abſumus, offundunt. Itaque cùm legimus in Concilijs *pœnitentes orent cum Catechumenis ſeptem*

Digitized by Google

vel decem annis, res illa ad pœnitentes tertij gradus, non autem ad primæ aut ſecundæ claſſis pertinet, & tamen ad ſignificandum totum pœnitentiæ tempus, eiuſque tres primos gradus adſumitur, quòd nimis longum fuiſſet adſcribere, quot annos in vnoquoque gradu pœnitentibus ſtandum eſſet.

Ex his omnibus illud hauriendum eſt, ſecundum pœnitentiæ gradum in eo tantùm poſitum fuiſſe, vt pœnitentes auditores eſſent earum lectionum, quæ Catechumenis ſecundi gradus fierent. Nam in eo gradu nihil aliud quidquam reperimus eos aut egiſſe aut ſubijſſe quod ſupplicij loco duceretur: neque enim publicè ſacco & cinere aſperſos, aut alijs moleſtijs quibus pœnitentes tertij gradus conflictarentur vexatos, non denique manuum impoſitionibus ſubditos legimus; nolim tamen negare priuatim eos & ieiunijs, & alijs pœnitentiæ ærumnis ſeſe potuiſſe conficere.

TERTIVS POENITENTIÆ GRADVS.

OBSERVATIO XXIV.

TErtius hic pœnitentium gradus ὑπόπτωσις Græcis, hoc eſt vt nonnullis placet, cæleſtium & diuinarum rerum contemplatio, dicitur. Nam quia in cæleſtibus meditandis ſæpè occupati erant, id nomen eis attributum eſt. Sed arguuntur illi à Caſaubono, qui contendit eam vocem apud authores Eccleſiaſticos hunc ſenſum non habere vt ſignificet *Inferna contemplari*, ſed

ſeſe alicui humiliter ſubmittere, facit ab illius interpretatione tam aptus Clementis Alexandrini locus, vt lectorem conuincat, & certè qui accuratè & diligenter expenderit pœnitentium in hoc tertio gradu ſtatum, quidque ab illis ageretur, is numquam ad primam etymologiam accedat: cùm iuberentur potiùs animum criminum cogitatione demittere, quàm ad contemplanda diuina, fideique myſteria attollere. Tertullianus certè & ab illo concilium aliquod in Hiſpania habitum huiuſmodi pœnitentes volunt, *animum mœroribus deijcere*. Præterea ſic ſeparabantur à myſterijs ſacramentorumque cum participatione, tum etiam aſpectu, & vt nullo modo probabile ſit eos ad illa contemplanda meditandaque admiſſos eſſe. Denique pòſt intelligetur, multò certiorem aptioremque eſſe Caſauboni quàm doctiſſimorum illorum virorum etymologiam non ob eam certè quam ipſe attulit, ſed propter alias rationes. Falſa eſt enim, ſicut & pleraque alia quæ eodem loco de tertio illo pœnitentiæ gradu habet. Quibus apertè ſe doctiorem in lingua Græca quàm in hiſtoria Eccleſiaſtica probauit. Quin & ipſo eodem loco vbi Bellarminũ ait *immaniter erraſſe*, peccauit, & quidem grauiſſimè quinque in rebus, dum tertium pœnitentiæ gradum explicat, vt ex ijs quæ paulò pòſt dicemus, conſtabit.

Non eſt frequens vox hæc *humiliatio*, Latinis, in tertio iſto gradu explicando, ſed tamen ijs vtuntur verbis quæ planè eundem ſenſum habent, cuiuſmodi ſunt, *iacere, ſubiacere, colla ſubmittere, manus impoſitio, purgatio proſtrati, humiliati, ſub manu ſacerdotis poſiti, de-*

Digitized by Google

tenti, caput ſubdere, ad manus impoſitionem crebrò recurrere, recedere, deducere, abducere, & ſimiles loquendi formæ, quas poſteà explicabimus, & voci Græcorum conuenire oſtendemus, cúmque id voce dumtaxat vna exprimere volebant, *pœnitentiæ* verbo aut *pœnitentium* vtebantur, non quod alij tres gradus ad pœnitentiam non pertinerent, & pœnitentiæ vocabulo intelligi non poſſent; ſed quod tertius hic gradus alijs diuturnior, grauiorque eſſet, vt in quo ſe pœnitentes propter admiſſa crimina acerbiùs affligerent, macerarent, ac ſatisfacerent; ea inquam cauſa eſt cur pœnitentia potiùs quàm alij gradus diceretur; ſic Arelatenſe Concilium ſecundum Canone 11. *triennio inter pœnitentes, habeantur à communione ſuſpenſi.*

Veniamus nunc ad huiuſce gradus enucleatam explicationem; præcipuum iſtud in eo fuit, vt quibus diebus ſolemnia peragebantur ſacra, aut ieiunabatur, in Eccleſiam venirent, certoque ac determinato ipſis loco ſtarent, quò tum demum diſcederent mediam in Eccleſiam venturi, (poſtquam Catechumeni orationum benedictione percepta abierant) propiùs tamen à ianua & remoto loco à ſanctuario, ibique palam vniuerſo populo madentes lacrymis proſternebant ſe in faciem. Mox Epiſcopus vnà cum ſacerdotibus paſſis ad illos manibus accedebat, orationeſque in eos aliquot recitabat, quibus auditis mox è templo pœnitentes diſcedebant. Iſtud inquam eſt in quo potiſſimum tertius ille gradus ſitus erat. Nam quod votum ſpectat ab ijs emitti ſolitum ſexto, ſeptimo, octauoque ſæculo de veſte, ieiunijs, continentia ab vxoribus,

Digitized by Google

de neglecto capillorum velo,& ſi quid eſt eiuſmodi proprium pœnitentium, nihil hoc loco dicam, cùm id vel ipſa Canonum lectione apertum ſit. Satis eſt ea quæ paulò antè poſita ſunt, ſingillatim fuſiúſque confirmare.

De Ceremonia iſta quam in ſolemnioribus ſacris fieri diximus, ſatis eam, præter Canones quibus manifeſta eſt, probat decimus nonus Canon Laodic. nam cùm preces in Miſſa fieri ſolitas recenſet, earum meminit, quæ pro pœnitentibus eſſent: ex quo profectò efficitur, eas in partem aliquam Miſſæ veniſſe. In Conſtitutionibus vulgò Diuo Clemēti attributis, idipſum reperitur. Quod quidem confirmari ex eo etiam poteſt, quod non ſolùm ea pœnitentes facerent criminibus ſuis expiandis, verùm etiam vt alijs fidelibus exemplo eſſent, qui ſolemnioribus ſacris debebant omnes intereſſe. Addidimus & ieiunia, vt oſtenderemus ieiuniorum etiam diebus etſi nulla ſacra celebrarentur, impoſitas tamen pœnitentibus manus fuiſſe, vt Canone octuageſimo Concilij quarti Carth. conſtat. *Omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à ſacerdotibus imponantur.*

Quod locum attinet eis in Eccleſia cum precibus fundendis, tum explicationi Euangelij audiendæ attributum, dubium non eſt quin is intra Eccleſiæ ſepta fuerit proximè portam & à fidelium loco ſeparatus. Patet iſtud cùm Gregorij Thaum. Canone *vt intra templi portam ſtent*, tum græcorum & latinorum canonum decretis. *Stent inter Catechumenos, ſtent in loco pœnitentium, orent cum Catechumenis.* Notum eſt enim

eos omnes, qui fidelium numero non cenſebantur cuiuſmodi erant Pœnitentes, Catechumeni, Energumeni, Iudæi, Schiſmatici, Hæretici, procul à fidelibus & ſanctuario ad ianuam reiectos fuiſſe. Conſtat etiam eos intra templum hæſiſſe, quod explicationem euangelij audire poſſent, vt ex canonibus patet, pluribuſq; Patrum homilijs ad pœnitentes, quæ cùm in Eccleſijs haberentur, veroſimillimum eſt, eos qui audire poſſent, in Eccleſijs pariter fuiſſe; at certiſſimum eſt potuiſſe à pœnitentibus audiri.

Locus autẽ in quo manus ipſis imponebãtur, & ſe in pectus faciemque proni abijciebant, vt orationũ ab Epiſcopo factarum benedictionẽ acciperent, non videtur remotior fuiſſe ab eo quem communiter obtinebant vt orarent, concioneſque audirent, quod nũquam fidelibus commiſcerẽtur. His accedit Canonem eſſe in Carthagin. Concil. qui jubet pœnitentibus ijs qui vniuerſæ Eccleſiæ ſcandalo fuiſſent, manus imponi ante apſidem: (exiſtimo autem illo canone deſignari manuum impoſitionẽ quæ tertij huius gradus propria fuit,) quã interpretes extrà Eccleſiã collocãt, ex quo conijcitur impoſitiones alias circà portam, extra Eccleſiæ adyta, & ſanctuariũ fieri ſolitas. Denique Grçci interpretes aſſerunt illas manuum impoſitiones *ponè ambonẽ* fieri, quod cum ijs quæ à nobis dicta ſunt optimè congruit, qui volumus eas loco pœnitentibus attributo qui ponè ambonem ad portã erat, factas eſſe. Niſi quis velit eos paulò altiùs in conſpectum fidelium veniſſe, mediaque in Eccleſia conſtitiſſe.

His rebus apertus fit Caſauboni error, qui gradum

Digitized by Google

iſtum, *interiorem quādam admiſsionem* vocat. Nam ſiue contendit tertij gradus pœnitentes ad maiorem myſteriorum cognitionem admiſſos fuiſſe quàm alios, conſtabit ex ijs quæ pòſt dicemus, falſum eſſe, neque eius magis ea quàm Iudæi participabant, ſiue interiorem admiſſionem loco definit, quaſi remotiores à ianua quàm alij eſſent, pariter fallitur; pœnitentes enim cuiuſcumque gradus eſſent, imò Iudæi, Pagani, Hæretici, Schiſmatici, cæterique ab Eccleſia alieni, excommunicatique, Eccleſiam ingredi, & Catechumenorum loco perinde atque tertij gradus pœnitentes orare, Euangeliumque audire poterant. Ex quo manifeſtum eſt eum antiquarum huiuſmodi ceremoniarum imperitum fuiſſe.

Difficilius eſt probare eam manuum de qua locuti ſumus impoſitionem non niſi digreſſis Catechumenis fieri conſueuiſſe. Canon enim Diui Gregorij apertè ſignificat pœnitentes hos vnâ cum Catechumenis Eccleſia exiuiſſe, *cum Catechumenis egrediatur*. Quod & pariter faciunt Agdenſis & Epaunenſis 60. & 29. tam apertè tamen 19. Laodic. Canon digreſſos ante pœnitentes, Catechumenos affirmat, vt dubitationi locus eſſe non poſſit. Diuus etiam Baſilius can. 56. epiſt. ad Amphil. diſertè aſſerit Catechumenos & *Audientes* ſimul egreſſos eſſe, ex quo neceſſarium eſt tertij gradus pœnitentes poſt Catechumenos egreſſos eſſe: egrediebantur enim poſt ſecundi gradus pœnitentes; verba Baſilij hæc ſunt. *Inter Auditores recipietur, quinque annis cum ipſis egredietur.* Idem videtur apertè in Conſtit. Diui Clementis, vbi Catechumenorum orationes

priores

Digitized by Google

priores ſunt tertij gradus orationibus, quarum in fine expreſsè præcipitur, vt orationibus peractis à Diaconis templo dimittantur. Denique non eſt probabile præſentes adfuiſſe Catechumenos cùm pœnitentibus manus imponerentur, cùm ex Canonibus conſtet ea tantùm ipſis communicata fuiſſe quæ ad ipſos pertinerent, cùm incertum eſſet vtrum ad Paganos reuerterentur. Caſaubonus qui Gregorij Canonem græcum legerat, non item Laodicenum, confidenter aſſeuerat eos vnà cum Catechumenis dimiſſos fuiſſe. Sed quod Canones ſpectat qui vnà cũ Catechumenis dimittendos eſſe decernunt, non ſunt ita intelligendi quaſi velint vno eodemque præcisè tempore dimiſſos fuiſſe, ſed tam paruum temporis ſpatium inter vtrorumque egreſſum intercedebat, vt cùm Canones velint eos ante fidelium ſacrum diſcedere, ſimul dimittendos eſſe dicant cùm ſe penè conſequerentur. Pari etiam ratione cùm dicitur *ſtent*, aut *orent*, aut *intrent cum Catechumenis*, non is eſt ſenſus, vt confusè permiſceantur, aut ſimul orent, cùm ſuæ eſſent vtriſque diſtinctæ orationes, & locus ſeparatus, ſed ijs vtuntur loquendi formis canones vt ſignificent, non debere eſſe fidelibus permiſtos, aut cum illis orare, quod Catechumenorum à fidelibus ſeparatio, præcipua erat totius populi diuiſio & notiſſima, ſic cùm ſimul iubent Catechumenos pœnitenteſque diſcedere, non expreſsè & ſignificanter definiunt debere eos vno eodemque ſimul tempore, ſed ante fidelium ſacrum diſcedere. Permittuntur Iudæi Canonibus limen Eccleſiæ cum Catechumenis ingredi. Non eſt tamen

Digitized by Google

hoc ita intelligendum quaſi cum Catechumenis potiùs quàm cum fidelibus ingrederentur, ſed tantùm quod limine Eccleſiæ non arcerentur, modò ne cum fidelibus permiſcerētur, qui diſtinɛto loco in Eccleſia erant à Catechumenis, ſic cùm decernitur poſſe apoſtatas & excommunicatos Eccleſiam ingredi in eaque ad ſacrum vſque Catechumenorum manere: imò nonnulli volunt potuiſſe eos cum Catechumenis orare. (Nam ſi prohibetur ne certis quibuſdam in caſibus cum ijs orent, certè veriſimillimum eſt cum ijs vt plurimum & ordinariè oraſſe) non ideò tamen efficitur communi cum Catechumenis loco orauiſſe, aut Catechumenorum ſermones audiuiſſe, ſed nihil aliud intelligitur niſi ipſis licitum fuiſſe ad ſermones vſque Catechumenorum, non autem vltrà in Eccleſia permanere. Atque hæc quidem Zonaræ & Balſamoni ſatisfacient qui in Canones Nicænos volunt vnà cum Catechumenis digreſſos, quamquam & Zonaras in 19. Can. Laodic. apertè dicat Catechumenos ſtatim peraɛtis orationibus ſuis ante pœnitentes exiuiſſe, qua in re ſibi ipſi contrarius eſt, noſtramque opinionem defendit.

Quæ duo præcipua in hoc tertio gradu fiebant, & in quibus maximè poſitus erat, hæc ſunt, vt ſimul omnes ſeſe in faciem proſternerent, & eo in ſtatu manerent, dum in eos certas quaſdam orationes Epiſcopus recitaſſet, eiſque manus impoſuiſſet. Dixi præcipua, addam & omnium probatu difficillima. Nam quod primum attinet, tam conſtans eſt authorum omnium aſſeueratio gradum iſtum in eo tantùm poſitum

Digitized by Google

fuiſſe vt ponè *Ambonem* ſtarent, & cum Catechumenis egrederentur, vt id difficillimum ſit in tanta doctiſſimorum hominum conſenſione euertere. Baronius, recentioreſque omnes ſcholaſtici, & ex hæreticis Caſaubonus, & Notæ in codicem Eccleſię nihil aliud eſſe volunt iſtam ὑπόπτωσιν quàm *humiliter ſeſe pœnitentiæ ſubijcere, aut certè ſtare ponè ambonē, & cum Catechumenis egredi.* Addit Caſaubonus gradum iſtum humiliationem dici. *Vt vel ſola appellatio pœnitentes ſui officij admoneret.* Sed pauci animaduertunt alios etiam pœnitentes debuiſſe humiliari, neque vllam eſſe rationem peculiarem cur humiliores eſſent huius tertij gradus pœnitentes, aut cur potiùs quàm alii gradus, tertius *humiliatio* diceretur. Sic etiam qui volunt iſtum gradum in eo eſſe vt ſeſe pœnitentes *humiliter pœnitentiæ ſubmitterent*, nullam afferre rationem poſſunt cur in hunc tertium gradum eiuſque pœnitentes id potiſſimum caderet, neque enim ſummittere ſe primum pœnitentię in hoc gradu incipiebant, ſed ei ſe ſummiſerant in ipſo pœnitentiæ ingreſſu, imò & ante primum gradum qui tertium nonnunquam tribus aut quatuor annis, aliquando etiam pluribus præcedebat.

Non eſt tamen in coarguendis recentioribus ſumma & præcipua difficultas, ſed antiquioribus quorum authoritate innituntur, qualis eſt Diuus Gregorius Thaum. qui poſtremo canone ſuo ſic gradum iſtum definit, *vt intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur*, qua quidem definitione ſatis apertum eſſe videtur nihil aliud fuiſſe tertium iſtum gradum quàm cum Catechumenis ſtare & egredi, eam autem arguere

Digitized by Google

quaſi mancam & minus tertium iſtum gradum explicantem difficile eſt. Ita pariter graue eſſe videtur refellere quę in eam rem ſenſerunt Zonaras & Balſamon, qui in Canones Concil. Nicæni & Ancyrani aſſerunt vocem iſtam ὑποπίπτειν nihil aliud ſignificare quàm *ſtare retro ambonem & ſuggeſtum, & cum Catechumenis egredi.* Quàm multa contra tendenti & falſitate arguenti congerenda eſſent teſtimonia vt perſuaderet. Dicam tamen candidè explicationes iſtas mihi non ſatisfacere, quod ſecundi gradus pœnitentes, imò Iudæi, Ethnici & Excommunicati Eccleſiam ingredi poſſent, flectere genua, conciones audire, preceſque fundere retro ambonem & cum Catechumenis (hoc eſt ante fidelium ſacrum,) aut certè paulò ante eoſdem egredi. Quare nihil ſpeciale & proprium haberent tertij gradus pœnitentes, nihil quod ipſis cum ſecundo gradu Iudæis, alijſque paulò antè commemoratis non eſſet commune. Præterea Canon Laodic. & in eũ Zonaras apertè aſſerunt, pœnitentes tertii gradus poſt Catechumenos egredi, ex quo apparet definitiones illas non vſquequaque integras & abſolutas eſſe, neq; ita certas vt eis neceſſariò ſtandum ſit: denique quî poterunt iſta in tertium gradum conuenire quæ ab aliis canonjbus attribuuntur? *Crebræ manus impoſitiones, ad manum ſacerdotis crebrò recurrere, ſub manus ſacerdotis detenti colla ſubmittere, caput ſubdere.* Si tantùm in eo ſitus eſt, vt ſtent pone ambonem, & cum Catechumenis egrediantur. Certum eſt pœnitentes iſtos pone ambonem ſtetiſſe, & paulò pòſt Catechumenos digreſſos eſſe, ſed in eo ſolo gradus ille non eſt poſitus.

Digitized by Google

Exiſtimo igitur egreſſis Catechumenis abieciſſe ſe pronos in faciem, ad eoſque Epiſcopum vnà cum clero veniſſe, iiſque manus impoſuiſſe, & aliquot orationes in eos recitaſſe eiuſmodi, quale eſt formularium quod in Conſtitutionibus Clemẽtinis videtur. Ac primum quidem vox ipſa ὑπόπτωσις probat, qua Græci vtj Canones Nicæn. Ancyr. S. Greg. S. Baſilii vtuntur, quam mea quidem ſententia meliùs à nobis interpretari omnes fatebuntur qui velimus idem eſſe ac proſterni ad terram ſingulis ſolemnioribus ſacris quæ à Græcis qui explicant *ſtare retro ambonem*; quid enim commune habet ὑπόπτωσις cum his verbis, ſtare retro ambonem. His accedit vocem ὑπόπτωσιν potuiſſe vt diximus conuenire Catechumenis, quandoquidem ſtabant retro ambonem, perinde ac pœnitentes, & ſimul egrediebantur. Denique verſio Can. Nicæn. & ex conſequenti verbi ὑποπίπτειν quæ habetur in Canonibus Felicis Papæ, omnem planè difficultatem aufert & euincit ſenſum eſſe *ſeſe proſternere, non autem humiliter ſtare retro ambonem*, vt pòſt videbitur.

Sed attendat lector non ſolùm aptiorem eſſe græcis interpretandis explicationem noſtram, verùm etiam confirmari à Latinis, vt à nono Canone Gerund. *Si caput publicæ pœnitentiæ non ſubdiderit*, quî enim conuenire eorum explicatio poteſt, ſi nihil eſt aliud, quàm *Stare retro ambonem*, neque enim eadem vis eſt verborum, *Stare retro ambonem*, atque iſtorum, *Subdere caput pœnitentiæ*. Sed noſtræ aptiſſimè conuenit, arcet enim Canõ ille à Clericatu eos qui ſe publicè proſtrauerint, etiã ſi nullum crimẽ admiſerint, quod ea pœna dignũ

Digitized by Google

ſit, ſed vna pietate moti id fecerint, pœnitentiamque admiſerint, quod ea infamis eſſet, & cùm publicè fieret *notati* cenſerentur, inquit 53. Can. 4. Conc. Toletani, qui explicat Gerundenſem, vt oſtendimus in Notis. Notandumque eſt eos non arceri à Canone Clericatu quod pœnitentiam admiſerint, niſi & publicæ illæ ad terram abiectiones quę pudendę erant, acceſſiſsẽt. At ſi tertius ille gradus in ſtando retro ambonem poſitus fuiſſet, & in egrediendo cũ catechumenis, profecto Canon iſte pœnitentes Clericatu non priuaſſet, quod & Catechumeni, & qui ad annũ ſine pœnitentia ſeparati erant, etiã retro ambonem ſtarent, neq; tamen Clericatu priuabãtur, quod in eo nulla eſſet infamia, ſi quis retro ambonem ſtetiſſet, ex quo efficitur ad tertium iſtum gradum conſtituẽdum, aliquid aliud quęrendum eſſe. Quis non animaduerteret his Felicis Papę verbis, *ſeptem annis ſubiaceant*, cùm de tertio gradu loquitur, his item alijs, *non confundantur Deo colla ſubmittere* ſatis indicari, Pœnitentes iſtos adſterni ſolitos, vt manuum impoſitionem perciperent. Nihil ne aliud volunt, quàm ſtare retro ambonem, & cum Catechumenis egredi? Cui pœnitentiæ gradui, aut quibus demum actionibus commodiùs attribui poſſunt, quàm huiuſmodi ad terram abiectionibus, ſicut & aliæ permultæ loquendi formæ, quæ cùm apud Patres, tum apud Canones: crebrò occurrunt *Iacere, proſterni, ſubſterni, humi volui, adhęrere pauimento, ſub iugo pœnitentię ſubmiſſi, caput pœnitentię inclinare*, & ſi quæ ſunt aliç. Nonne inquam apertè teſtantur proſterni ſolitos in Eccleſia, vocemque ὑποπίπτειν non ſimpliciter dicere

humiliari aut ſtare ponè ambonem, *ſed humi iacere & ſeſe proſternere.*

Martinus Bracarenſis natione, vt quidem fertur, quanquam repugnet nomen, Græcus, vocem ὑπὸπίπτων quæ eſt in 16. Canon. Ancyr. vertit in humilitate ſubjacere, & inquam qui Zonara & Balſamone, rituum & Ceremoniarum pœnitētiæ peritior erat & gnarior, non interpretatur ſtare retro ambonem, aut humilem eſſe, aut humiliter ſe pœnitentiæ ſubmittere, aut ſuperna contemplari, ſed in humilitate humi ſe proſternere, quod nos conuenire tertij gradus pœnitentibus diximus.

Alludit ad eum ritū Ambroſius cùm libris de pœnitentia ait, *quas bene Chriſto non auro inclinarent*, & alibi *ſatisfactionis iugo peruicacia colla non ſubijcit.* Item alio loco. *In conſpectu eius curua ceruicem, flecte genua, & eliſo vultu terrę proſternere*, & qui paginas implere vellet quàm multa ex alijs Patribus iſtis ſimillima congereret, quæ oſtendunt manifeſtè pœnitentes iſtos in ſolénioribus Miſſis proſterni ſolitos: huc etiā referri poſſunt, cùm quę de Theodoſio memorantur, tùm quæ apud Tertullianum habentur lib. de pudicitia, quæ & amplius confirmabuntur ex ijs quæ de manuū impoſitionibus quas percipiebāt, diſputabimus.

Cum ſimul omnes huius tertij gradus pœnitentes ad terram ſe proſtrauiſſent, extentis in eos manibus Epiſcopus aliquot orationes recitabat: eam actionem Patres manuum impoſitionem nominant, quæ continuabatur repetebaturque in ſingulis ſolemnioribus ſacris quandiu pœnitentes in tertio illo gradu hæ-

Digitized by Google

rebant. Non eſt locus qui expreſſè, & quod aiunt in terminis ſingula ea probet quæ diximus. Sed ſi loci illi omnes qui de manuum impoſitione agunt quæ in hoc tertio gradu fiebat, expenduntur: ſi vis ipſa impoſitionis manuum, quidque illa veteres intellexere attendatur, exiſtimo locupletiſſimè probatum iri, quæ diximus, neque vllum amplius qui contra diſputet, reperiendum, quod vt conſequamur ſinguli loci priuatim expendendi ſunt.

Primus erit Canon ille 19. Laodic. vbi ex vna verſione ſic habetur, *ijſque accepta manuum impoſitione diſcedentibus*. Heruetus autem ſic vertit, *& cùm ij ſub manum acceſſerint & receſſerint*, qui quidem canon ſi ſupponitur loquens de tertii gradus pœnitentibus vt neceſſarium eſt, fatendum eſt etiam ſingulis ſolemnioribus ſacris, ijs impoſitas manus eſſe. Pertexit enim Miſſæ ordinariæ ordinem, precũque & ceremoniarũ quæ in ea ordinariè peragebantur, præſcribitq; ordinẽ earũ rerum quæ cõmuniter fierent, non autem earum quę extraordinariè accidere potuiſſent. Preces enim Catechumenorum & conſecrationis deſcribit quæ ordinariè fiebant, ex quo manifeſtum eſt pœnitentium orationes, quæ in eodem ordine deſcribuntur, ordinariæ Miſſæ partem eſſe, perinde atque pars ſunt aliæ orationes, quæ in eodem canone referuntur. Loqui autem Canonem de impoſitione manuum tertii gradus certum vel ex eo videtur, quod tres aliæ manuum impoſitiones, quæ aliis pœnitentibus attribui poſſunt, cuiuſmodi eſt impoſitio pœnitentiæ tempore ſacri non fiebat, ſed in confeſſione & extra

ſacrum

Digitized by Google

ſacrum, neque pars eſſe Miſſæ vllo modo cenſebatur, ſicuti erat ea quæ in hoc canone deſcribitur. Duæ porrò aliæ impoſitiones quibus pœnitentes Eccleſiæ conciliabantur, quoque duas abſolutiones maiorem & minorem conferebant, etſi primis ſæculis definito tempore factæ non fuiſſent, & in feriam quintam ſanctioris hebdomadæ reiectæ, vt factum videtur quarto, quintoque ſæculo, ſed pro occaſione, finitâque pœnitentiâ conceſſæ. Tamen neque ordinariæ erant, neque ſacri partem faciebant, vt faciunt eæ quæ Canone iſto deſcribuntur : quare neceſſariò de tertio gradu intelligendus eſt, & ijs quæ in eo fierent impoſitionibus, quæ quia ordinariæ erant, partemque ſacri cum orationibus Catechumenorum facerent, canon in ſanciendo deſcribendoque ordine ſacri, ordinariarumque orationum ex quibus conſtabat, orationes tertij gradus comprehendit. Cúmque Zonaras ait neſcire ſe quo modo ea quæ ordinariè in Miſſis ordinarijs fierent reſecta ſunt, ſatis apertè innuit ſentire ſe nobiſcum, & per reſecta illa intelligere orationes, & manuum impoſitiones horum pœnitentium proprias, quæ partem Miſſæ faciebant.

Probauimus in Notis noſtris in canones, impoſitionem illam manuum, cuius in 78. can. Concil. 4. Carth. mentio fit, omninò intelligendam eſſe de frequenti manuum impoſitione tertij gradus, vnde lector argumenta mutuabitur quæ ex eo canone ducta, rem præſentem confirmant. Ita etiam eundem locum conſulet, vti intelligat Canonem hunc alium eiuſdem Concil. *omni tempore ieiunij manus pœnitentibus imponendæ;,,*

ad eandem rem de qua nunc agimus pertinere, maximéque confirmare. Vndecimus quinti Carthaginenſis, nonus Gerundenſis pluresque alij euidentiſſimè oſtendent huius tertij gradus pœnitentes orationes ab Epiſcopo manuumque impoſitiones percepiſſe.

Nemo dubitet quin hæc verba Felicis Papę, *ſeptem annis ſubiacere inter pænitentes manibus ſacerdotum*, de tertio gradu intelligantur. Canon enim vnde excerpta ſunt è verbo ad verbum canonem vndecimum Nicæn. reddit, qui decernit abiectiones & proſtrationes tertij gradus ſeptem annorum debere eſſe, vti & auditiones ſecũdi trium annorũ èrant, quare quę imponũtur ipſis à Felice, illo ſeptennio, pœnæ, tertij gradus pœnæ ſunt. Quo conceſſo, concedendum eſt pariter pœnas illas in eo poſitas fuiſſe, vt crebrò ſe ante Epiſcopum proſternerent, & ab eo manuum impoſitionem acciperent. Quem enim alium ſenſum habere poſſent hæc verba, *Subiaceant ſeptem annis manibus ſacerdotum*. Nolunt eos Epiſcopis ſubiectos: id enim fuit omnium graduum, neque vllum ad eam rem Concilij decretum neceſſarium erat, præſertim cùm vt aliquam eis pœnam præſcriberent, ſic dictata ſint. Quare non eſt vt commodiorem ſenſum vllum accipiant quã de impoſitionibus manuum de quibus diximus. At non poterant ſubiacere, proſternique manibus Epiſcopi, niſi ſe excipiendis eius orationibus ad terram abijcerent, quod contendimus. Denique minimum id ex ijs verbis elici poteſt. Pœnitentibus iſtis aliud facere neceſſarium fuiſſe quàm *ſtare retro ambonem, & cum Catechu-*

menis egredi, aut denique *ſe ſe ſubmittere pœnitentiæ*, quæ eſt aliorum interpretum explicatio. Poteſt & ex iſtis verbis vocis ὑποπίπτειν quâ vt diximus canon vndecimus Nicænus vtitur, vis elici. Nam cùm videamus tertium illum Felicis canonem meram eſſe verſionem latinam canonis illius vndecimi, dubitãdum profectò non eſt, quid ea vox græca velit, cùm verſa ſit à Felice & latinè reddita *ſubiacere manibus ſacerdotum*. Tam gnarus erat conſuetudinis Eccleſiæ tempori Nicæn. Concilij conuenientis, vt quamquam vel gręcè imperitus eſſet, vel exemplaria latina deeſſent, errare tamen in eo Canone vertendo, latinéque reddendo non poſſet: ex quo apparet Caſaubonũ, licet græcè doctum, vim tantùm vocis, non autem rem ipſam percepiſſe. Conſequentis autem Canonis verba, *aliquandiu ſub manus impoſitione detentis*, poſſuntne de ea intelligi abſolutione, quæ vno momento peragebatur, aut de pœnitentiæ impoſitione, quæ tantùm ſemel, idque ſimplici impoſitione, aut denique de qualibet alia manuum impoſitione? quem obſecro alium à noſtro ſenſum, qui ipſis adeò aptus eſt conueniensque, vt vnus ac verus iudicetur, pati poſſunt? Nam quia dum in tertio illo gradu tenerentur, crebrò ſe pœnitentes proſternerent, vt eam manuum impoſitionem perciperent, addidit, *detenti* ſub *manus impoſitione*, quaſi ad id obligati & quodammodo coacti, quod quidem nulli præterquam noſtræ impoſitioni manuum conuenire poteſt, nulli inquam aut à recentioribus, aut à Græcis allatæ de hoc tertio gradu definitioni. Neque enim eſt idem, *detineri ſub manus impoſitione & retro ambonem*

Digitized by Google

ſtare, & cum Catechumenis egredi.

Denique quæ in eiuſdem Felicis vltimo canone habentur, *vel ſub manu poſitum ſacerdotis* apta ſunt omninò noſtræ explicationi, & ab aliorum interpretum mente aliena, apertiſſiméque probant tertij illius gradus pœnitentes ſępè ſub Epiſcopi manu poſitos fuiſſe, hoc eſt, Epiſcopos ſæpè ipſis manus impoſuiſſe. Neq; *poſitum eſſe ſub manu ſacerdotis* iſtis verbis explicatur, *eſſe retro ambonem,* aut cum Catechumenis egredi. Sed verò ſæpiſſimè proſterni ſub manu, eoque ſtatu impoſitionem manuum, & orationes eius percipere.

Verba Can. 11. 3. Conc. Tolet. *faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere*, apertè teſtificantur repeti ſæpiùs iterarique eiuſmodi orationes, & manuum impoſitiones, idque primo pœnitentium gradu; non conueniſſe, quod in eo poſitus eſſet, vt extra Eccleſię limen flerent. Sed neq; ſecũdo quod Catechumenorum concionibus audiendis conſtaret, multò verò min⁹ quarto in quo abſoluti erát pœnitẽtes communioniſque fidelium in rebus omnibus, ſolâ Euchariſtiâ exceptâ, participes. Sed neque ampliùs etiam vllis corporis afflictationibus obnoxij erant. Quare de tertio gradu neceſſario intelligenda ſunt, noſtramque omninò deſcriptionem probant, ſi contextus ipſe verborum, ſenſuſque attendatur. Repeterem eadem ſi hæc verba 6. Tolet. fuſiùs explicarem. *Pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum ſacerdotis deducit vel adduxit,* neque enim explicari commodè vllo modo poſſunt, niſi confiteamur in ſingulis ſolemnioribus ſacris manus pœnitentibus impoſitas fuiſſe.

Digitized by Google

Sunt etiam explicatu difficillima in aliorum ſententia, in noſtra verò facillima Diui Ambroſij verba lib. 2. de pœnit. cap. 9. *publicæ ſupplicationis reuocentur pudore*, ijs enim intelligit Ambroſius aliquos eſſe qui à ſuſcipienda pœnitentia publicarum orationum metu deterrebantur, quem enim ſenſum in aliorum definitione accipient? in noſtra verò quàm aperta ſunt & manifeſta? vult enim timeri impoſitiones manuum quas publicas ſupplicationes appellat, quod palàm vnà cum orationibus recitandis fierent, vt diximus. Nonnulli igitur qui verebantur palàm ſe proſternere, & eas manuum impoſitiones percipere, ab amplectenda pœnitentia refugiebant, atque hic eſt verborum Ambroſii ſenſus.

Antequam explicemus quidnam fuerit illa manuum impoſitio, quæ huius gradus propria erat, quem haberet effectum, quidque in eo qui reciperet operaretur; denique cur etiam ſæpè repeteretur, tamque diuturno tempore. Notandum eſt manuum impoſitionem, cuius tam crebra mẽtio apud authores reperitur, nihil aliud fuiſſe, quàm porrectionem manuum & extenſionem in aliquem, & in eum aliquot orationum recitationem, quibus Deum & gratiam aliquam pœnitenti conferret, obteſtarentur. Eaque actio non ideò tantùm impoſitio manuum dicitur, quod Epiſcopus aut quilibet alijs pœnitentibus, manus imponeret, ſed quod re ipſa & palam miracula ſępiùs patrarent, eique pro quo rogarent, ea impetrarent à Deo, quæ poſcerent: ſic confirmatio impoſitio manuum dicitur, quod in eum qui confirmabatur viſibilis deſcenderet ſpiri-

tus Sanctus, aut certè effectis ipſis, aduenisſe ſe manifeſtò declararet. Pari modo exorciſmus impoſitio manuum nominatur, quod dæmones palam poſſeſſis corporibus exirent. (Saltem id Tertullianus infidelibus pollicetur.) Subitæ item morborum expulſiones, impoſitiones manuum dicebantur, quod re ipſa contuẽtibuſque alijs eos ſanarent, quos tangerent, ſic Tertullianus *curationes repromittit*. Et ſi rem diligentiùs inueſtigemus, inueniemus omnia planè prodigia quæ perpetrarent, omnes quas impetrarent gratias aut conferrent, impoſitione manuũ perpetrari, impetrari, cõferri, idque feciſſe exẽplo, authoritate, & traditione Apoſtolorum, qui non ſolùm impoſitione manuum ea peragebant omnia, quę ad Eccleſiæ ordinem pertinerent, cuiuſmodi erant ſacri ordines, confirmatio, reliquaque ſacramenta : ſed ſi quid extraordinarium fiebat, gratiæ omnes priuatæ, miracula omnia, manuum impoſitione peragebantur. Imponere igitur manus antiquitùs nihil aliud erat quàm in aliquem manus extendere, orationeſque aliquas recitare, & gratiam ei aliquam impetrare ac conferre. Et quia in illis quaſi Eccleſiæ cunabulis, multò ſe lubentiùs Deus familiariúſque populo ſuo dabat, vt quem tenerum adhuc teneriùs diligeret, multo etiam liberiores in ijs rebus erant Epiſcopi, nec defore miracula timebant, aut gratias eas quę pollicebãtur, nõ cõſecuturas. Eaq; ratio eſt cur tam crebræ reperiantur impòſitiones manuum, quod quæcumque fierent, ſiue ordinariè ſiue extraordinariè, impoſitione manuum fierent. Atque hæc eſt antiqua maiorum noſtrorum manuũ impoſitio. Veniamus nunc ad effectus.

Digitized by Google

Præcipuus is erat vt pœnitentem macula criminum ablueret, dæmonum impreſſiones auerteret, malas denique peccandi habitudines expungeret, peccatumq; penitùs exterminaret. Itaque ſi rem dicere volumus, exorciſmus quidam erat ac luſtratio pœnitẽtium, quos quaſi in poteſtate dæmonum eſſe arbitrabantur, quicquid ſit, videbant eos animo prauis Dæmonum impreſſionibus occupato eſſe, quare exorciſmis vtebantur, quibus eam infirmarent poteſtatem, quam in eos habere Dæmon peccandi conſuetudine videbatur. Porrò has impoſitiones exorciſmos quoſdã, atque luſtrationes in eum quem diximus finem inſtitutas fuiſſe, conſequentia teſtimonia confirmabunt.

Eum habere ſenſum videntur verba conſtitutionum lib. 2. cap. 61. *atque vt Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem vtpote factum mundius pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus, in antiqua paſcua reſtitue*; & paulò poſt: *Eritque ei loco lauacri impoſitio manuum, ſi quidem per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur Spiritus Sanctus credentibus,* quibus efficitur eo pœnitentibus impoſitas fuiſſe manus, vt criminibus expiarentur. Quæ quidem impoſitio eandem in illis vim habebat, quam aqua Baptiſmi in Catechumenis, hoc eſt crimina omnia abluebat. Nonne hæc D. Leonis verba ad Epiſcop. Aquileienſ. *vt pœnitentiæ ſatisfactione purgentur.* itemque alia ad Narbon. *poſſunt ieiunijs, & manus impoſitione purgari.* Satis apertè probant eam vim impoſitionis manuum fuiſſe, cùm vt contractas peccato ſordes elueret, tùm vt poteſtate quam ſibi peccato pepererat, impœnitentem. Dæmo-

Digitized by Google

nem priuaret, liberumque pœnitẽtem aſſereret. Idem probant hæc verba, quæ ex fragmentis concilij Ilerdenſis, apud Garſiam habentur. *Si per Ieiunia & Elemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes cum lacrymis purgare certauerint*, quo quidem loco, *ſacras orationes*, pro impoſitionibus manuum dici exiſtimo, quæ orationes Epiſcopi comitabantur, neque enim factæ à pœnitentibus orationes, iure meo ſenſu, ſacrę orationes nominentur.

Secundo Canone Concilij Vaſen. clarè patet, diuturnum illud tempus, quo in tertio gradu pœnitentes hęrebant, eam ob rem fuiſſe inſtitutum, vt admiſſa crimina expiarentur, ex quo etiam conſequitur vt dicamus impoſitiones illas manuum & orationes in eos recitari ſolitas, ſpeciem quandam exorciſmi fuiſſe. Iubet vt ſi fortaſſe pœnitentes morte occupentur ante communionem, (hoc eſt dum in tribus primis gradibus hęrent, nam in quarto ad communionem admittebantur,) poſt mortem ad communionem recipiantur, quod diutiùs purgari vellent, antequam ad ſacramenta accederent, *ac dum purgatiores reſtitui deſiderant*, manuum ſcilicet *impoſitione*, & coniunctis vnà cum illa orationibus.

Quod aliàs à nobis dictum eſt magnam Baptiſmũ inter & pœnitentiam ſimilitudinem intercedere, eorumque ritus & ceremonias, clariùs in hoc gradu quàm in quoquam alio apparet, quemadmodum enim luſtrabantur Catechumeni impoſitione manuum & orationibus, quę in eos pronunciarentur, ſic etiam in iſto gradu impoſitione manuum & ora-

tionibus

Digitized by Google

tionibus pœnitentes luſtrabantur. Et qui attentiùs rationes perpendet, quamobrem vtrique exorciſmis purgarentur, qui ritus & ceremonias, qui deniq; conditiones & circumſtantias purgationum, pœnitentium, exorciſmorumque Catechumenorum examinabit, inueniet profectò quàm ſimillimas, & alias ab alijs deſumptas eſſe. Non exorcizabantur Catechumeni quaſi à dęmone poſſeſſi crederentur, vti Energumeni, ſed vt ex eorum animis peccati ſemina ſtirpitùs euellerentur, cùm vt ea conſuetudo & quaſi familiaritas quæ propter originale peccatum dęmoni cum illis erat, dirimeretur, tum verò vt dominio, quod per idem originale peccatum, teſte Diuo Auguſtino, quęſiuerat, penitùs caderet; ſic ille Ep. 105. ad Sixtum. *Cùm exorcizantur & exſufflantur infantes, hoc enim proculdubio fallaciter fit, ſi Diabolus eis non dominetur, ſi autem dominatur, & ideò non fallaciter exorcizantur, & exſufflantur; per quid dominatur, niſi per peccatum Princeps vtique peccatorum.* Pari modo non iterabantur tam crebrò in pœnitentes impoſitiones manuum, quod à dęmone poſſeſſi crederentur, ſed quod peccato admiſſo, omnia, aut certè maxima pars eorum quę baptiſmo conſequuti erant, interierat, eſſentque perinde, ac ſi nunquam baptiſati fuiſſent, ſerui peccati & imperio dęmonis obnoxij, quare impoſitionibus manuum & orationibus inuitabatur Spiritus Sanctus, vti animas eorum prauis habitibus quos dęmon inſeruerat, purgaret, ſenſimque poteſtatem quam peccato corroborauerat, gratiarum ſuarum infuſione ſanctificando infirmaret, idque

Digitized by Google

eſt in quo exorciſmi cum pœnitentium impoſitione manuum & orationibus conueniunt, quam in rem accommodata ſunt omninò Patrum dicta; vidimus enim paulò antè dicentes impoſitionibus manuum pœnitentes purgari, videamus & quemadmodum dicant exorciſmis Catechumenos expiari. Aug. de fid. & oper. *Ieiunijs, abſtinentijs, exorciſmis purgantur.* Concil. Brac. 2. can. 1. & 9. *Iubent ante viginti dies Baptiſmi, ad purgationem exorciſmi Catechumeni currant,* Item, *ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem efferre.* Syricius Papa, *qui ante quadraginta dies vel eo ampliùs nomen dederint, & exorciſmis quotidianiſque orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati.* Et Can. 14. Concil. 1. Arauſ. *vel purgandi quorum iam oſtenditur vita purgatior,* ſatis indicant non in id tantùm inſtitutos exorciſmos, vt dęmones expellerentur; ſed vt maculę & ſordes, quibus à dęmone infecti erant animi, tollerentur. Sanctus verò Cyprianus, aut certè Lucius in Concilio Carthagin. apertè aſſerit Catechumenos impoſitione manuum purgatos fuiſſe, *Primò purgati, & tum demum baptizati.* Exorciſmi Catechumenorum Syricij tempore quadraginta dierum, Bracar. Concil. viginti erant, ex quo facilè ducor, vt conijciam primis temporibus diuturniores fuiſſe. Exorciſmi etiam & impoſitiones manuum pœnitentium iterabantur ſæpiùs, & tandiu durabant quandiu tertius pœnitentium gradus, vt *purgatiores reſtituerentur,* inquit Concil. Vaſen. Conſtabit Patrum locis vtroſque palam fidelibus omnibus huiuſmodi exorciſmos impoſitioneſque manuum percepiſſe.

Digitized by Google

Veriſimillimum eſt Catechumenos ad terram proſtratos exorciſmos percepiſſe certè inclinato & humiliato capite. Sic enim Auguſt. *ibique ceruice humiliata*, & Gregorius, *vt eſt Catechumenorum humilitas*, cùm de exorciſmis loquuntur, ſic paulò antè demonſtrauimus proſtratos ad terram pœnitentes eas quibus purgarentur impoſitiones excepiſſe. Et quemadmodum exorciſmi præparando ad tantam gratiam percipiendam Catechumeno ante Baptiſmum fiebant, ſic illæ manuum impoſitiones ante pœnitentiũ reconciliationem fiebant, vt pœnitentis animus redderetur *dignum habitaculum ſpiritus ſancti.* Denique vt exorciſmi impoſitione manuum, ſic etiam pœnitentium purgationes impoſitione manuum peragebantur. Probabile eſt etiã poſtquam Epiſcopus exorcizandis Catechumenis manus impoſuerat, (nam præter ordinarios exorciſmos ſtatim ante Baptiſmum Catechumenos Epiſcopus exorcizabat,) acceſſiſſe etiam ſacerdotes & diaconos, eiſdemque manus impoſuiſſe, vt quaſi rata eſſent, amplificarenturque ea dona, quæ Epiſcopi manuum impoſitione conſecuti erant, quod in omnibus aliis impoſitionibus fiebat, & iis confirmari viis poteſt, qui aſſerunt poſt Epiſcoporum impoſitionem tactas fuiſſe aures, naſumque Catechumenorum ab aliis clericis, Diuus item Auguſtinus *quam exorciſmis & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immũdus abigatur*; Cyprianus pluresque canones apertè aſſerunt Clerum vniuerſum pœnitentibus poſt Epiſcopum manus impoſuiſſe, *ante manus impoſitionem Epiſcopi &*

Digitized by Google

Cleri. Denique quid afferri poteſt in quo non conueniant? His ita conſtitutis, quis eſt qui dubitet impoſitiones illas manuum eo fine inſtitutas vt pœnitentes purgarētur, exorcizarenturque ad euellendas ex eorum animis prauas ac noxias habitudines, poteſtatemque mali ſpiritus peccatis acquiſitam, eneruādam, & euertendam, eaque forma conceptas illas orationes, quę diſcedere Dęmonem iuberent ex animo pœnitentis, vacuumque Deo & Sancti Spiritus ſacris permotionibus & afflatui locum relinquere; quę denique Spiritum Sanctum obteſtarētur vti animum pœnitentis mundaret, ſedemque ſibi in eo deligeret, pias ac ſalubres cogitationes infunderet, ſanctificaret, dignumque abſolutione & fidelium communione efficeret. Tales igitur erant impoſitiones manuum tertii gradus pœnitentium propriæ: ea erat cauſa quamobrem tam ſæpè, tamque diuturno tempore repeterentur. Talis erat primorum ſæculorum Theologia, talis quod tertii gradus pœnitentes ſpectat, regula, ceremoniæ & diſciplina.

Quod tempus attinet, definitum non erat quādiu in tertio hoc gradu, ſicuti neque in alijs, hærere pœnitentes deberent, id enim ex grauitate peccati Eccleſięque iudicio pendebat. Certa ſunt peccata pro quibus Canones Ancyr. viginti annos exigunt, pauciores Niceni & Baſilius ſtatuunt; ſatiſque oſtendunt temporis ſpatiū ex grauitate criminis metiendum eſſe. Si tamē Caſaubono credim⁹ gradus iſte tribus tantum annis definiebatur, *vbi tres annos ſtabunt pœnitentes*, quod argumento eſſe poteſt parum illum

in Canonibus antiquis verſatum eſſe. Fatendum tamē eſt tertij huius gradus ſpatium cæteris lōgius fuiſſe, imò vt plurimùm altero tantò maius. Ratio autem eſt quod alij gradus, ſaltem primus & ſecundus, ſi rectè ſumūtur, diſpoſitiones quædam erant quibus ad tertium exequēdum pœnitens pararetur. Certè quomodocumq; ſumātur, non erāt ad ſcelus expiandū conſtituti. Primus enim ad obtinendam pœnitentiæ faciendæ libertatem ſpectabat, vtque omnibus notum eſſet, eam iuſtè ab Epiſcopo cōceſſam eſſe. Nam ſi originem primámque inſtitutionem repetimus, animaduertemus à lubentibus volentibúſque admiſſam eſſe, in eoque gradu impetratam tātùm, non autem inchoatā fuiſſe. Secundus gradus nullas habebat afflictationes corporis, ſed in eo pœnitētes docebātur ea quæ ad Dei eiuſque iudiciorum timorem incutiēdum pertinebant, vt eo metu excitarentur ad ea lubenter ſubeunda, ferendaque patienter & magno animo, quæ quamuis aſpera & dura in tertio gradu imponerentur; ex quo manifeſtum eſt, diſpoſitionem, vt dixi, aliquam tantùm fuiſſe ad tertium gradum. Quod vltimum attinet, non erat is ſatisfaciēdo, cùm nullas contineret pœnas inſtitutus; ipſi enim initium dabat prima abſolutio, & cum à tertio gradu ad quartum pœnitentes tranſibant, ad fidelium communionem admittebantur; quæcumque igitur expiandis criminibus admiſſis, ſubeundæ erant pœnæ, eę omnes in tertio gradu ferebātur, is eſt in quo pro admiſſis delictis ſoluebatur, ſatisfiebat Deo, eiuſque ira placabatur, in eo cælum, vt loquitur Tertullianus,

Digitized by Google

inuidiâ commouebatur. Deo vis inferebatur, ipſiq; e afflictiones corporis, & pœnæ pro impetranda ſceleris venia offerebantur. Ea ratio erat quamobrem cæteris multò eſſet diuturnior.

Fallitur præterea Caſaubonus cùm ait fuiſſe *precum Eccleſiæ participes, vt & Catechumenos.* Nullam enim precum Eccleſiæ communionem habebant tertij gradus pœnitentes, ſicuti neque Catechumeni, idque manifeſte colligitur ex quarto gradu in quo pœnitentes ad preces Eccleſiæ, communionemque orationum, vt loquuntur canones, admittebantur. Ab ijs igitur alienus erat excluſuſque tertius gradus. Præterea Canones omnes teſtantur tertij gradus pœnitentes Eccleſiâ digredi ſolitos ante orationes fidelium; ſic 19. Can. Laod. ſic alij omnes qui ſimul cum Catechumenis egredi iubent, quos nemo admittat fidelium orationibus interfuiſſe, ſicuti neque ex conſequenti pœnitentes, quandoquidem vnà cum illis egredi iubebantur.

Et verò qui nouerit quidnam per fidelium preces intelligatur, is ad Caſauboni ſententiam nunquam accedet. Preces enim Eccleſiæ aut fidelium ſi propriè ſumãtur, nihil aliud ſunt quàm aut Miſſæ preces, quę à Sacerdote celebrabatur, (eſt enim *oratio* propriè miſſa,) aut certè quæ à fidelibus Miſſæ tempore ad Deum fundebantur. At pœnitentes & Catechumeni *Arcebantur à Myſterijs*; vnde neutris potuerũt intereſſe. Quare Caſaubonus qui Bellarminum *immaniter erraſſe* exclamat, immaniùs lapſus eſt, nam vt verbi ὑπόπτωσις vim attigerit, rem tamen ei ſubiectam non

vidit, nec qua ratione pœnitentibus conueniret, nec quas ceremonias aut ritus ſecum ferret. His accedit ter aut quater, præterea in huius tertij gradus explicatione peccauiſſe, vt conijcere facillimum ſit, eum in Canonibus antiquis parũ admodum verſatũ eſſe.

Danda lux eſt Canonibus nonnullis vt 9. Ilerd. & 4. Epiſt. Fœlicis Papæ, qui aſſerere videntur pœnitentes huius gradus, vnà cum Catechumenis orauiſſe. Exiſtimo igitur hunc eſſe ſenſum canonum illorum. Potuiſſe Pœnitentes illos Catechumenorum ſacro, non autem fidelium intereſſe, potuiſſeque præterea priuatas preces eodem tempore, & loco Catechumenis proximo peragere, ſic cùm in Concilio Ancyrano ſtatuitur, vt certæ quædam perſonæ, quæ ad mortem vſque excommunicatæ ſunt, cum energumenis orent, (aut vt nonnulli interpretantur, cum excommunicatis in perpetuum) non inde efficitur, energumenos cum excommunicatis ad mortem, confuſè permixtos fuiſſe, ſed id voluit concilium excommunicatos ad mortem, eumdem habituros locum & tempus cum energumenis, aut in perpetuum excommunicatis vt orent: pari modo cùm canones ſanciunt vti pœnitentes tertij gradus, cum Catechumenis orent, id tantùm de tempore accipiendum eſt, non autem quaſi communes ſint & eædem vtrorumque orationes, aut quod eodem ſimul loco confuſi, permixtique orarent.

Antequam huic obſeruationi finem imponamus: notandum eſt conferri ſolitam, huius gradus pœnitentibus, peccatorum abſolutionem, *& minorem re-*

Digitized by Google

conciliationem, antequam ad quartum gradum perue-nirent. Et quidem ratio, quanquam nulli eſſent loci qui confirmarent, maximè probabilis eſt.

Certum eſt enim eos dum in tertio gradu hære-rent, neque fuiſſe abſolutos, neque vllam habuiſſe cum fidelibus communionem, aut in precibus, aut in myſteriorum cognitione, at in quarto gradu ea-rum omnium rerum erant participes, quò fit vt ne-ceſſariò fatendum ſit, id eos obtinuiſſe, cùm à tertio gradu ad quartum tranſirent. Fatendum pręterea eſt, cùm id à ſe ipſis haberè non poſſent, conſecutos eſſe Eccleſiæ authoritate, manuumque impoſitione, per quam & à peccatis ſuis abſoluebantur, & cõmunio-nis fidelium iure donabantur: denique ſciendum eſt etiam mulieres eidem gradui obnoxias fuiſſe, eaſdéque pœnitentias eodẽ more & gradibus peregiſſe, niſi quod ſeparato à viris loco eſſent; ſic enim ſigni-ficanter Syricius, *quam formam & circa mulieres quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſer-uandam eſſe cenſemus.*

QVARTVS POENITENTIÆ GRADVS.

OBSERVATIO XXV.

QVartus hic gradus, σύστασις à Græcis appel-latur, quæ vox idem ſonat & valet, ac ſi dicerent, intereſſe in Eccleſia, vnà cum fi-delibus ſoliſque orationibus communi-care: quod tertij gradus pœnitentibus non concede-batur, vt qui ante ſacrum & vnà cum Catechumenis

diſce-

Digitized by Google

diſcederent: vtuntur & alijs Græci loquendi formis, in eodem gradu explicando, vti Concilium Nicænum vndecimo, duodecimo & decimo tertio Canonibus: ſic enim primo loco habet, *ſine oblatione populo communicent in orationibus.* Secundò, *tum demum orationibus communicabunt.* Tertiò, *Sint inter eos qui communionem orationis tantummodo conſequuntur.* Pari planè modo Concilium Ancyranum explicat canone 4. 5. 7. 8. 9. 16. niſi quod verbis his abſtinet, *communicare orationibus*; ſed tantummodo habet, *ſine oblatione communicent.* Vbi notandum eſt veterem interpretationem ita habere, id eſt, *vt ipſi oblationem non offerant*: Baſilius verbo tantùm συςάσεως vtitur, quanquam aliàs his etiam verbis vtatur, *ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps*; aut alijs quæ parem vim, ſenſumq; habeant. Et quamuis non tanta fuit apud Latinos huius gradus, ſicuti neque aliorum diſtinctio, ſed tempus ſimpliciter pœnitentiæ ponant nulla adhibita graduum variorum diſtinctione, tamen in nonnullis Concilijs Patres huiuſce gradus meminerunt, vt decimo canone Concilij ſecundi Arelatenſis, *duos inter diſcommunicantes, ita vt communionem inter pænitentes non præſumant*: Concilio Ilerdenſi canone nono eadem verba meo iudicio ad iſtum gradum reuocantur, *orent duobus inter Catholicos*, vt & illa Papæ Syricij, *vt ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iungantur, ſacris myſteriorum celebritatibus, quamuis non mereantur interſint, à dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur*; & illa Papæ Felicis, *oblationes omnibus modis non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſæcularibus in oratione*

Digitized by Google

ſocientur. Item, *inter eos qui in oratione ſola communicant*, quæ quidem omnes loquendi formæ, ſiue græcæ, ſiue latinæ, eodem recidunt, ſenſumque eundem planè complectuntur, vt mox videbimus.

Peracto igitur tertio gradu, purgatiſque impoſitione manuū pœnitētibus, abſolutio impertiebatur, & ad ſimplicem communionem admittebantur: hoc eſt communionis Chriſtianorum ius obtinebant, & ad quartum pœnitentiæ gradum tranſibant; qui gradus in eo ſitus erat, vt digreſſis Catechumenis & pœnitentibus in Eccleſia remanerent, orationibus ſolemnibus & ſacro intereſſent, Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium oculis vſurparent, & cùm diſtribuebatur adeſſent, orarent cum fidelibus, eorumque orationum participes eſſent, & ius communionis, myſticique Chriſti corporis haberent: denique in ea reſtituebantur omnia, quæ peccato amiſerant; his tantùm exceptis, quod quanquam ſacram Euchariſtiam viderent, ſacrificioque intereſſent, eam tamen percipere non poſſent: nihil præterea offerre altari poterant, quod Sacerdotum manibus Deo poſtea conſecraretur, quod alijs fidelibus facere liceret: Denique nomen eorum in album fidelium non referebatur, hoc eſt non offerebatur, nec in precibus, quæ Deo pro fidelibus à Sacerdotibus offerebantur, eorum erat vlla iniecta mentio. Quod ad reliqua attinet, ſiue ciuilia, ſiue Eccleſiaſtica pœnitentes quarti gradus, pares omnino alijs erant. Hic eſt igitur quarti illius gradus ſtatus, cuius exacto tempore reſtrictio illa, cenſuraque tollebatur: hoc eſt ad participandum

Digitized by Google

Sanctiſſimum Sacramentum, oblationeſque perinde ac à cæteris offerẽdas, aggregabantur, maioremque, vt appellabant, reconciliationem obtinebant.

Atque vt hæc omnia ſigillatim confirmemus, primum facile eſt oſtendere, eos vnà cum Catechumenis, & pœnitentibus alijs non fuiſſe digreſſos; ſed cum fidelibus, Miſſæ & precibus fidelium interfuiſſe. Nam cùm certum ſit eos poſt Catechumenos, & tertij gradus pœnitentes moratos fuiſſe, quibus digreſſis ſtatim Miſſa dicebatur, omnino neceſſarium erat, vt miſſæ vnà cum fidelibus intereſſent, vt vis ipſa vocis græcæ σύςασις, quæ ad eam rem explicandam vſurpatur, indicat. Denique *orare cum fidelibus, participare orationibus, cõmunicare in oratione*, ſimileſque locutiones non habent hunc proprium ſenſum, in partem venire meriti & fructus, qui à Deo precibus aliorum impetratur; (qui nunc communis eſt ſenſus, cùm dicimus aliquem orationum participem eſſe); ſed propriè & expreſſè ſignificant, ad ſacrum audiendum admitti, vnáque cum alijs fidelibus, vti corporis eiuſdem partem & membrum orare. Etenim *orare & oratio* apud antiquos ſcriptores pro liturgia, & miſſa pene ſemper accipiuntur: quare quandoquidem *orare* poterant, & orationibus fidelium participare, efficitur profectò, vt & ſacro intereſſe potuerint, & ex conſequenti Sacroſanctam Euchariſtiam, eiuſque diſtributionem, cæteraque ſacramenta, quę in Miſſa adminiſtrabantur, & cæremonias viderint.

Reſtat probare eos quanquam ſacro intereſſent,

Digitized by Google

eaque quæ mox commemorauimus, viderent, Sanctam tamen Euchariſtiam non percepiſſe, nec vlla altari munera obtuliſſe, quæ poſtea Sacerdotum orationibus cõſecrata & inaugurata Deo offerebantur; expreſſè confirmant hæc verba, *in ſola oratione communicent*. Nam ſi ſolius orationis participes fuerũt, certè nõ fuerũt Euchariſtiæ. Præterea loci omnes authoreſque qui penè infiniti sũt, qui aiũt exacto quarti gradus tempore recõciliatos altari pœnitẽtes, Sacramẽtorumque, & myſteriorũ participes factos, redditumque ius Euchariſtiæ recipiendæ & impertitum eis *Summum bonum, & quod eſt perfectum*, manifeſtè declarant, eos dum in quarto gradu hærerent, neque ſummi illius boni capaces fuiſſe, neque altari reconciliatos, cùm id dicantur peracto tempore conſecuti. Quod ad probationes ſpectat, quæ efficiunt neque licuiſſe ipſis offerre munera: neque eorum nomen aut in catalogo fidelium ſcriptũ, aut in precibus quæ pro fidelibus offerrentur, recitatum fuiſſe: quærat & inueſtiget eas Lector in peculiaribus ea de re capitibus, vbi fusè à nobis afferuntur.

Peracto tempore pœnitens maiorem reconciliationem, & vnà cum illa ius abſolutiſſimæ communionis fidelium, Sacramentorumque omnium percipiebat. De illa autem reconciliatione actum eſt duobus in locis, capite de quatuor impoſitionibus manuum, & capite de vltima reconciliatione, hic tantùm addam non fuiſſe, quintum aliquem pœnitentię gradum, vt nonnulli arbitrantur, qui eam quod idem eſt μέθεξιν pro quinto gradu ſtatuunt, neque at-

tendunt pœnitentes quarto gradu perfecto abſolutoque, non fuiſſe ampliùs pœnitentes, cùm participes eſſent Sacramentorum, eiuſdemque cum alijs fidelibus conditionis, quos nemo vnquam in quinto pœnitentiæ gradu collocauit, ergo neque pœnitentes, cùm ad idem ius peruenerint, rectè in quinto gradu conſtituentur: μέθεξις que illa, cùm nihil aliud ſit quàm Sacramentorum plena participatio, exituſque pœnitentiæ, certè quintus gradus nominari non poterit.

Quod ſi quæratur quam ob rem antiqui quartum illum gradum poſuerint, nam quandoquidem pœnitentes Deo ſatisfecerant, & ex Eccleſiæ æſtimatione criminum ſuorum pœnas pares expleuerant, abſolutique erant, & ius communionis impetrauerant, quorſum ad tempus præterea Euchariſtiâ priuabantur; cùm noſtris ſæculis & temporibus contrario planè modo Euchariſtia antequam ſatisfecerint, permittatur, primis ſæculis etiam cùm ſatisfecerant, negabatur. Nulla poteſt congruentior commodiorque afferri ratio, quàm quę ex reuerentia ac religione petitur, quâ aduerſus ſanctam Euchariſtiam ferebantur: deteſtabile quippe Deo & hominibus, non ſolùm exiſtimabant hominem vel leuiſſimâ maculâ inquinatum, aut maculæ nebulâ offuſum ad Euchariſtiam accedere, ſed etiam periculoſum abſolutos pœnitentes eam tangere & attrectare, quod non ſatis ſancti & ſanctificati cenſebantur, quibus tanta res committeretur.

Quare tempus aliquod eis communione preci-

Digitized by Google

buſque fidelium & ſacræ Euchariſtiæ aſpectu ſanctificandis deſtinabant. Certò enim credebant tantam ineſſe vim, vel in ipſo Euchariſtiæ aſpectu, vt pectus purgaret & ſanctificaret. Ea ratio eſt quam ob rem etiam poſt abſolutionem Euchariſtia differretur: ſic etiam eam ſæpè pœnitentibus in morte, quanquam abſolutis, negabant, ne ab indignis hominibus ea tangeretur: pari etiam modo Euchariſtiam & Confirmationem plerumque ijs dare nolebant, qui baptiſmo antè luſtrarentur, quàm Catechumenorum ceremonijs purgati expiatique fuiſſent, quod vererentur, ne non ſatis digni purique ad ea ſacramenta percipienda accederent.

EXOMOLOGESIS.

OBSERVATIO XXVI.

AVSIM dicere hanc vocem *Exomologeſis*, magis antiquis authoribus frequentatam quàm recentioribus noſtratibus cognitam eſſe, tametſi poſt eos, accuratiorem illius notionem dare velle non vacet periculo. Multi vt Cardinales Bellarminus & Baronius anno Domini 1556. Maldonatus in ſuis controuerſijs, Pamelius ſuis ad Tertullianum & Diuum Cyprianum commentarijs, pro certo aſſerũt, Patres, vt plurimum hac voce confeſſionem peccatorum arcanam & auricularem intellexiſſe, verùm diu multumque penſitatis omnibus, vbi ea habetur, locis, illorum opinioni non poſſum accedere.

Digitized by Google

Nam vt omittam confeſſionem auricularem, de cuius antiquitate ſimul ac neceſſitate ſpero me dicturum & probaturum maiore otio, ita mihi videtur, vt quemadmodum Patres ſemper exiſtimarunt, Pœnitentiam eſſe dolorem & aculeum, quibus peccatores ex conſcientia offenſarum in Deum lancinantur: ita ſemper ipſos hanc vocem Exomologeſis adhibuiſſe, cùm ſignificare vellēt ritus exteriores, vtpote flendi, ingemiſcendi, ſeipſum incuſandi, & id genus alia pœnitentibus vſitata: atque vt perfectiùs iſtius vocabuli vſus innoteſcat, neminem præterit illis prioribus ſæculis pœnitentes longâ admodum & laborioſâ defunctos eſſe pœnitentiâ, per quam aſſiduis flectibus ſeipſos conficerent, pro veſtibulis ædium ſacrarum ſtarent ad teſtandum publicè erroris ſui dolorem: quin & humi iacentes Epiſcoporum pedibus, martyrum genibus aduoluerentur, cæterorum quoque fidelium identidē orantes vnumquemque, vt ſibi apud Deum deprecator adeſſet, operti ſacco, horrore, ſqualloréque prorſus obſiti: peractâ verò pœnitentiâ Epiſcopus eos ex aditu in medium templi deductos, coram Preſbyteris, Diaconis, viduis & populo ſiſtebat, vbi rurſus humi procumbebant, crimina ſua deteſtabantur, vbertim flebant, omnium ſe precibus commendantes, nec vnquam eodem ſe relapſuros ſanctè deierantes. Comperio itaque vltimum hunc ritum ob id ſæpè Exomologeſim à Patribus eſſe nuncupatum, quod in ſe plurimos actus haberet, dolorem admiſſæ culpæ præferentes, non ſecus ac omnis actio & ratio vitæ pœni-

Digitized by Google

tentium inter pœnitentiam agendam perinde Exomologeſis aliquando dicitur, ſed quoniam actus illi, dum ageretur pœnitentia, aliquanto diuturniores erant, ſæpius Exomologeſis vocabulum acceptum reperitur, pro primis illis inter agendam pœnitentiam actibus.

Tertullianus id perſpicuè docet, negat enim ſatis eſſe priuatim dolere de peccatis, vt in prima pœnitentia: verumetiam aliquid vltra requiri: nempe palàm faciendum eſſe hunc dolorem exterioribus actibus, vtpote flendi, ingemiſcendi, ieiunandi, ſeipſum cruciandi, qui Exomologeſis appellatione veniunt. *Tanto operoſior probatio eſt vt non ſola conſcientia præferatur: ſed etiam aliquo actu adminiſtretur is actus qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur Exomologeſis eſt.* Igitur Exomologeſis nihil aliud eſt, quàm actus illi, quibus palam teſtaris te peccaſſe: eodem ſenſu ait. *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem*, nimirum diſciplinam eſſe quandá qua non ſolum iubetur pœnitens demittere ſe, & humi proſternere coram omni populo, verùm etiam ita viuere, vt tota eius vitæ ratio conſtet ieiunijs, lacrymis, vigilijs, planctibus, per noctes dieſque: non poteſt clariùs neque dilucidiùs explanari, quid ſit Exomologeſis neque efficaciùs probari, hos eſſe exteriores actus, qui Exomologeſis nomine appellentur: æquè dilucidè paulò infrà eadem res aſtrui poteſt his verbis, *Cùm igitur prouoluit hominem & magis releuat*, & ſequentibus: vnde colligitur actus illos exteriores, quos dolor admiſſi

miſſi criminis nobis exprimit, Exomologeſim dici.

Verarum explicationum is eſt character, vt per omne & in omnibus ſibi conſentiant, ideo quod habetur, cap. decimo. De Exomologeſi multò meli⁹ & commodiùs explicatur à nobis quàm ab ijs, qui Exomologeſim confeſſionem auricularem exponunt: plurimos ait defugere *hoc opus*, id eſt Exomologeſim de qua loquitur pudore profitendi ſuas maculas & ſordes: & infrà dum dicit erubeſcendum eſſe de culpis cõfeſſione detectis, coram ijs qui ridere & ſubſannare, aut alioqui minime æqui bonique conſulere id factum, parati ſunt: verùm coram fratribus noſtris, & conſeruis, qui noſtra delicta æquè ac nos ipſi lugent, & in participatum doloris veniunt, nequaquam verecundari oportere: hoc inquam ſatis declarat eum, non de confeſſione auriculari, nec de publica loqui: non de auriculari, quia pluribus non fiebat, non de publica, nam aiunt confeſſionem publicam (quod quàm verum ſit alibi dicemus) non niſi publicorum criminum fuiſſe: ac proinde peccatorem non magno rubore ſuffuſum in confitendo ea quæ omnes ſcirent, nec magnopere pudori conſulturum eum, vel eo tacente ex conſcientia publica nihilo minor infamia ſequeretur. Adde quod hæc verba in plurali, *quid tuos*, itẽ, *quid cõſortes*, item, *non poteſt corpus*, item, *cùm doleat vniuerſum*, item, *ergo cùm te ad fratrem*, item, *æquè illi*, plus ſatis teſtantur, pudorem illum fuiſſe, ex neceſſitate peragendi hoc opus; id eſt Exomologeſim, coram plurimis.

Sine qua etiam explicatione apud homines ſagaces

Digitized by Google

non datur emergere ex hoc loco, *malo enim ad miſeriam peruenitur*. Quomodo enim peruenitur ad confeſſionem auricularem aut publicam malo? quid accommodatum his verbis reperiunt? Incidi in aliquas explicationes, ſed authorum reuerẽtia errores & ſomnia referre prohibeor. Loquitur de Exomologeſi, ait enim, *Miſerum eſt ſic ad Exomologeſim peruenire*, poſtea infit, *malo enim ad miſeriam peruenitur*, proinde vocat Exomologeſim miſeriã ad quam malo ait perueniri, vt hoc intelligatur redeũdum eſt ad noſtrã expoſitionẽ: Exomologeſim ſcilicet tam primã quàm ſecundã eſſe actus externos pœnitentiæ vt lacrymas, fletus, ieiunia, macerationes, & publicam illam ſuorum criminum deteſtationem; itaque hoc loco agit tanquã in perſona eorum, qui Exomologeſim fugiebant, inquiens, multum mali perpetiendum eſſe, vt ad maius malum perueniatur; hoc enim pro malo ducebant tantum tempus inſumere in peragendis pœnitentiæ ritibus quæ erat prima illa Exomologeſis, proque longe maxima miſeria vltimam Exomologeſim perficere in media Eccleſia coram omni populo, hoc eſt deduci ab Epiſcopo ab vſque veſtibulo in medium templi, habitu pœnitenti, ſacco & cinerẽ coopertum, humi procumbentẽ, pacẽ, veniâque à Deo & Eccleſia petentem, ibique admoneri ab Epiſcopo: illud eſt *malo ad miſeriam peruenire* per primam, ad ſecundam accedere, ſiue per rigidos actus pœnitentiæ, ad vltimam iſtam Exomologeſim, quę ſeueritatis & pudoris plena erat, peruenire: vltima Exomologeſis quam Tertullianus hic appellat miſeriam, probè deſcripta eſt in libro de Pudicitia. *Et tu quidem pœnitentiam mæ-*

chi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliatum & cōcineratum cum dedecore & horrore compoſitū, proſternens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omniū genua detinentem. Deſcribit omnes actus vltimæ Exomologeſis vſque adeo ſæuos & laborioſos, vt nonnulli eos, vti dixit in libro de pœnitētia, miſeriam appellarent: libro de oratione mentio fit Exomologeſis vtraque ſignificatione: *Exomologeſis eſt petitio veniæ.* Item, *Exomologeſis debitorum in deprecatione*, quæ de Auriculari confeſſione accipi nequeunt. Ait enim dicēdo, *& dimitte nobis debita noſtra*, fieri Exomologeſim; verùm de actibus illis tempore pœnitentiæ, aut ea demum abſoluta vſitatis.

In exemplum & ad explicandum Exomologeſim lib. de pœnitentia, & libro de patientia dat regem Babylonis, vnde probatio iſta elici poteſt, Exomologeſim non eſſe confeſſionem auricularem, ſed pœnitentiam & deteſtationem ſuorum peccatorum, qualem egit rex, *Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptēni ſqualore Exomologeſim operatus*; in altero libro, *ſic ille Rex Babylonis offenſo Domino cum ſqualore & pędore ſeptenni ab humana exulaſſet forma*, vbi actus pœnitentiæ & ſatisfactionis Exomologeſim appellat.

Veniam ad D. Cyprianum qui ſui ſæculi non optimus modò eſt interpres, ſed etiam Tertulliani: propiùs fidem eſt, præcedentia ſæcula non vſurpaſſe alio ſenſu hanc vocem, quàm quo in eius ſcriptis reperitur, primo libro, Epiſt. vndecima, *æſtimato iuſto tēpore poſtea Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeant.*

Exomologeſim poſt pœnitentiam agebant, quod

argumẽto certiſſimo eſt non ſignificare confeſſionẽ auricularem : libro tertio Epiſtola quinta, *Exomologeſi facta & manu eis in pænitentiam impoſita.* Loquitur de crimine publico, & de pœnitentia publica : qua propter hoc loco Exomologeſis, non confeſſionem auricularem ſonat, ſed vltimum iſtum actum, & vltimam deteſtationem, quam in more habebant, dũ abſolutionem reciperent. Accedit quod locus iſte tribus alijs congruit, à quibus etiam explicationem mutuatur, hic enim de lapſo quodam loquitur, qui interuentu & deprecatione martyrum abſolutionẽ recipere debebat, ſi morbus & mortis periculũ ingrueret; de eodem ait libro ſecundo Epiſt. 7. *Eorum autem quorum vitæ ſuæ fine vrgens exitus dilationẽ non poteſt ferre, actâ pænitentiâ, & profeſſa frequentèr ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pænitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes viuendi ſecundum hominem nulla ſubſiſterit, ita demum cautè & ſolicitè ſubueniri.* Et Epiſtola decima ſeptima libri tertij, *vt qui libellos à martyribus acceperunt ſi incommodo aliquo aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cæperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui poßint*: eodem planè ſenſu, ſequenti Epiſtola, *Credo vt qui libellum à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuti apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & cæperint, Exomologeſi facta.*

Quatuor iſti loci eundem ſenſum eandemque explicationem habent, & eiuſdem ſunt argumenti, in

Digitized by Google

omnibus agit de lapſis per Martyres commendatis, concluditque paſſim ſi ægrotis mortis periculum immineat, dandam eſſe abſolutionem vbi fecerint exomologeſim: quamobrem reciprocam debent inter ſe lucem accipere, quodque vocat exomologeſim in tribus quatuor locorum, intelligendum eſt explicatione eiuſdem verbi, quam dat in quarto libri ſecundi epiſt. 7. vbi quod appellat in tribus alijs exomologeſim, per hæc verba explicatur, *profeſſa frequenter deteſtatione factorum*, & quod hic ait recipiendum poſtquam, *profeſſus deteſtationem ſuorum factorum*, & tribus alijs explicat poſt factam exomologeſim, *exomologeſi facta*: vnde liquidò conſtat, quod facere exomologeſim, nihil aliud eſt, quàm publicè cum fletibus & gemitibus deteſtari peccata ſua, ſiue per dies pœnitentiæ, ſiue illâ peractâ.

Locus epiſtolæ 17. libri tertij negotium interpretibus exhibuit ob duas maximè difficultates, primam quomodo quis confiteri poſſit Diacono: alteram quomodo Diaconus poſſit abſoluere à peccatis, cùm peculiariter hoc miniſterium, & hæc authoritas ſit penes preſbyteros. C. Baronius anno Domini 159. numero 21. Pamelius initio epiſtolæ 13. D. Cypriani. Maldonatus in controuerſijs de pœnitentia, aſſeuerant reconciliationem eſſe pœnitentis publici cum Eccleſia, nihilque aliud fuiſſe, quàm abſolutionem à pœnis ſatisfactoriis, aut ab excommunicatione. De vltima difficultate alius erit dicendi locus. Quod ad primam attinet, facilè reſolui poteſt illa, quam dedimus exomologeſis vocabuli explicatione, quod

Digitized by Google

cùm nihil aliud ſit, quàm peccatorum ſuorum deteſtatio cum fletibus & lacrymis, non verò confeſſio quædam auricularis, cúmque actus eſſet fieri ſolitus in pœnitentijs, Diaconus poterat eum excipere, & de eo teſtari, præſertim ſi pœnitens infirmitate ad mortem laboraret. Cætera perſequamur: in epiſtola 14. libri tertij, *& ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant*, loquitur de actu poſt pœnitentiam fieri ſolito, poſtque ſatisfactiouem; propterea non poteſt intelligi de confeſſione auriculari, ſed de vltima hac exomologeſi, ad quam non accedebant niſi peracto pœnitentiæ ſuæ tempore, vt ipſe dicit, *agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant*: eodem ſenſu quod ſequitur, *nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita.* Toto tempore & decurſu ſuæ pœnitentiæ perpetuam agebant exomologeſim, & perpetuam ſuorum admiſſorum deteſtationem, quæ vltima hac exomologeſi terminabatur.

Eiuſdem eſt explicationis locus ille in epiſtola ſequente, *ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim grauiſſimi atque extremi delicti factam*, vbi ſemper loquitur de exomologeſi poſt pœnitentiam & ſatisfactionem; quod argumento eſt hanc vocem non debere accipi de confeſſione auriculari, quæ præcedere debeat, ſed de illo quem diximus actu: in epiſtola 16. ait quod *exomologesis fiat inſpecta vita eius qui agit pœnitentiam*, non accipitur hic exomologeſis pro confeſſione auriculari, quaſi vellet author dicere eam faciendam eſſe pro modo peccatorum ac vitæ illius qui vult agere pœni-

tentiam, quia de re loquitur, quæ poſt pœnitentiam fieri debebat: ſed accipitur pro eiuſmodi actibus, quos deſcripſimus, quos remittere aut intendere in Pręſidentis aut Epiſcopi erat officio & poteſtate: & quia de minutis peccatis eſt mentio, idcirco ait, exomologeſim remittendam eſſe, atque inde infert, ſi in paruis erratis pœnitentes pœnis & lacrymis dolorem ſuum teſtantur, multò potiori ratione in grauioribus criminibus idem faciendum eſt, & pro ſatisfactione etiam patiendum.

Epiſtola XXIII. Exomologeſis quæ fiebat in ipſo pœnitentiæ curriculo & ſpatio optimè his verbis expreſſa eſt, *quod triennio iugiter ac dolenter, vt ſcribitis, cum ſumma pænitentiæ lamentatione planxerunt:* Libro IV. Epiſtola II. diſcrimen adſignat inter confeſſionem & Exomologeſim. *Et quia apud inferos dum confeſſio non eſt, nec Exomologeſis illic fieri poteſt*, Atque inde ſequitur, ni fallor Exomologeſim poſt confeſſionem fuiſſe, & quidquid ſit, illam diuerſum quid à confeſſione extitiſſe: idem dicit ad Demetrianum, *Quando iſtinc expreſſum fuerit nullus iam locus pænitentiæ & nullus ſatisfactionis effectus*, vbi *ſatisfactionis effectus*, Exomologeſim ſonat, quę ex effectibus ſatisfactionis præcipuus erat: Et quod ait Ananiam videlicet, Azariam, Michaëlem & Danielem, quamuis innocentes, Deo tamen Exomologeſim feciſſe ſatis oſtẽdit Exomologeſim non eſſe confeſſionem auricularem, ſed deprecationem quãdam hominis cum deteſtatione ſuorum ſcelerũ, ſe miſerrimum peccatorem eſſe confitẽtis, quodque ait eodem libro *hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſim-*

Digitized by Google

pliciter confitentur, Exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt. Prima verba intelliguntur de ea confeſſione criminum, quam peccator agebat, & ſanè conſentaneum eſt fuiſſe confeſſionem quandam peculiarem & auricularem, verùm quæ ſequuntur, non hoc ſibi volunt quod confiterentur, (dixerat enim antea) ſed quod quandam Exomologeſim, licèt de minimis delictis agerent, & quidem de rebus quas non feciſſent, ſed dumtaxat cogitaſſent, quaſque confitendo presbyteris aperuiſſent. Exomologeſim igitur conſcientiæ facere, eſt agere pœnitentiam & actus quoſdam externos dolentis contritique animi propter tantummodo cogitata: vltima hæc verba, *animi ſui pondus exponunt*, non hoc ſibi volunt quod deponerent peccata ſua in manus ſacerdotum; ſed quod per pœnitẽtiam & Exomologeſim conſcientiam liberarent ſcrupulo & onere offenſi per cogitationes Dei.

Ac quemadmodum multa erant peccatorum genera, ita multæ ſpecies erant exomologeſis & pœnitentiæ: ac reor equidem minorum peccatorum exomologeſes priuatim fieri ſolitas aliquo actu externo, vt coniectis in cælum oculis, fatendo ſe reum & noxium eſſe, pectus feriendo, & nunquam eadem offenſum repromittendo. Nam, *exponere*, apud Diuum Cyprianum vt plurimum ſignificat deponere, excutere. Euſebius libro 6. cap. vltimo rectè deſcribit exomologeſim Natalis, *ac multis lacrymis errorem ſuum deflens ante pedes Epiſcopi Zepherini proſternit, & veſtigijs omnium, non modo presbyterorum; ſed etiam laïcorum multa cum lamentatione prouolutus, in lacrymas & miſerationes omnem*

pro uo-

prouocauit Eccleſiam, vt indulgentiam ſibi à Chriſto continuis & iugibus pro ipſo precibus implorarent.

Saluianus lib. 1. ait eum qui in morte verſatur non poſſe facere diuturnam Exomologeſim, vnde perſpicuum fit, non poſſe accipi Exomologeſim pro confeſſione auriculari, ſed pro illa Exomologeſi, quam in decurſu & ſpatio pœnitentiæ agebant; *ſed quando ei Exomologeſis diuturna opitulabitur, iam in extremis ſito? ſed cilicio carnes conteret, ac fauilla, & cinere ſolidabit, vt mollitiem videlicet pænitentiæ voluptatis præſentium aſperitatum duritia compenſet.* Fabiolæ Exomologeſim rectè deſcribit Hyeronimus. Quod Diuus Iræneus ait de mulieribus Rodanenſibus, de Confeſſione auriculari nequit intelligi, *quidem & iam in manifeſto Exomologeſim faciunt*; non enim fit publicè. Pacianus quoque nonnulla habet de Exomologeſi, quæ de confeſſione auriculari explicari nequeunt.

APVD DIACONVM EXOMOLOGESIM FACERE, D. CYPRIANVS Epiſtola XVII. libro III.

OBSERVATIO XXVII.

NON me pœniteret aliquid in explicandis Patrum ſcriptis induſtriæ atque operæ poſuiſſe, ſi probabilem Diui Cypriani ſententiam poſſem huic cartulæ intexere: quid enim iucundius, aut quam laborum maiorem inuenire poſſumus leuationem, quàm reconditos & omnibus penè incognitos verborum ſen-

Digitized by Google

ſus eruere, & in medium exponere.

Igitur meminiſſe vos oportet de homine mentionem eſſe in hac epiſtola qui perfidiæ & idololatriæ damnatus eſſet, quique graui morbo affectus & fermè moriens ex Martyrum commendatione, pacem Eccleſiæ flagitaret. *Occurrendum puto fratribus noſtris, vt qui libellos à Martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui poßint, vt manu ei in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace quam dari Martyres, literis ad nos factis, deſiderauerunt.* Quod cùm ita res ſe ſe habeat, quæſtionis eſt, quid ſit, *apud diaconum Exomologeſim facere*, & ab eodem Diacono *manum in Pœnitentiam imponi.*

Pamelius cum cæteris interpretibus, Exomologeſim apud Diaconum facere, nihil aliud ſibi perſuadent eſſe, quàm aliquem à pœnis ſatisfactorijs, aut ab excommunicatione liberari à Diacono: ſed ab his doctiſſimis viris libenter quærerem, qua ratione horum ſaluti, qui capitalis delicti rei moriebantur, conſulatur à Diuo Cypriano: nam id obſcurum nec eſt, nec vllo modo diſſimulare poſſunt, hos de quibus in hac ipſa epiſtola deliberatur, in manifeſto idololatriæ crimine à morte deprehenſos & occupatos eſſe: ſi enim eiuſmodi manus impoſitione pœnæ dumtaxat ſatisfactoriæ, vt aiunt ipſi interpretes, remittuntur, quomodo eoſdem Deo pur-

Digitized by Google

gatos facient de peccato idololatriæ impuriſque ſacrificijs?

At ſentio; dicent Diaconum ab excommunicatione liberare poſſe; hac in re quoque ab ijs non diſſentio, ſed nihil tam apertum eſt, nihilque tam perſpicuum, quàm de lapſis illic ſermonem eſſe, qui non ſolùm eſſent à cæteris auulſi, ſed etiam qui idololatrię ſcelere ſeſe polluiſſent, quapropter eodem relabimur, ſemperque ſciſcitandum ſupereſt, quid cauſę eſſet, cur potiùs in Eccleſię Patrumque quàm Dei gratiam reuocarentur; id eſt cur potiùs ab excommunicatione, quàm à peccato ſoluerentur? Adde Diaconum in Epiſcopi locum aut Preſbyteri ſubſtitutum videri; ait enim, *ſi Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit apud Diaconũ quoque Exomologeſim*, eiuſdemque muneris partem Diacono aſſignari à Diuo Cypriano, quam Epiſcopi & Preſbyteri obire & attingere potuerunt. Quapropter aut Epiſcopo, & Preſbytero nihil aliud mandari hac epiſtola, quàm vt nocentiſſimos homines, & iam iam morituros à re leui, id eſt ab excommunicatione pręſentes abſoluant; quod planè eſt ridiculum & nulli, vt opinor, probandum, aut certè ſimilem & parem poteſtatem Diacono & Epiſcopo concedi: ac proinde Diaconum à peccato grauiſſimo eximere poſſe. Alia inſuper in Pamelij ſententia ſupereſt difficultas, quod non alio vtatur ſermone & more loquendi D. Cyprianus, cùm de Abſolutione, vt ita dicam, ſacramentali agit, quàm hoc ipſo, quod in hac epiſtola habetur, *manus in pœnitentiam imponere*: Quare qua ra-

tione perſuaderi poteſt eiſdem verbis hoc loco ſignificari abſolutionem ab excommunicatione, quæ alibi ſemper & vbique de ſacramentali accipienda eſſe, nemo negabit?

Si quis verò ad aliam explicationem confugiat, atque contendat de propria, & ſacramentali abſolutione agere Diuum Cyprianum, animaduertat quęſo id poteſtatis olim Diaconis nunquã cõceſſum fuiſſe: quæ enim penes eos poſſet eſſe poteſtas delicta condonandi?

In hiſce difficultatibus quid eligendum, quidve dicendum non minimi eſt negocij: attamen ſic omni ratione tentandum puto, ſi minus vt explicatio noſtra primo intuitu ſatisfaciat: at certè vt ad antiquam illam diſciplinam, vel ad id quod apud antiquos erat in vſu, propiùs accedat. Hos ego de quibus contendimus abſolutos fuiſſe à quopiam Martyre, vt affirmem hæc ipſa Diui Cypriani verba impellunt. *Veniant ad Dominum cum pace quam dari Martyres litteris ad nos factis deſiderauerunt*, & litteris ad hoc tantum à Martyre commendari, vt ab Epiſcopo & Eccleſia intelligeretur, veniam eos impetraſſe; aliàs enim oſtendimus morem in Africa Eccleſia tùm obtinuiſſe, lapſis vt ignoſcere, veniamque indulgere poſſent Martyres: non ſolùm participes eos faciendo meritorum, quæ martyrio & tormentis conſecuti eſſent, ſed etiam quod plerique omnes qui in fodinis aut triremibus detinerẽtur, ſacerdotes eſsẽt, aut preſbyteri: quare quæ aduerſus primam explicationem poterant afferri, quæque eam minus firmam & pro-

babilem efficiebant, hac ratione tolluntur, cùm hi de quibus loquatur Diuus Cyprianus, omni culpa & crimine vacarent, nullaque ob hanc cauſam Sacerdotis opus haberent, manus impoſitione & abſolutione, vt à peccatis abſoluerentur.

Sed eis manus à Diacono imponi iubetur, non vt ſocietati fidelium reddantur, aut ius communionis quod peccando amiſerant, recuperarent, ſed vt ritus & ceremoniæ, quas in carceribus non potuerant celebrare, perficerētur: non ſolùm enim antiquos ad delenda peccata manum impoſuiſſe reperies, ſed etiam vt pœnitētiæ ceremonias & ritus obſeruarent.

Nam poſtquam ab Epiſcopo quiſpiam expiatus eſſet, cæteri mox clericorum eidem manus imponebant, *ante manum ab Epiſcopo & Clero impoſitam*, ait author noſter: qua formula & ritu cæteris fidelibus adiungebatur, cenſebaturque corpori Eccleſiæ agglutinatus: idem Diuus Cyprianus, *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri ius fraternitatis pœnitentes accepiſſe.*

Veniamus nunc ad Exomologeſim quam pœnitentes apud Diaconum iubentur facere: nihil opus eſt repetere, quæ de Exomologeſi alibi diſſeruimus, ſatis enim intelligitur de vltima Diuum Cyprianum hac Epiſtola locutum eſſe, quæ cùm eſſet vltimus actus pœnitentiæ, quo ea ipſa pœnitentiâ clauderetur, quoue veniam deprecarentur pœnitentes, rectè monet Diuus Cyprianus, vt præſente Diacono ea defungantur: quibus ſi opponas homini ab omni offenſa purgato, & à Martyribus expiato, quemadmodum eum eſſe fatemur, de quo queritur hac Epi-

Digitized by Google

ſtola, nihil opus fuiſſe pœnitentiam claudere, aut Exomologeſim facere, Tertullianum interpellabo, qui ait libro de oratione, fideles & ſanctos Exomologeſim facere cùm à Deo veniam debitorum poſtulant, *Exomologeſi debitorum in deprecatione*, plerumque enim ceremoniæ, etſi rem ipſam aſſecuti ſimus, repetuntur.

MORTIS METV ABSOLVTI AD POENITENTIAM REVOCAbantur.

OBSERVATIO XXVIII.

CANONES 13. Nicæni, 36. Epaunenſis, 76. & 78. Carthag. 4. 12. Tolet. 11. tertius Aurelian. 1. Diuus Gregorius Nyſſenus duobus in locis epiſtolæ ad Epiſcopum Mitylenarum, 8. Barcinonenſis & alij quamplures decernunt, vti pœnitens afflicta perditaque valetudine, accepta abſolutione, pœnitentiaque nondum peracta, ſi conualeſcat, interruptam pœnitentiam repetat & continuet. Id autem contra quam aduerſarij noſtri obloquuntur, perpendendum eſt, qui nos criminantur, quod antiquæ Eccleſiæ ritus peruertamus, quæ nullum vnquam, vti volunt, ad communionem adhibebat, neque cuiquam peccata remittebat, niſi peccator multò ante ſupremo Iudici longiore & duriore pœnitentia ſatisfeciſſet: nos autem contra abſolutionem impartimur, & ſceleratos homines cõmunione dignamur, antequã

Digitized by Google

pœnitentię laborem vllum exceperint: in canonibus enim oſtendere licet pœnitentem, tametſi noxarum expiationem acceperit, Euchariſtiaque ſe pauerit, non liberari curâ ac ſolicitudine pœnitētiæ peragendæ: neque peccatorum liberationem tribuere Eccleſiam pœnitentibus, priuſquam ſuorum ſcelerum pœnitētiâ aliquâ pœnas exoluiſſent eſſe quidpiam, quod Eccleſiaſticę & veteri diſciplinæ aduerſaretur: quandoquidem poſt Euchariſtiam datam, & quodlibet reconciliationis genus creditum & cōmiſſum, ad eum gradum & locum pœnitentiæ redibant olim pœnitētes, in quo morbo confici & vrgeri cœpiſſent. Quod ſi hoc tempore Eccleſia paulò clementior humaniórque quàm primis ſæculis, ſæpiùs poſt peccatorum relaxationem conceſſam, ſatisfactionem proferat longiùs, tamen hoc ipſo facto, nihil à ſe ſuſcipi aut agitari quod antiquæ memoriæ Patres non decreuiſſent, & ad poſteros tranſmiſiſſent.

Quantum conijcere aut iudicare poſſum, tempore Diui Cypriani pœnitens, qui morbo lethali correptus abſolutionem impetrauerat, is, ſi expulſum erat mortis periculum, non tenebatur pœnitentiam perſequi: hoc autem paulò pòſt inuectum & decretum eſt. Nam ait, *Suffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi de manu noſtra, in exitum mortis vrgeri, quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos qui accipiunt pacem.* Quæ querimoniæ ad Diuum Cyprianum delatę non fuiſſent, neque ad illas reſponſum fuiſſet, ſi vbi conualuiſſent, ad pœnitentiam retexendam cogi potuiſſent. Poſtea autem in Concilio Nicæno proui-

ſum eſt, vt pœnitentes non ad eum gradum in quo collocati ægrotare cœpiſſent, ſed ad quartum gradum redeũdum ſibi putarent, hoc eſt, inter communicantes orationibus reponerẽtur. Ad extremum ſequentium Canonum, variæ & diuerſæ de hac re ſententiæ reperiuntur, nam quidam ſeueriùs quodammodo ſtatuunt, vt ad eundem gradum, in quo periculosè decubuiſſent, remigrarent, vt Canone 78. Carthag. 4. Epaun. 36. Diuus Gregorius Nyſſenus, eadem Epiſtola docet. Nonnulli Concilij Nicæni authoritatem ſequuntur, & eiuſmodi pœnitentes, qui mortalitatis metu communionem receperant, quamvis ſecundum aut tertium non perfeciſſent gradum, inter ſubſiſtentes collocari iubent, vt Felix Canone quarto Epiſtolæ ad fratres Africanos.

Hæc autem decreta fuiſſe arbitror, quod dubitari poſſet, vtrum percepta abſolutione, & ſancto Sacramento, inter pœnitentes relegari poſſent aut deberent. Nam ij pœnitentes qui in mortis diſcrimine communione donati fuerant, hoc ſui defendendi cauſâ proferre poterant; criminis acceptâ veniâ non cogi oportere, aut poſſe, vt pœnitentiam longiùs producerent, & eam repeterent, quod eo nomine impoſita fuiſſet, vt tantùm ea digni haberentur. Deinde quod ad fidelium cõmunionem reducti non ampliùs, niſi nouis ſceleribus flagitijſque admiſſis ſecerni ab ea poſſent: aliter ſi fieret eos videri qui ſecus agerent diuinæ prouidentiæ reſiſtere, quæ morbum immiſiſſe videbatur, vt pace citiùs fruerentur. Prætereа poterant ea dicere quæ à D. Cypriano ad An-

tonianum

Digitized by Google

tonianum ſcripta ſunt, *Cùm magis in hoc iudicium diuinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ, in data pace percipiunt, hoc quoque ad vitam percepta pace teneantur.* Has autem ob cauſas & rationes non arbitror tempore Diui Cypriani eos fuiſſe ad pœnitentiam peragendam remiſſos: tempore verò Concilij Nicæni non ad tertium gradum iterum relegatos, qui omnium atrociſſimus & duriſſimus erat; ſed tantùm ad quartum in quo communione Eccleſiæ omni ex parte fruebantur, ſi Euchariſtiæ & oblationum communionem excipias.

Veriſimile autem eſt Eccleſiam poſt Concilium Nicænum ſtatuiſſe, vt qui in ſummo vitæ diſcrimine poſiti non ſolùm ius communionis, ſed etiam ipſam Euchariſtiam recepiſſent, ad eoſdem pœnitentiæ gradus reddita ſanitate compellerentur, in quo morbo tentati fuerant; quod illa ſuborta dubitatiō eſſet, an iure ij ad pœnitentiam cogerentur qui ad Euchariſtiæ communionem redierant; atque ob id maximè quod ea omnium rerum quæ in Eccleſijs eſſet, præcipua cenſeretur, quod etiam ea accepta pœnitentiæ finem & ſcopum attigiſſe viderentur. Vt igitur omnis ea difficultas tolleretur, Eccleſia conſtituit, vt qui pœnitentes abſoluti fuiſſent, aut Euchariſtiam in extremo vitæ periculo recepiſſent, præſcriptis pœnitentiæ diebus non tranſactis, omnes pœnitentiæ dies percurrerent, & ad gradum illum in quo morbum contraxiſſent, reuerterentur. Huius decreti ratio hæc erat, vt peccatorum ſatisfactio certis quibuſdam pœnis & pœnitentiæ laboribus perferendis reſpon-

Digitized by Google

deret, propterea ab Eccleſiæ iudicio quod de pœnitente tulerat, non temerè recedendum, quod Deo fieret ſatis: & quantumuis abſoluti eſſent, non propterea obſtare, quominus ſatisfactionem cumulatè explerent. Ad hæc etiam dici poteſt Eccleſiam id ſtatuiſſe, quod animaduertiſſet pleroſque morbum ſimulaſſe vt à laboribus & moleſtijs pœnitentiæ eximerentur. Canon igitur 78. Concil. Carthag. 4. ob has cauſas decreuit, vt vel ſumptâ Euchariſtiâ ad tertium ſuæ pœnitentiæ gradum remearent.

Sed quò horum Canonum quæſtionem magis intelligas, duo diſceptemus. Primùm, an pœnitentes ſi quarto in gradu, aut tertij gradus ſpatio temporis fermè decurſo aduerſa valetudine afficerentur, eoq; tempore Euchariſtiam recepiſſent, ad reſumendam pœnitentiam interruptam rurſus adigerentur. Quod non facilè crediderim, cùm enim illa fermè eſſet exacta, beneficium ſeu gratia qua affecti fuerant, facilè reliquam pœnitentiæ peragendæ partem compenſabat. Quod ſi ſimplici tantùm reconciliatione, non autem Euchariſtiâ donati fuiſſent, tametſi in quarto gradu morbus eos intercepiſſet, affirmarim eos vi morbi depulſa ad pœnitentiam recurriſſe, quia Epiſcopus non eis Euchariſtiam recuſaſſet, in eo præſertim valetudinis ſtatu, ni eos minùs idoneos & dignos iudicaſſet, qui tanto beneficio afficerentur. Quapropter veriſimile eſt eos ad pœnitentiam recuperata ſanitate rediiſſe, vt digni fierent quibus Euchariſtia crederetur. Alterum obſeruandum, etſi ad tertium, aut quartum gradum pœnitentiæ re-

Digitized by Google

dirent, tamen opinor non abſolutione noua aut minima reconciliatione affectos, poſt ſpatia ſtatuti temporis peragrata, quod non neceſſe eſſet eam denuò iterare, cùm illam & accepiſſent, & abſoluti viderentur: ſed tantùm maiori reconciliatione, qua poteſtas eis fieret ſumendi Euchariſtiam.

EXCOMMVNICATOS ET POENITENTES ORARE INTER CATEchumenos.

OBSERVATIO XXIX.

IN tertio gradu pœnitentiæ expoſuimus quomodo intelligendi ſunt canones, qui de pœnitentibus tertij gradus hoc dicunt, *orent & maneant inter Catechumenos*. Sed quo ampliùs lectori ſatisfiat, illud in hac obſeruatione fuſiùs explicãdum eſt. Præterea & illud quoque explanandum quo ſenſu accipienda ſunt, quæ canones dicunt de excõmunicatis aut pœnitentibus perpetuæ pœnitentiæ mancipatis, quemadmodum legimus in 61. Canone Agathenſis concilij, *Et inter Catechumenos vſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus*, Concilio Ilerdenſi canone quarto, *vſque ad Miſſam Catechumeni tantùm admittantur in Eccleſia*, Felix can. 2. *orationi non modò fidelium, ſed nec Catechumenorum omnimodis intereſſe*: modus autem iſte & loquendi forma offundit quaſdam tenebras, quia primùm per antiquæ diſciplinę vim & auſteritatem nefas erat peccatorem aut

excommunicatum introire in templum ſeu Eccleſiam.

Secundò quæritur quamobrem conſtitutum ſit, vt excommunicati, ſiue perpetuæ pœnitentiæ pœnitentes cum Catechumenis orent & ſupplicent: neq; enim idcirco id permittebatur, quod excommunicati & huiuſmodi pœnitentes cum Catechumenis eadem benedictione donarentur, quia eorum cauſa diuerſa omnino erat, preceſque & orationes quæ Catechumenorum cauſâ ſuſcipiebantur, non ad ipſos excommunicatos pertinerent, aut benedictione aliqua donarentur: neque item quod excommunicati in Eccleſia morarentur, aut Catechumenorum Miſſam audirent. Nam diſertis verbis in 4. canone Ilerdenſi dicitur, *vſque ad Miſſam Catechumenorum:* vnde colligas excommunicatos exire debere, antequam Miſſa Catechumenorum fieret. Ad extremum res tota etiam difficilior fit ex verbo *orare & oratio,* quod pleſumque pro Miſſa ſumitur, eaque de cauſa videretur excommunicatos poſſe Miſſam Catechumenorum audire.

Quò verò canonum illorum ſententia diſcuſſis, diſturbatiſque obſcuritatibus percipiatur, in memoriam ſunt aliqua reuocanda; varia olim fuiſſe peccatorum hominum genera, aliquos excommunicatos, quibus non ipſa fuerat pœnitentia permiſſa, ſed quibus tamen eius efflagitandæ copia facultaſque fieret: alios ad mortem vſque pœnitentiæ perferendæ adiudicatos, alios qui à vitijs abſtinere & temperare nollent, eamque ob rem Eccleſiâ excludebantur:

Digitized by Google

alios denique qui pœnitentiam non perpetuam; ſed aliquot annorum agerent. Omnibus igitur his pœnitentibus, ſi vltimos excipias, (nam hi in primo & ſecundo gradu pœnitentiæ, vti dicemus, cum Catechumenis non poterant orare) Eccleſia concedebat quidem primis ſæculis Deum exorare: ſed prohibebat ne Eccleſiam ingrederentur, orationis faciendæ gratiâ. Poſtea verò eò ſe ſubmiſit Eccleſia, vt illis adpromitteret liberum in ædes ſacras introitum ſupplicandi Dei cauſâ, præcipuéque in illo quinto ſæculo, quod experientia comperiſſet, audiendo Dei verbo non parum ad pœnitentiam interiore quodam afflatu eos commoueri: eoque nomine, inſtituit, quamuis anathemate icti, aut communione priuati eſſent, eos poſſe in Eccleſia Deo ſupplicare; ſed quia æquum non erat, neque conſentaneum eos Miſſæ intereſſe fidelium, quod nullum eſſet fidelibus cum peccatoribus commercium, aut communio, decreuit licere illis cum Catechumenis orare, & concionibus de diuino verbo habitis intereſſe, quæ poſt Euangelij lectionem haberentur, (quod quidem Euangelium etiam poſt epiſtolas ante Miſſam Catechumenorum recitabatur, ob id præſertim, vt pœnitentes audirent) hoc declaratur canone primo Valentiæ in Hiſpania; ſed modus hic eſto, neque enim exiſtimes oportet peccatores potuiſſe Catechumenorum Miſſam audire, nam & idem canon Valentiæ editus teſtatur, *vt ſacroſancta Euangelia ante munerum oblationem, ante Miſſam Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri*

Jeſu - Chriſti, vel ſermone ſacerdotis, non ſolùm fideles; ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex aduerſo ſunt, audire licitum habeant. Et canon quartus Ilerdenſis, *vſque ad Miſſam Catechumenorum in Eccleſia admittantur*. Non igitur rei diuinæ, ſeu Miſſæ Catechumenorum licitum erat eis intereſſe; ſed cùm per canones id eis liceat cum Catechumenis *orare*, non aliud intelligas, quàm ingreſſum in Eccleſiam permitti, quo tempore Catechumeni, tertij gradus catechumenatus introirent: ſic vt non alio loco quàm eo qui ipſis Catechumenis præſcriptus eſſet, viſerentur, aut non vlteriùs progrederentur; ſed in genua procumberẽt, ibique ad modum & rationem Catechumenorum, ſi illis videretur, priuatis orationibus Deum exorarent.

Eccleſia item dum Euangelium legeretur, aut pij ſermones ab Epiſcopo haberentur, adeſſe eos poſſe, non graue duxit, vt perſpici poteſt in illo canone primo Valentiæ, in quo verbum illud *Pœnitentes*, ſumi debet non minus pro excommunicatis aut pœnitentibus vſque ad mortem, quàm pro pœnitentibus tertij & quarti gradus, quibus fas erat excipere ſermones ceu conciones tempore miſſæ Catechumenorum pronuntiatas. Sed non ita certum eſt an ad pœnitentes ſecundi gradus referri poſſit, quod non planè adhuc conſtet vtrum eiuſmodi pœnitentes in Eccleſiã ſe conferre potuerint, quod & ijs quidam priuatim ſermones ad illos accommodati haberentur. Propterea credibile eſt eos miſſarum proprijs concionibus, quæ lectionem Euangelij conſequebantur, intereſſe non potuiſſe.

Digitized by Google

Sed vt vnde delapſa reuocetur oratio, dico *orare cum catechumenis*, ſi ſpectes excommunicatos, necdum ad pœnitentiam admiſſos, aut pœnitentes perpetuæ pœnitentiæ addictos, aliud nihil ſignificari, quod licuerit cum Catechumenis in Eccleſia pedem ponere, & in eodem loco conſiſtere in quo hærerent, ibiq; prouoluere ſeſe ad genua, & aliquas preces interponere. Ad hæc audire lectiones, epiſtolas, Euangelium, ſermones quos Epiſcopus poſt eorum pronuntiationem conferret. Sed rebus illis quàmprimùm confectis, egredi coactos fuiſſe, nec miſſam Catechumenorum audire poſſe, quæ proximè conciones diuinas conſequeretur. Dico præterea id beneficium ab Eccleſia conceſſum, Iudæis, Paganis, Hæreticis & Schiſmaticis ex Canone primo Valentiæ, & 34. concilij Agathenſis. *Iudæi octo menſes inter Catechumenos Eccleſiæ limen introeant*, & in ſermonibus Patrum in Euangelia vt apud Diuum Auguſtinum ſæpiſſimè reperias, *vt norunt fideles*, quibus verbis apertè inferas alios fuiſſe quàm fideles eorum ſermonũ auditores: ſed in memoriã illud ipsũ reuocandum tantùm 4. 5. 6. ſæculo, & in ſequentibus id in ſermonibus Patrum animaduerſum. Nam in primis ſæculis huic diſciplinæ locum nullum relictum legimus, quandoquidem ſolis conceſſum eſſet fidelibus quæ poſt Euangelia haberentur concionibus intereſſe.

Digitized by Google

QVID SIT PLENA POENITENTIA. OBSERVATIO XXX.

A Nonnullis dubitari video quid ſit *plena pœnitentia*, cuius apud antiquos authores ac potiſſimum apud Diuum Cyprianum frequens eſt mentio; ſunt qui putent de peccatis eum planè pœnituiſſe, & veniam meritum eſſe qui pœnitentiæ tempus ab Epiſcopo conſtitutum expleuit: contra verò pœnitentiam plenam eum non egiſſe qui violato tempore, & nondum peracto ius communionis & pacem Eccleſię obtinere nititur, quibus eiuſdem Cypriani verba epiſtolæ vndecimæ libri primi adſtipulari videntur. *Agant pœnitentiam plenam quia quæ hoc crimen admiſit non mariti, ſed Chriſti adultera eſt, & ideo æſtimato iuſto tempore poſtea Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat*, quaſi plenam pœnitentiam eam appellet quæ toto tempore ducitur, quod ab Epiſcopo decretum eſt: his proximè accedit eorum ſententia quæ libello de lapſis leguntur, *ne Dominum grauiter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur*, nam longam & plenam iuxta habere crederes, & eam plenam exiſtimare quæ longo tempore, & ab Eccleſia iuſſo, adſumitur. Huiuſce etiam explicationis veriſimilitudinem mihi auxere aliquando verba epiſtolæ octauę libri tertij, *antequam pœnitentiam plenam egiſſet*, Ibidem, *vt ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis pax ei concederetur*, quę plenam pœnitentiam eam dicere videntur, quę legitimo

tempore

tempore, (id eſt ab Eccleſia præſcripto,) perficitur.

Alij, vt in re dubia euenire ſolet, aliam referunt explicationem, neque putant ſolo tempore plenam pœnitentiam celebrari, niſi per gradus omnes, qui olim pœnitentibus adſignabantur, ad finem pœnitentiæ & communionem peccatores deueniſſent. Olim enim certi gradus ponebantur, per quos neceſſe erat ad pacem Eccleſiæ ſenſim peruenire, vt ex canonibus Conciliorum, & præcipuè Nicæni & Ancyrani probauimus. Enimuero fidelium animus tantoperè à communione & ſocietate perditorum & peccatorum abhorrebat, vt eos non niſi certis ſpatijs priſtinum ius communionis, quantumuis animi ægritudinē, ieiunijs, lacrymis, & alijs indicijs teſtarentur, recuperare ſinerent: ex eorum igitur ſententia plenam pœnitentiam is peregit, qui totum tempus & per ſingulos gradus decurrit. Ego verò neutram harum explicationum probare poſſum, plenamque eam eſſe reor, non quæ conceſſo tempore, & per gradus pergit ad veniam, ſed quæ bona fide fit: nam qui animo verè dolenti Exomologeſeos actus amplectitur, & vt ait D. Cyprianus, lacrymis, gemitibus, fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderit, is plenam pœnitentiam cenſetur facere. Et quemadmodum, quæ leguntur in eodem authore de plena humilitate, & plena patientia ad tempus referri nequeunt; vt epiſt. 9. li. 3. *Epiſcopo præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere*, & epiſt. 2. lib. 4. *cum plena humilitate & ſatisfactione reuocante*. Item, tractatu de patientia, *vt conſummaretur in Chriſt*

Digitized by Google

plena & perfecta patientia, ita planè, plena pœnitentia non ea eſt quæ tempore definitur, ſed quæ indicijs, id eſt lacrymis, fletibus, & ieiunijs, animi dolorem patefacit.

Porrò hæc verba epiſtolæ ſecundæ libri primi omnem dubitandi locum eripiunt, *agerent diu pœnitentiam plenam, etſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*, nam quis vnquam de re quæ certo tempore includitur & perficitur, congruè diceret, eam diu agendam eſſe, quaſi diutius ea ipſa fieri poſſit, aut durare quàm preſcriptum eſſet. Idem prorſus confirmatur hiſce verbis epiſt. 2. lib. 4. *Neq; enim præiudicamus Domino iudicaturo, quo minus ſi pœnitentiam plenam & iuſtam peccatoris inuenerit.* Nam agitur de peccatore, qui venię locum inuenerat in Eccleſia, cuique pax reddita fuerat, & tempus pœnitentię explenerat: quapropter ſatis indicat Deum alia ratione quàm tempore, plenitudinē pœnitentię probaturum & examinaturum. Quę ad aliam explicationem confirmandam afferuntur, tam leuia ſunt, vt ea infirmare aut diluere neceſſe non ſit; nam quamuis plena pœnitentia ea ſit quę iuſta ſatisfactione Deum placare ſtudet, vt ait idem D. Cyprianus, & de peccatore eas omnes pœnas ſumit, quas peccatores ſolerent perferre, tamen conueniens erat eam aliquo tempore durare quamuis nullum ei certum eſſet conſtitutum.

Digitized by Google

QVATVOR MANVS IMPOSITIONES IN DECVRSV POENItentiæ.

OBSERVATIO XXXI.

IN hac Obſeruatione, nullum omnino fieri verbum volo de impoſitione manuum, quæ vſurpabatur in baptiſmo Catechumenorum, in confirmatione, in ordinibus, extrema vnctione, exorciſmis & alijs Eccleſiæ ceremonijs. Non malè poſitam aut locatam operam exiſtimauero, ſi exactè & fideliter eas omnes protulero quæ in pœnitentia fiebant: Quot genera olim in pœnitentes iam inde ab initio pœnitentiæ ad reconciliationem vſque exercerentur, quis pœnitentiæ finis & extremum. Nam cùm varia multipliciáque manuum impoſitionum genera reperiant, adeò vt perdifficile ſit & operoſum, quo de genere in canonibus agitur diſpicere, plerique tanquam peregrini & hoſpites in lectione veterum canonum vim eorum non intelligunt, cùm vel ipſe canon 78. concilij 4. Carthaginenſis pleriſque fixerit crucem, *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſuper vixerint*. Nam cùm ille de quo eſt ſermo Euchariſtiam recepiſſet, non illa manus impoſitio pro abſolutione & reconciliatione ſimplici aut maiori accipienda eſt, quod ambæ ſanctiſſimum Sacramentum anteuerterent, neque cuiquam Euchariſtia niſi reconciliato

Digitized by Google

altario præberetur. Neque verò in eo canone de manus impoſitione agitur, qua pœnitenti pœnitentia concedebatur: cùm enim canon dicat fuiſſe pœnitentes, admittendum eſt acceptam fuiſſe pœnitentiam. Ex hoc lubrico ſcopuloſoque loco facilè iudicabit lector, laborem illum quem in cognitione omnis generis manus impoſitionis poſui, non eſſe superuacaneum.

Cùm igitur non indiligenter ea vndequaque eruerim, quatuor fuiſſe earum genera reperio, pœnitenteſque ſi ad extremos pœnitentiæ dies ſeu terminum perueniſſent, omneſque gradus illius percurriſſent, quatuor manuum impoſitiones accepiſſe ob quadruplices actiones omninò diuerſas & diſtinctas: volo autem & contendo pœnitentiam integram eos peregiſſe. Nam ſi mors ante pœnitentiam oppreſſiſſet, vnam aut alteram obtinuiſſe tantùm, vt ſuo loco docebimus, non eſt dubitandum. Prima igitur manus impoſitio, quam pœnitentes ſortiebantur, erat ea qua peragendæ pœnitentiæ copia facultaſque daretur. Secunda, quam in tertio gradu pœnitentiæ conſequebantur. Cùm enim ſolemne Miſſæ ſacrificium inſtaurabatur, certo in Eccleſiæ loco aderant, iiſque in terram deiectis ante Euangelij recitationẽ eiuſque expoſitionẽ, ſi priora ſæcula reſpicias, Epiſcopi manus imponebãt, & ſuper eos certas precationum formulas pronuntiabant. Tertia verò erat ſimplex illa reconciliatio (de quo aliàs diſſeruimus,) quam à tertio gradu ad quartum diſcedentes impetrabant, qua corporis Chriſti myſtici commu-

Digitized by Google

nioni & ſocietati fidelium coniungebantur, omni adeò in re ſi oblationes & Euchariſtiam excipias. Quarta & vltima erat abſoluta reconciliatio maxima & perfecta qua (vt diximus aliàs) digni qui Euchariſtiam ſumerent, oblationem præſentarent, earumq; participes fierent, reddebantur; quod vnum tantumque beneficium ſummi boni loco Chriſtiani numerabant. Seorſim & ſeparatim has omnes manuum impoſitiones ita explicabimus, vt nemo ſanæ mentis dubitare poſſit, quin antiqua illa diſciplina eas inſtituerit, vt ſuſcipiendæ & explendę pœnitentię ratio quędam exacta magis & perfecta declararetur.

Primum igitur quod pœnitens ſibi ab Epiſcopo dari poſtulabat, erat manuum impoſitio, qua pœnitentiæ agendæ copia fieret. Canon 12. Tolet. 11. *Pœnitentia per manus impoſitionem accepta*. D. Leo ad Narbonenſem Epiſcopum reſp. 2. *pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi*, Canones ſimiliter omnes, qui de pœnitentiæ benedictione loquuntur ad idem cõprobandum pertinent, nam illa benedictionum genera non niſi manuum impoſitione peragebantur. Pœnitentiæ igitur agendæ facultas impoſitione manuum permittebatur: primaque ea erat quam ex inſtituto Eccleſiæ pœnitentes recipiebant, ſi tamen pœnitentiæ modos rationeſque præſcriptas aut leges ſequerentur. Quod ſi ante acceptam pœnitentiam nonnulli peccatores in morbum incidiſſent ipſaque mortis neceſſitate victi, obnixè contenderent ſibi non modo dari pœnitentiam, ſed etiam reconciliationem maiorem &

Digitized by Google

Euchariſtiæ ſumendæ copiam fieri, Epiſcopuſque id quod petierant non recuſaret, (vt canones ſtandum eſſe eius judicio decernunt) tunc temporis prima illa manuum impoſitione non donabantur, tametſi quod eam conſequeretur obtinerent, ſed vltimam illam & abſolutam reconciliationem altera manuum impoſitione impetrabant, quę illis pœnitentiam concedebat, & cum ea ſimplicem & majorem reconciliationem, ſiue jus ad communionem fidelium, & ad altarium & ſacramenta conjunctìm, idéque illa per ſe ſola conferebat, quod ambæ aut tres confeciſſent. Quin & accidere quandóque poterat, vt ſine illa prima manuum impoſitione in communionem fidelium aliqui admitterentur, hoc eſt, non conceſſa attributáque pœnitentiæ copia, quales ij de quibus canone vltimo concilij Epaun. & 76. Carthag. 4. qui pœnitentiam exigentes, necdum ea accepta animam efflaſſent, illi ipſi vi ſententiáque eorum canonum fidelium corpori & ſocietati poſt mortem quaſi conſociabantur, eiſque jus communionis oblationum admiſſione reddebatur, qui tamen manus impoſitionem pœnitentiæ non receperant. Nam alter canonū illorum ſic habet. *Si aliquis fuerit mortuus, excommunicatus & iam confeſſus*, Alter verò, *ſi qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum ſacerdos inuitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit.*

Quod ad ſecundam manuum impoſitionem attinet, verboſè ſatis & copioſè de ea in tertio gradu pœnitentiæ diſputauimus, quò lectorē ſi auiditate quadam plura cognoſcendi rapiatur, remittimus, hoc tā-

Digitized by Google

tum, ex illis quæ illìc probare conati ſumus depromemus: Pœnitentes ſeſe in terram proſtrauiſſe, & quandiu in tertio gradu conſiſterent, ab Epiſcopo ſecundas illas manuum impoſitiones accepiſſe, totieſque eis colla ſuppoſuiſſe, quoties ſacrum miſſę ſacrificiũ celebrabatur. De hac impoſitione manuum explicari debet 78. canon concil. Carthag. 4. quem initio huius obſeruationis retulimus. Nam cùm neque de duplici reconciliatione & abſolutione, neque de benedictione pœnitentię intelligi omnino poſſit, ob eas rationes quas protulimus, videlicet eum de quo in illo canone actum eſt, tres manuum impoſitiones accepiſſe; quandoquidem Euchariſtiam ſumpſiſſet, quæ nunquam pœnitenti niſi percepta ante pœnitentia, & duplici reconciliatione porrigebatur, planè & neceſſariò de iſta ſecunda manuum impoſitione, quæ eorum nomine fieret qui pœnitentes in tertio gradu conſidêrent explicanda res eſt, ea enim ſola repetebatur.

Tertia manuum impoſitio quam pœnitentes ſuæ pœnitentiæ tempore ſuſtinebant, illa ſimplex eſt reconciliatio, de qua toties aliàs, & quam à tertio gradu ad quartum digredientes ſubibant, & cuius propè munere ſeu gratia peccatorum expiationem, & rerum tum diuinarum, tum humanarum communionem, & cum Eccleſia conſociationem, exceptis oblationibus & ſacramento, ſortiebantur. Hæc ſimplex reconciliatio impoſitione manuum, quemadmodũ reconciliatio maior, & pœnitentia conferebatur, vt alibi declarauimus. Quamuis autem pœnitentes eam

Digitized by Google

aliquando non acciperent, cùm morte raperentur antequam pœnitentiam ſuam ex ordine & per gradus explere poſſent, eam tamen à tertio ordine non ſecreuimus, eò quod ex pœnitentiæ curſu quodam communi & vſitato tertium locum ſibi arrogaret.

Denique Pœnitentes exactâ pœnitentiâ, eiuſque quatuor quaſi decurſis gradibus ad perfectam Eccleſiæ communionem, vltima impoſitione manuum reconciliati, quam ex ſententia canonum, *abſolutiſſimam reconciliationem & maiorem* vocamus, reuocabantur, talique poſtea in loco habebantur, quo poſt baptiſmum connumerati fuiſſent; hæc eſt illa quarta manuum impoſitio, quam pœnitentes, quibus pertempus pœnitentiam ſuam tranſigere licuiſſet, vt perfectiſſimam aſſequebantur, & quæ eos in partem & ſocietatem eorum quæ Eccleſia maximi faceret, vocabat. Tanta quippe vis copiaque canonum & locorum apud patres reperitur, qui probant maiorem reconciliationem impoſitione manuum conceſſam, vt ſuperuacaneum ſit in medium eos proferre. Tertullianus locum illum ſcripturæ, *nemini citò manum impoſueris*, de hac impoſitione interpretatur. D. Cyprianus in omnibus Epiſtolis ad lapſos & in cõcilio Carthaginienſi contendit reconciliationem impoſitione manuum tranſigi, canon 76. concilij 4. Carthag. *Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia*, & tertio Arauſ. *ſine reconciliatoria manus impoſitione.*

Cæterùm etſi conſtet pœnitentes quatuor iſtas manuum impoſitiones accepiſſe, id ita accipiendum eſt

eſt; ſi nihil eos quo minus pœnitentiam explerent, quatuorque illos gradus percurrerent, remoraretur. Sed ſi toto illo pœnitentiæ interuallo nondum expleto, morbo periculoſo conflictarentur, neque ſpes recuperandæ valetudinis reliqua eſſet, totus ille ordo peruertebatur, nam Eccleſia quæ indulgentiſſima mater eſt, quantumuis longum prolixumque tempus pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis prorogaſſet, ſi quid eiuſmodi contigiſſet, contrahebat, & abſolutionem non negabat, vt ſi peccator in morbum incidiſſet mortiferum, nec adhuc pœnitentiæ locum obtinuiſſet, & tali tempore pœnitentiam & communionem maiorem expetijſſet, fieri poterat vt Epiſcopus vtrumque illi concederet, ſed vnica & ſimplici manuum impoſitione, qua & pœnitentia, & reconciliatio maior ei daretur: aut ſi Epiſcopus indignum Euchariſtia & maiori reconciliatione eum iudicaret, vnica manuum impoſitione illi & pœnitentiam & ſimplicem reconciliationem largiebatur, vt in can. 76. Concil. 4. Carthag. & in tertio Arauſicani primi.

Examinandi autem & perpendendi ſunt gradus pœnitentiæ, in quibus pœnitentes ægrotabant, vt quot manuum impoſitiones accipere poſſent diſpiciamus. Nam ſi in quarto gradu pœnitens morbo laboraret, quatuor manuum impoſitiones ſubibat, non ſecus ac ſi pœnitentiam tranſegiſſet: tribus enim iam receptis, vltima & maior, vbi quartum gradum attigiſſet, etſi in eo moreretur, non ſurripiebatur, ita ſi pœnitens in tertio gradu, infirma aliqua valetudine detinebatur, quia primam & ſecundam iam

Digitized by Google

receperat, tertiam ſine tergiuerſatione obtinebat, quæ minor erat reconciliatio, & quæ viaticum ad ſalutem ſatis opportunum vocabatur, poſtremę autem impetratio ab Epiſcopo tantùm ſperabatur. Deniq; ſi pœnitentes in primo aut ſecundo gradu pœnitentiæ morbo premerentur, certumque in diſcrimen vocarētur, ſecundam nunquam aſſequebantur, quę non niſi in tertio gradu pœnitentiæ concedebatur, ſed ſine cunctatione aut dilatione primam & tertiam recipiebant, quartam autem raro niſi priuilegio quodam & beneficio ſingulari Epiſcopi, penes quem erat iudicare, an qui ſacro pane reficerentur digni eſſent.

Quod autem Eccleſia in Hiſpanijs faciendum præſcripſit 12. can. 4. Concil. Tolet. & in Africa 12. can. Concilij Mileuit. non alias manuum impoſitiones proferendas, quàm quæ à Concilijs inſtitutæ & compoſitæ eſſent; non ita accipiendum eſt quaſi multa manuum impoſitionum genera in Eccleſiam inuehere liceret, & cuilibet ad arbitrium & libidinem noua immutare aut effingere.

Sed in illis canonibus eſt mentio de orationibus & verbis, quibus in impoſitione manuum vterentur, & cùm manus ſuper pœnitentes imponerent. Quæ orationes cùm ab omnibus varia ſententia, & vario ſenſu, diuerſiſque verbis conciperentur, ſapienter prouiſum eſt ab his concilijs, vt omnibus in Diœceſibus, non alijs precationum formulis in manuum impoſitione clerici vterentur, quàm quibus Concilia cenſuiſſent.

Digitized by Google

PRIMA ET MINIMA RECONCILIATIO. OBSERVATIO XXXII.

REconciliatio in veteri Eccleſia, aliud nihil eſſe videtur, quàm quæ hoc tempore appellatur abſolutio peccatorũ: inter quas ſi aliquod diſcrimen eſſe potuit, inde petendum eſt quod faciliùs hodie hæc conceditur, quã illa antiquitùs ſperabatur. Nam propter omnia genera peccatorum, quæ mortifera nominabantur, priuari neceſſe erat communione fidelium, & à corpore, atque adeo Eccleſiæ communitate ſeparari, ad quam non niſi maximo labore & moleſtia animi redire fas erat. Huius autem reconciliationis duo fuiſſe genera putandum eſt, nam quamuis tantùm in pœnitentia momenti præſidijque fuiſſet, vt eius vi peccatorum remiſſio concederetur: non ideo tamen ius integræ communionis ſimul & ſemel reddebatur ei, qui reconciliatus fuiſſet; ſed pars tantũ eius iuris: propterea iudico duas fuiſſe reconciliationis ſpecies, primã & vltimam, quas ego diſtingui hic appellationibus volo, quò faciliùs & enucleatiùs res tota examinetur. Nec arbitror quemquam harum vocum nouitate, aut vſurpatione commoueri poſſe, vbi rei totius veritas in lucem eruperit.

Vt autem duplicis reconciliationis ratio comprobetur, initium faciam à conſequentia quadam, quæ ex duplici genere communionis duci poteſt. Atque huius communionis quanquam Eccleſia multiplices

Eee ij

Digitized by Google

olim ſpecies & gradus agnouerit & admiſerit, in hac tamen obſeruatione, nonniſi duarum præſertim quæ frequentes ſunt & vulgares meminerimus: communionis quidem Sacramentis & altario, quæ vltima perfectiſſima & legitima communio cenſebatur; & communionis ſimplicis, quæ in eo verſabatur, vt qui eam aſſecutus eſſet, ſi modò oblationes & ſanctum Sacramentum adimas, cùm in rebus diuinis tum humanis in ſocietatem corporis fidelium veniebat. Duplex autem iſtud communionis genus, tractatu de Communione ſine Oblatione clariſſimè explicatum eſt: eam ob rem nihil aliud nobis hic dicendum eſt, quàm quod omnes canones, qui quatuor pœnitentiæ gradus explanant, manifeſtè demonſtrant eos qui in quarto gradu recenſebantur, corpori quidem Eccleſiæ adhæſiſſe, & omnibus in rebus quibus reliqui fideles vtebantur, communione quadã coniungi: Sanctiſſimi Sacramenti & oblationũ ius tamen nõ habuiſſe. Vnde colligi poteſt duo fuiſſe genera cõmunionis, vnã minimã, alterã maiorẽ; minimã autẽ eſſe, quę omnium rerũ ſocietatem & cõmunionem concederet; ſi Euchariſtiæ & oblationum vſum poteſtatemque remoueas: contrà maiorem quæ omnium rerum atque adeo ipſius Euchariſtiæ vſuram admitteret. Ex hac autem duplici communione, niſi me fallit animus, neceſſariò probare poſſis, duas fuiſſe reconciliationes, vnã quâ pœnitentes abſoluerentur, & ius primæ communionis recuperarent ablatum: quæ minima reconciliatio vocabatur. Altera qua iidem pœnitentes reconciliabantur altario, & adipiſcebantur

Digitized by Google

ius communionis integrum,&ad omniaSacramenta; conſtituta namque duplici communione, quam-obrem pœnitens primæ illius compos &particeps effici poterat? quo ritu,quaue cæremonia? aut quomodo? planè affirmandum eſt id fuiſſe factum aliqua reconciliatione, quæ proportione quadam illi communioni reſponderet,quæ à nobis vocatur prima reconciliatio & minima. Nam exiſtimare & contendere hanc primam communionem promeritum eſſe aut obtinuiſſe, non Eccleſiæ interpoſita authoritate aut potentia, qua id tribueret, nefas omnino id ſentire, quod prima illa communione percepta,duo quoque conſequi ducebatur, peccatorum abſolutionem & ius communionis quæ duo adipiſci nemo poteſt,niſi Eccleſiæ acceſſerit auctoritas, & facultate vtatur,quã illa poſſidet ligandi & ſoluẽdi: ſed neque illud aſſeri poteſt, duo illa conſecutum eſſe, per maiorem abſolutionem & reconciliationem, quia ijdem canones omnes præciſè confirmant reconciliatione maiore dari ius ad Euchariſtiam & ad oblationes, quo ij quibus tantùm prima communione frui liceret, carebant.

Idem autem colligi poteſt cùm è tertio gradu ad quartum tranſirent pœnitentes. Nam conſtat tertio in gradu pœnitentiæ, pœnitentes neque delictorum condonationem ceu abſolutionem, neque ius communionis ſortitos,eoſque penitus à corpore fidelium ſeparatos. Is enim tertius erat gradus, qui omnia genera auſteritatum amplecteretur,eaque de cauſa pœnitentia vocatur, per quandam καθ' ἐξοχὴν,tametſi alij

Digitized by Google

tres gradus pœnitentiæ, ita dicantur : idque ſi aliqua eſſet dubitatio probari poſſet, quod primis ſæculis extra Eccleſiam decederent, neque in communionem precum aut Euangelij vocarentur. Rurſus & illud firmiſſimum eſt in quarto gradu omni genere communionis licuiſſe perfrui, & reliquorum fidelium ſocietate, ceu mauis rerum omnium communione cũ ijs vti, ſi oblationes & ſanctiſſimum Sacramentum excipias. Euangelij namque explicationi, precibus & ſacrificio intererant, nec niſi cum fidelibus ex Eccleſia egrediebantur; quod ad res ciuiles attinet, vnà cùm fidelibus communionis illius conſortes erant. Quo conſtituto quæritur quomodo illi pœnitentes cùm ad quartum gradum proueherentur, ius communionis acquirerent; dici non poteſt eos, eo iure petitos, ex eo quod tertij gradus pœnitentiæ tempus cùm percurriſſent, ad quartum gradum facerent. Nam vt antè diximus cùm in quarto gradu admitterentur ad Eccleſiæ communionem, omnino neceſſe erat, vt à tertio ad quartum properantes, peccatorum abſolutionem acciperẽt, cùm qui ſe peccato aliquo obſtrinxiſſent, ne minima quidem ex parte cum corpore fideliũ connectebantur. Nemo autem aſſeuerat, ſuarũ culparum adeptos abſolutionem ob id tantùm, quod vnius pœnitentiæ gradus tempus aſſignatum confeciſſent: Eccleſia ſanè quo id fiat interponere debuit actione quadam ſua authoritatem quãdam. Propterea omnino mihi perſuaſũ eſt à tertio gradu ad quartum decedentes vnam abſolutionem & vnam reconciliationẽ impetraſſe, quam nos minimam vocamus,

quod amplior & multò maior quædam ſupereſſet, quæ dabat ius integrum communionis. Quod ſi cui hæc ratio à me allata non probetur, volo mihi oſtendat, quomodo tandem ius communionis obtineretur ab vno ad alium gradum tranſiliendo, & quorſum in quarto communicantes erant, in tertio autem non dicerentur.

Idem quò probetur ex duplici genere viatici depromi poteſt, alibi quidem oſtendi viaticum neceſſarium planè ad ſalutem non poſſe dici Euchariſtiam, quod Patres expreſſè & perſpicuè imperant, vt à quolibet preſbytero ſine delectu aut inquiſitione pœnitenti viaticum neceſſarium concedatur. Euchariſtiæ verò viaticum communi ac conſpirante conſenſu aſſerant, non niſi de permiſſu atque conceſſu Epiſcopi tribuẽdum eſſe, ab eodemque diiudicari oportere, vtrum pœnitens qui in extremo vitæ periculo id petat, digniſſimus ſit cui concedatur. Percunctor igitur quale tandem eſſet viaticum, quod neque Euchariſtia eſſet, & quod pœnitenti ad interitum ruenti ad ſalutem neceſſarium tribueretur: non id dici poteſt fuiſſe maiorem illam reconciliationem. Nam altera quæ proximè ſequitur obſeruatione demonſtrabitur, qui hanc maximam & vltimam reconciliationem recepiſſet, ei quoque ad Euchariſtiam viam patefactam, neque obſtrui eam potuiſſe: quamobrem neceſſariò confitendum eſt viaticum illud, quod neque Euchariſtia eſſet, & quod Patres obfirmatè & præciſè ſine vlla tergiuerſatione decernunt eſſe omnibus pœnitentibus, vel

Digitized by Google

qui pœnitentię finem nōdum attigerint, in extremo vitæ periculo impertiendum: aliud nihil eſſe quàm primam illam reconciliationem, qua pœnitentes vno eodemque tempore, duo recipiebant, noxarum condonationem, & ſimplex ius communionis & minimum.

Quomodo ergo conciliari canones poterunt, qui prohibent ne Preſbyteri inconſulto Epiſcopo, pœnitentes in articulo mortis reconcilient, quantumuis in apertum vitæ periculum adducantur, quique certam quandam reconciliationem Epiſcopo reſeruant, eandemque reliquis omnibus adimunt, vt probant canon quartus ſecundi Carthaginenſis, 7. canonum græcorum conciliorum Carthaginenſium, 13. canon Nicæni, & 82. 2. Bracarenſis, ex quibus illud ipſum quod dicimus elici poteſt. Quomodo inquam hi omnes conciliari poſſunt cùm alijs canonibus, qui Preſbytero concedunt, vt in morte pœnitentem reconcilient, quamuis pœnitentiæ tempus non omnino decurrerit, vt 22. Concil. Carthaginenſis, cæterique omnes, qui præcipiunt dari viaticum ad ſalutem neceſſarium, ſine facultate & venia Epiſcopi, cùm eiuſmodi graues occaſiones ſeſe obiecerint. Contendo ergo canones illos conciliari non poſſe, quin olim duo genera reconciliationum inſtituta fuiſſe concedamus, canoneſque illos qui Epiſcopo vnam reconciliationem reſeruant, de ſecunda & maiori reconciliatione interpretandos eſſe & intelligendos, quæ ad Epiſcopum ſolùm pertineret: cæteros autem de prima & minori reconciliatio-

ne

Digitized by Google

ne, quę cùm ad ſalutem neceſſaria diceretur, licebat omnibus Presbyteris tali præſertim tēpore eam conferre; ne ſi hæc vt maior Epiſcopo ſoli reſeruaretur, interea aliquis ſine abſolutione peccatorum, & communione fidelium decederet.

Quæritur quis primam illam reconciliationem impertiret, & quomodo illa daretur. Quod ad primũ attinet; certum eſt ſolum fuiſſe Epiſcopum, qui iure ſuo poſſet, vel propter ordinis ſacri authoritatem ligare & ſoluere peccata, ſaltem id perſpicitur in antiquæ Eccleſiæ inſtitutis & diſciplina; & presbyteri æquè priuabãtur poteſtate dandi minorem reconciliationem atque maiorem: propterea quod ius iſtud ad ſolos Epiſcopos tranſlatum erat, vt ius excommunicandi ſolis Epiſcopis erat relictum; ſed quoniam Chriſtiana religio in dies latiùs ſuos proferebat terminos, variaſque terrarum regiones peruagabatur, ea fuit cauſa præcipua cur neceſſitas coegerit, vt id poteſtatis & authoritatis etiam ad preſbyteros deriuaretur: quod Epiſcopis vbiuis gentium & locorum eſſe cùm non liceret, non erat committendum, vt pœnitentes ſine communione Eccleſiæ viuere deſinerent: Ea fuit ratio cur, cùm ſumma neceſſitas tantùm poſtularet & exigeret, preſbyteri id authoritatis ſibi arrogare per Epiſcoporum voluntatem poſſent; quod tunc temporis non ita paſſim excitatæ eſſent, aut viſerẽtur parochiæ quemadmodum hoc tempore longè latèque propagatæ cernuntur: tum curionibus aut paſtoribus parochiarum poſtea data facultas illa eſt plena & integra, quò ſuo munere officióque funge-

rentur, & id etiam quãuis neceſſitas extrema abeſſet, obirent. Qui autem veteris illius diſciplinæ vim rationemque cognitam & perſpectam habebit, non ægrè admittet primis illis ſæculis ad ſolos Epiſcopos illam poteſtatem fuiſſe tranſmiſſam: Nam tum niſi neceſſitas vim afferret ex pœnitentibus, nemo vel minorem reconciliationem obtinebat, præterquam cùm à tertio gradu ad quartũ tranſiret, idque fiebat publico conuentu in Eccleſia, in Miſſæ ſacrificio, cùm omnes fideles intereſſent. Publicæ autem procurationes aut adminiſtrationes officiorũ omnium, quæcunque tandem eſſe poſſent ab Epiſcopo ſuſcipi & obiri ſolebant, vt Euangelij explicatio, & alia minoris momenti munera, ordine, qui in Eccleſia inſtitutus erat, id poſtulante, vt preſbyteri naſcentis Eccleſiæ primordio nullis publicis muneribus exercendis deſtinarẽtur, cùm aliquis adeſſet Epiſcopus, poſtea permittente Epiſcopo, aliqua in ſe munera ſuſceperunt: propterea ſimplex iſta reconciliatio cùm publicè & palàm daretur, & cùm à tertio ad quartum gradum abire liceret, eam tantùm Epiſcopus largiebatur. Nam aſſeuerare pœnitenti dari potuiſſe multò antequam ad quartum gradum perueniret, vel etiam antequam tertium attigiſſet, multò minus id probari poſſe contendo. Non me præterit laxamenti aliquid aut gratiæ ceu beneficij pœnitentibus concedi potuiſſe; atque adeo pœnitentiæ tempus in eorum gratiam contrahi; & fortaſſis, tametſi quatuor gradus de conſenſu Eccleſiæ tenerentur omnino perſequi & percurrere, duos aut tres tamen eos aliquando non

obiiſſe, aut verò etiam pœnitentiæ tempus definitum non abſoluiſſe. Dico etiam ab Epiſcopo, ſolum id beneficium expectari potuiſſe, non à preſbyteris, vt fidem planè faciunt omnes canones. Iſtã igitur recõciliationẽ, aut Epiſcopus conferebat, aut de cõſilio Epiſcopi presbyter: neq; preſbyteri eã niſi in extrema neceſſitate cõmunicare poterãt, qua ingruẽte ſinguli preſbyteri non expectata Epiſcopi voluntate, aut imperio largiebantur, ne ſi ſecus fieret, dũ Epiſcopi iudicium conſenſuſque expectaretur, interea pœnitens non percepta fidei cõmunione moreretur, quo periculo ſublato, aut non poſito, nonniſi Epiſcopi iudicio ſententiaque ſtandum erat, vt probant canones 32. Eliberini, & 52. eiuſdem Concilij, 19. Arelatenſis primi, octauus ſecundi, ſextus Antiocheni, 3. & 4. ſecundi Carthaginenſis, 44. Agathenſis, 8. Vormenſis, 7. Epaunenſis. Non in hac obſeruatione de illo genere reconciliationis diſputo, quæ ob leuiores noxas tribueretur, quàm vti iudico ſinguli preſbyteri, ſine Epiſcopi conſenſu aut approbatione conferebant, qua de re canone 14. Eliberini agitur, & apud Tertullianum libro de pudicitia, cùm culpæ quædam venia dignæ erant, quæ non excommunicatione maiore plecterentur; ſed breui temporis interuallo, certis in rebus à communione fidelium ſecerni ſe patiebantur, quam recuperabant ſine vlla pœnitentiæ pœna, preſbyteri benedictione donati.

Prima iſta reconciliatio manuum impoſitione obtinebatur, vt & maior: quemadmodum non pauci canones confirmant, qui ita loquuntur: *recon-*

Digitized by Google

cilietur per manus impoſitionem, quorum plurimi canones magna ex parte cùm de reconciliatione maiore tractent, tamen ij qui tantùm hæc verba continent, *reconcilietur*, omiſſa iſta voce, *altario*, aut *ſacramentis*, aut, *ſacræ communioni*, intelligi de minima reconciliatione debent. Patres locum illum interpretantur, *nemini citò manum impoſueris, ne participes alienis delictis*, de abſolutione peccatorum, vt Tertullianus, & Sanctus Cyprianus, vnde non abnuunt hanc primam reconciliationem fieri ſolere manuum impoſitione, quandoquidem peccata remitteret. In omnibus locis vbi Diuus Cyprianus de abſolutione peccatorum diſſerit, eandem ſemper dicendi rationem formamque vſurpat, *ante manus impoſitionem*, quorum quidem maxima pars cùm ad reconciliationem maiorem referri debeat, tamen nonnulli ad minorem reuocantur, vt ille locus Epiſtolæ quintæ libri tertii, *& manu ei in pœnitẽtiam impoſita, cùm pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur*. Nam cùm ægrè temporibus illis, lapſis abſolutio concederetur vel in ipſo extremo vitæ diſcrimine; exiſtimandum eſt minimam illam fuiſſe, quæ illis permitteretur. Propterea locus ille de prima, non autem de maiore exponendus eſt. Ad extremum cùm meridiana luce clarius ſit, impoſitione manus pœnitentiam tribui; veroſimilius eſt, etiamſi nulla alia argumenta ſuppeterent, hanc primam reconciliationem eodem pacto fuiſſe condonatam.

Digitized by Google

VLTIMA ET MAIOR RECONCILIATIO.

OBSERVATIO XXXIII.

VLTima & maior reconciliatio ea eſt quam canon 7. concilij Ancyrani perfectioñe cõmunionis vocat, *perfectionem recipiant communionis*. 9. *perfectione perfruantur*. 16. *plenam communionem*. 20. *perfectioni reddantur*. 78. Eliberini, *dominicæ ſociari communioni*, nam quamuis de perfecta Communione quę Euchariſtia dicitur loquantur; demonſtrant etiam reconciliationem illam qua ius communionis obtinebatur ad illam perfectam communionem obtinendam, fuiſſe quoque perfectam & maximam reconciliationem, vt vocat canon 2. concilij Vaſenſis *reconciliationem abſolutiſſimam*, canon 2. 4. Carthaginenſis, 29. Epaunenſis 23. Turonenſis ſecundi, 23. Bracarenſis ſecundi, 60. Agathenſis. 2. Toletani primi, vocant reconciliationem iſtam maiorem *reconciliationem altario, ſancto & diuino, & ſacramentis*. Ratio iſtarum appellationum hæc eſt, quod huius reconciliationis vis & poteſtas hæc erat, vt qui eam aſſequeretur pœnitens, in communionem oblationum & ſancti Sacramenti veniret. Quò autem exacta huius reconciliationis cognitio habeatur, paulò altiùs repetenda quæ ſuperiori capite attulimus, reconciliationis tot fuiſſe quot communionis genera: præcipuam autem

Digitized by Google

& perfectiorem eam eſſe, quæ ſuo complexu cæteras omnes contineret, Euchariſtiæ communionem ſcilicet; quare reconciliationem quæ hanc communionem pœnitenti tribueret, fuiſſe perfectiſſimam: argumenta autem quæ ſuperiori capite ad confirmandam ſimplicem reconciliationem protulimus, ad maiorem item probandam plurimùm valent, quibus adiungimus canonem 3. Concilij Arauſiaci primi, *qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt: quod ſi ſuperuixerint ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant*. In quo videre eſt pœnitentem imminente fato communionem vnam poſſe accipere, quæ ſine manuum impoſitione reconciliatoria ad ſalutem ſufficeret: hoc eſt, non accepta majore hac reconciliatione. Eodem item canone intelligere licet, iſtam dari maiorem reconciliationem, eo nomine tantùm, vt pœnitens Euchariſtia dignus redderetur: ideoque cum pœnitenti, qui extremum ſpiritum efflaturus erat, Euchariſtia negabatur, eidem quoque vltima reconciliatio non dari ſolebat: Nam poſtquam canon aſſeruit, ſine manus impoſitione reconciliatoria dari poſſe communionem, quæ ſatis valeat ad ſalutem; addidit, ſi pœnitens conualuerit, pœnitentiam omiſſam repetat: poſteaque legitimam communionem recipiat, hoc eſt, Euchariſtiam cum manuum impoſitione reconciliatoria: Canon Eucha-

Digitized by Google

riſtiam cum iſta reconciliatione coniungit, quod id eiuſmodi eſſet, quod Eccleſia pœnitentibus largiretur, vt ad Euchariſtiam, cum quadam dignitate accederent: 76. canon concilij quarti Carthaginenſis eodem planè ſenſu intelligendus eſt, quod vtrumque copulet, quaſi cauſam cum effectu ſuo, *Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia:* Eodem modo canone 2. primi Vaſenſis, *abſque Sacramentorum viatico intercipiantur, quibus nec abſolutiſsimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet:* Quibus canonibus, niſi fallor, perſpicimus manifeſtò reconciliationem maiorem id habere virium, vt pœnitentes idoneos paratóſque redderet, ad ſacrum Euchariſtiæ pabulum recipiendum, iſtâque manus impoſitione ab Eccleſia ius communionis reſtitui, & in partem vocari veri corporis Chriſti Domini, quemadmodum minima reconciliatione ius communicandi, & participandi corporis fidelium tribueretur.

In illa conqueſtione, ceu querimonia Sancti Cypriani contra eos, qui lapſos ad communionem Eccleſiæ ob martyrum commendationem euocabant, sẽper illud addit, neminẽ poſſe ad Euchariſtiæ cõmunionem ſine iſta recõciliatione & manus impoſitione vocari, epiſtola 14. libri 3. *per manus impoſitionem Epiſcopi, & cleri ius communionis accipiant:* & infrà, *nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita Euchariſtia ijs datur, cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini,* Epiſtola 15. eiuſdem libri, epiſtola 16. 18. idem expreſſè confirmat, quibus verbis agnoſcere licet, ius communi-

candi cum corpore Chriſti Domini, non poſſe ab eo obtineri, qui eius iacturam feciſſet, niſi iſta poſtrema manus impoſitione. Nam ait *ius communicationis*: quid quod & affirmat eum qui corpus Chriſti Domini recipit, neglecta manuum impoſitione, & iſta reconciliatione videri dicique reum corporis & ſanguinis Domini. Vnde libet cuique coniecturam facere iſtã reconciliationem fuiſſe neceſſariam, ad corpus Chriſti ſumendum; & ad perfectam communionem cum quadam dignitate obtinendam, cùm dicat eos, qui hac reconciliatione prętermiſſà Euchariſtiam recepiſſent, indignos & reos fuiſſe iudicatos.

Canone autem 13. Concilij Nicęni, 4. concilij ſecundi Carthaginenſis, 82. ſecundi Bracarenſis, 7. in illa farragine & collectione conciliorum Carthaginenſium patet, qui peccatorum abſolutionem recepiſſet, non licuiſſe ei ad Euchariſtiam ſeſe comparare; quo poſito, quęritur quamobrem ei illam ſumere fas non eſſet, cuius rei alia proferri ratio non poteſt, quã quod Epiſcopus vltimam illam reconciliationem nõ ei conceſſiſſet, quæ ius ad Euchariſtiam daret.

Prętereà notum & illud, qui in quarto gradu pœnitentiæ reſiderent, eos vnam manus impoſitionem & vnam reconciliationem recipere ſolitos poſt decurſum expletumque quartum gradum. Nam canones omnes, poſt illum quartum gradum Sacramentis reconciliandos eſſe cõfirmant. Percunctetur ergo quiſpiam quę tandem eſſet illa manus impoſitio, & illa reconciliatio. Nam in illo quarto gradu ſimplici cõmunione corporis fidelium peccatorumque ſuorum

expiatione

expiatione fruebantur. Quare iſta manus impoſitio & reconciliatio non ad abſolutionem aut communionem fidelium pertinebat; ſed ad ius ad Euchariſtiam obtinendum, quo beneficio in illo quarto gradu vti non poterant.

Ad extremum liquet (in ijs quæ ad veteris diſciplinæ rationem commendationemque ſpectãt neceſſe fuerit rem vnam pluribus explicare & enodare rationibus, eiuſque rei perficiendæ cauſa argumenta iam allata, alio verborũ ſono enumerãdo percenſere) poſt quartum illum gradum fuiſſe illis redditam plenam, & perfectam communionem, vt loquuntur 7. 9. 16. & 20. canones Ancyrani ad perfectionem relegatos, illiſque cõmunicationem *boni* datam, vt omnes canones S. Baſilij ad Amphilochiũ loquuntur; fuiſſe reconciliatos altario & ſacramentis, vt teſtantur canones 78. Eliberini, quartus ſecundi Carthaginenſis, 82. Bracarenſis ſecundi, 60. Agathenſis, 29. Epaunenſis, 23. Turonenſis ſecundi, 11. Toletani ſecundi. 23. Bracarenſis ſecundi, qui omnes canones nihil aliud canunt, quàm quod poſt quartum gradum, ad ſanctam cœnam admittebãtur, & ad ipſam Euchariſtiã. Vnde hæc quæſtio enaſcitur, quo tandem modo, ſumendæ Euchariſtiæ ius poteſtaſque daretur, & qua ratione digni efficerentur? Nam cùm in quarto gradu quantumuis peccatorum ſe vinculis exoluiſſent, eo tamen iure non fruebantur, quare neceſſe eſt, in eam ſententiam diſcedant omnes, eos ius perfectæ communicationis, & Euchariſtiam adeptos eſſe maiori illa manus impoſitione, & abſoluta recõcilia-

Digitized by Google

tione, qua Eccleſia, quæ ligandi & ſoluendi poteſtatem à Domino receperat, ius ad ſacra reſtituebat, quod peccato ipſi perdiderant.

Perpendatur & illud, quod capite præcedenti quodammodo deprehenditur, nimirum inter ſe diſcrepare & magnopere differre canones illos, qui prohibent ne Preſbyteri pœnitentes imminente morte reconcilient, & canones alios, qui eandem vim poteſtatemque ijſdem Preſbyteris concedunt, niſi duplici illa reconciliatione poſita explicataque concilientur.

Nemo præter Epiſcopum reconciliationem illam tribuere poterat, imò vel ſi neceſſitas ipſa vrgeret, inuito illo ac repugnante, nemini in illud ius inuolare liceret: id autem probari poteſt canone quarto ſecundi Carthaginenſis, & 7. Concilij Græci Carthaginenſis; idque ſibi ipſe facilè quis perſuadeat, qui attentè perpenderit Euchariſtiam, non potuiſſe pœnitentibus præberi, ne in vltimo quidem vitæ periculo conſtitutis, niſi de mandato Epiſcopi, cuius iudicio pœnitentis dignitas, mores & vita prçterita examinabatur, vt videre eſt canone 13. Concilij Nicæni, & 82. ſecundi Bracarenſis. Quare cùm iſta reconciliatio maior, aliud nihil eſſet quàm ius Euchariſtiam accipiendi, illa non niſi ab Epiſcopo dari potuit. Nã qui eam accepiſſet, ei ſanctiſſimo Sacramento frui quoque licebat, neque eius vſus adimi poterat, ideo iſta reconciliatio à ſolo Epiſcopo dependebat, qua ratione Euchariſtia, eiuſque tribuendæ ius penes illum erat. Nam vnum ex altero dependebat, alterum quaſi loco cauſę erat, alterum effectus rationem induebat,

Digitized by Google

vnum ius ad Euchariſtiam largiebatur; alterum Euchariſtia ipſa dicebatur, alterum ab altero ſeparari non poterat, neque ſine altero alterum concedi. Ex eo clariſſimum eſt, ſolum Epiſcopum potuiſſe dare reconciliationem maiorem, quod presbyteri niſi extrema neceſſitas compelleret, ne paruam quidem condonare poſſent: poſthac explicabimus, quorſum Patres cùm de iſta reconciliatione differunt, dicant & nominent *manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri*, quemadmodum infinitis locis Sanctus Cyprianus, can. 32. Eliberini, & 2. Toletani primi.

Neque verò neceſſe fuit in medium proferre locorum varia teſtimonia, quibus probemus illam reconciliationem impoſitione manus conferri, cùm id extra dubitationis aleam ſit; ſed operæpretium fuerit cognoſcere, quæ ſit Patrum canonumque ſententia, cùm affirmant hanc impoſitionem manus, ſimul & coniunctìm, & ab Epiſcopo & Clero fieri. Nam ſi ſolius Epiſcopi hæc poteſtas erat, quamobrẽ quæſo presbyteri, imò Diaconi & Subdiaconi vnà cum Epiſcopo manus imponebant: adde quod ille ritus omninò diuerſus eſt ab eo qui hodie vſurpatur, & retinetur: cùm vnicus aut presbyter, aut Epiſcopus abſolutionem tribuat; quin hoc tempore, neque diaconi, neque ſubdiaconi nihil omninò iuris, aut authoritatis habent ad abſolutionem pœnitenti impertiendam: cùm contrà quorumdam teſtimonijs olim videãtur ea fuiſſe poteſtate prędıti. Notandum eſt in prima veteri Eccleſia Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos multis in rebus manus, ſimul & con-

Digitized by Google

iunctè impoſuiſſe cum Epiſcopo, vt in Confirmatione, Ordinibus, Baptiſmo & Abſolutione & reconciliatione. Quod ad ordines attinet, Acta Apoſtolorum docent, & hodierna agendi in Eccleſia conſuetudo non negat. Quod ad duo reliqua; probationis illa maioris non indigent: quod, qui canones perlegerit, facilè animaduertet. Quod ad abſolutionem S. Cyprianus euidenter teſtatur, *ante manum ab Epiſcopo & Clero*, id autem dico non quod impoſitio manus Epiſcopi non ſatis valuerit ad iſta quatuor ſacramenta. Ritus autem fuit quidam quem obſeruandum iudicabant ad demonſtrandam, & in oculis omnium conſtituendam totius Eccleſiæ conſenſionem: quemadmodum hoc tempore impoſitio manus, quam ſacerdotes præeunte Epiſcopi impoſitione, conferunt, cęremoniæ cuiuſdam locum occupat. In reconciliatione autem, vnum præcipuè obſeruabatur & fiebat, vt pœnitens non ſolùm abſolutionem peccatorum conſequeretur; ſed & ſocietate fidelium ac communitate Chriſtianorum gauderet: ideo requiri quodammodo videbatur plurimorum conſenſus quaſi neceſſarius, hacque ceremonia inducta, Eccleſia teſtificabatur, ſingulos, pœnitentem in ſuam attrahere & adſciſcere ſocietatem, & ei partem ſuæ communionis concedere: de illa manuum impoſitione verba facta ſunt canone ſecundo primi Toletani, *ſi quis autem antè ordinati ſunt diacones inter ſubdiacones habeantur, ita tamen vt manum non imponant, aut ſacra non contingant.* Ita exponendus eſt canon 32. Concilij Eliberini, (ſiue de pri-

ma, aut vltima communione diſputet. Nam in vtraque poſt Epiſcopum, clerus manum imponebat) qui ex correctione & cenſura Garſiæ legendus eſt, *neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum ſi eis iuſſerit Epiſcopus*, non autem aut Diaconum: non enim ſeparatim aut ſeorſim, ſed coniunctim impoſitionem exhibebat. Concludo igitur non ex vi canonis illius id deducendum, Diaconum potuiſſe abſolutionem conferre; ſed Patres prohibuiſſe, ne Diaconi cum preſbyteris manus imponerent, niſi Epiſcopus preſbyteris, dandi ius communionis ſimplicis, aut maioris pœnitentibus, in vitæ diſcrimine conſtitutis, conceſſiſſet. Canon igitur vetat ne preſbyteri aut Diaconi communionem largiantur; non quod id à Diaconis præſtari oporteret, aut id eis facere liceret; ſed quod prohibeat, ne manus impoſitione, quæ inſtar cuiuſdam ceremoniæ erat, eam quam preſbyter confeciſſet, ſubſequantur ſine venia & facultate Epiſcopi; vel vt veriùs dicam, imperet præſcribatque, morem vt gerant ſi Epiſcopus iubeat, vt manus imponant cum preſbyteris ſupra pœnitentes, quos ad mortem certiſſimam duci morbo periculoſiſſimo viderint, *ſi tamen Epiſcopus præcipiat*, aliàs non: ita explicari omnia Patrum quę proferuntur teſtimonia oportet, maximè autem Diui Cypriani, *per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri ius communionis accipiant.*

Cęterùm hæc maior & vltima reconciliatio, varijs nominibus ab antiquis nuncupatur, à Concilio Arauſicano canone tertio vocatur legitimæ com-

Digitized by Google

munionis reconciliatio, ab Eliberino, ſocietatis Dominicæ reconciliatio, à Vaſenſi abſolutiſſima, ab Ancyrano ſummi boni perfecti, perfectionis, plenæ communionis reconciliatio, ab alijs canonibus reconciliatio altario, ſacris, ſacramentis: à Concilio Barcinonenſi canone nono beatica benedictio, *iubemus verò in infirmitate poſitis beaticam benedictionem accipiant*, quæ omnia nomina ei indita ſunt, quod per eam benedictionem, & manus impoſitionem, ius ad Euchariſtiam acciperent pœnitentes; quæ eſſet legitima Chriſtianorum communio, Dominica ſocietas, beata cõmunio, ſummum bonum, finis, perfectio, & abſolutiſſima communio.

POENITENTES A CLERO REMOVEBANTVR.

OBSERVATIO XXXIV.

QVOD Diuus Leo de Epiſcoporum electione prodidit, *Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, vt hæc quæ in alijs Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita*, in aliorum quoque ordinum inſtituto legibuſque retentum ac obſeruatum eſt, iam inde à primordijs naſcentis Eccleſiæ. Pleraque enim neque probro, neque crimini aut fraudi laico vertebantur, quæ minùs eum ad Clericatum aptum idoneumque declararent, vt matrimonio cum muliere vidua contracto, neque à communione excludebatur, neque vituperabatur: inde tamen macula quædam altè inſedebat in eo, quę

Digitized by Google

illum à ſpe obtinendi clericatus deijceret. Deinde laicus cui impoſita pœnitentię publicę pœna ob peccata quædam publica fuerat, non infamiæ ideo labe aſpergebatur, abſolutóque pœnitentiæ tempore ius communionis recuperabat, eique reditus ad gregem fidelium, in quo aliàs cenſeretur, reſtituebatur; contrà, ſi ad ordines ſacros prouchi in animo haberet, tametſi peccatum condonatum, vulnuſque quod acceperat obductum eſſet, cicatrix tamen illa ab ordinibus ſacris eum repellebat, quantumuis peccatum ab hominum oculis & cognitione remotum fuiſſet: quin quod Dei ſumma voluntate ac commiſeratione peccatum deletum extiterat, eius memoriam repetebat Eccleſia; & ſupplicia omneſque vitæ acerbitates, quas pœnitentes in ſe ſuſcepiſſent, eam quidem vim habere poterant, vt quædam veluti membra Eccleſiæ cenſerentur, ſed vt in communionem & ſocietatem Eccleſiaſticorum, atque adeo ad cleri quoddam corpus cooptarentur, non erat omnino ſperandum, aut expectandum. Qua in re non ſatis, pro dignitate admirari & ſuſpicere quis poteſt Eccleſiæ exorientis ipſam magnitudinem, præclara facinora, vitæ integerrimæ incredibilẽ innocentiã & ſanctimoniã, ſacerdotij ſanctitatem, ac illius diſciplinæ veteris ſeueritatem, quãto in pretio & honore haberentur Eccleſiaſtici. Vt paucis multa complectar, quanta requireretur in eis caſtitas & innocentia, qui ad ſacra myſteria tractanda, admouerentur.

Quicumque ergo pœnitentiæ publicæ aſperitate, vitæ mores eluerat, tametſi ante, aut poſt exactam pœ-

nitentiam omni genere, ſeu comitatu virtutum circunſeptus fuiſſet, aut caſtè integréque vitam poſteà traduxiſſet: is nequaquam ad ſacros ordines adlegebatur, eaque de re luculenta teſtimonia, concilia fermè omnia ſuppeditant. Age autem, perpendamus huiuſce inſtituti ac diſciplinæ, quæ ſint iacta fundamenta. Hęc ſi ſingulos pœnitentiæ gradus, & in vnoquoque pœnitentes quid ſint perpeſſi conſideremus, facilè eruentur. In primo gradu, Eccleſiæ introitu prohibebantur, in ėius limine ad terram proiecti, ſquallidi, horridi & maximè miſerabili habitu, in oculos prætereuntium incurrebant: fidelium viliſſimas veſtes oſculabantur: lacrymarum vi ac copia calceos irrigabant, ipſorumque genua officioſè complectebantur: qui in tali ſtatu aliquantulùm ſteterat, æquumne poterat videri (præſertim ſi animo repetas priſcorum illorum in conſeruanda communionis Eccleſiaſticæ integritate, curam & ſtudium) populo vt imperaret, & primos quaſi gradus in Eccleſij aſſequeretur; vel ex altiori & excelſo conceſſu conſpicuus emineret, qui eorum pedibus prouolutus non multò antea eas omnes primi gradus moleſtias & officia obierat. Qui denique vltimum locum inter Chriſtianos vix occupauerant, quomodo *præſidentes, præfecti, præpoſiti populi*, (his enim nominibus clerici ab antiquis appellabantur) potuiſſent eſſe, & primarium locum volente populo retinere, vel *honore conſeſſus*, vt aiunt Diuus Cyprianus, & Tertullianus, cæteris præeſſe.

In eodem primo illo gradu conſtat pœnitentes legationes precationis ſuæ, vt loquitur Tertullianus, præter-

prętereuntibus iniunxiſſe, hoc eſt, vnumquemque fidelium enixè rogaſſe, vt ſibi Eccleſiæ pacem impetrarent, & eorum commendatione & precibus in ſocietatem vnde exciderant reſtituerentur. Quapropter rationi conſentaneum non ita videbatur, eos qui mortalium opem imploraſſe viſi eſſent, & genibus nixi plebis vel infimæ genua attrectaſſe, in eorum ordinem adſcribere, qui pro populo, tanquam magis accepti Deo, preces offerrent.

De ſecundo gradu quid dicemus? Potuiſſent ne qui in eo ſteterant, vel inter infimos ordines admitti? Cùm Exorciſtarum, Oſtiariorum, Lectorum & ſimilium denique id eſſet inſtitutum, vt ex obſeſſis Dæmones pellerent, aut Eccleſiæ portis præeſſent, ne alij admitterentur, quàm quibus ius eſſet in eam introeundi, vel vt populo Euangelia & Apoſtolum è pulpito prælegerent. At quæſo ea omnia perficere quomodo potuiſſent pœnitentes, qua authoritate immundos ſpiritus coegiſſent ex obſeſſis diſcedere, qui ab Eccleſia exulantes, ſine matre, ſine communione errantes & vagi, in eorum veluti ſuerant poteſtate?

Ab Eccleſia quemquam arcere, & ab eius ingreſſu prohibere, non magis eius erat, qui non multis antè diebus vnumquemque precatus eſſet, vt vel in eius limine ſibi remanere liceret, qui pauco antea tempore præclarè ſecum agi exiſtimaſſet, ſi vel è foribus ſuſpiria ſua & gemitus in eam penetrare, & à fidelibus exaudiri potuiſſent. Eius vox è pulpito quomodo excepta fuiſſet à populo, cuius eiulatus & ſin-

Digitized by Google

gultus paulò antè ab eiuſdem templi foribus exſonuerant, Euangelij quoque præcepta cùm eius voce in cuiuſquam animum vix penetrare potuiſſent, qua modò pœnitentis, peccatoris, precantis vices egerat, & vnumquemque non præceptis; ſed precibus & ſuſpirijs fatigarat.

Sed qua demum ratione eundem qui audientibus in ſecundo pœnitentiæ gradu interfuiſſet, inter preſbyteros & doctores adſumpſiſſent, quorum officium & inſtitutum eſſet Catechumenos erudire, aut verbi diuini arcanos ſenſus fidelibus exponere, ille inquam qui penè è tyrocinio emerſiſſet, quique adeò rerum omnium diuinarum & humanarum imperitus & ignarus habitus fuerat, vt inter Catechumenos totius Eccleſiæ iudicio relegatus eſſet, vt primæ fidei Chriſtianæ rudimenta ediſceret. Quomodo cæteris iudicij diuini horrorem incuſſiſſet, qui tanta ſecuritate eandem diuinam iuſtitiam peccatis ſuis prouocare non exhorruerat.

Tertij gradus pœnitentiæ, ſolennes illæ aſperitates, ad terram vſque illa abiectio, impoſitio illa manuum Epiſcopi & ſacerdotum (quæ omnia ſpeciem quandam exorciſmi præferebant) veſtitus ille pœnitentis horridus & ſquallidus, quo amicti incederent publicè, extra Eccleſiam denique illa relegatio & amandatio faciebat, vt indigni haberentur, qui rei diuinæ intereſſent, ſacramentorum participes redderentur, orationibus publicis communicarent, ſacræ ſcripturæ explicationem primis ſæculis auribus cõbiberent, digni potiùs erãt vt à clericatu pellerẽtur.

Digitized by Google

Notum illud in quarto pœnitentiæ gradu pœnitentes non potuiſſe quiddam, quod Deo gratum acceptumque eſſet, cùm eo munere & officio indigni haberentur, offerre. At verò ſacerdotes ſanctiſſimum ſacramentum offerre debebant, & populi munera & oblationes Deo ipſi repræſentare, imò pro populi ſalute ſupplicationes exhibere, Diuus Cyprianus, *in conſpectu eius preces pro fratribus facere*: Item, *pacem nunc offerunt, qui ipſi non habent*: Item *audiri in precibus poßint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate*. Quapropter eius qui fuerat in quarto gradu, cùm preces oblationeſque conſtaret Deo minùs gratas iucundaſque fore, non erat æquum eundem deligere, qui Deo Euchariſtiam offerret, eidemque pro populi incolumitate, ac ſalute preces & oblationes exponeret, Diuus Cyprianus, *Deus ad ſacrificium prohibet accedere ſacerdotes in leui crimine conſtitutos, homo in quo fuerit vitium & macula non accedat offerri Deo.*

Temporis illius qualis fuerit Eccleſiæ ſtatus, & quo pacto electiones & ad ſacros ordines promotiones, ſpectante & conſentientē populo fierent, conſiderandum eſt; vt quod in hac obſeruatione dicimus, liquidius ac clarius euadat. Cuiuis è populo licebat publicè & palam eorum non ferendos fortaſſis mores, vitamque carpere, qui ad eos ordines ſibi gradum fieri poſtularent: *ordinationes ſacerdotales nonniſi ſub populi aßiſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio legitima & iuſta, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata.* Hæc

Digitized by Google

Cyprianus, vnde eorum adhuc hoc tempore expreſſa quædam ac conſignata veſtigia apud nos viſuntur: palam enim elata & contenta voce id iactatur, eorum non reijci, imò probari teſtimonia, qui habent quod in eos dicant, qui promoueri volunt. Si quis igitur è pœnitentibus olim aut Diaconus, aut Subdiaconus renunciandus erat, non defuiſſent aliqui ex plebe, qui hoc vnum ei impedimentum oppoſuiſſent, vt ab ordinibus excluderetur; dixiſſentque è pœnitentibus, quamuis abſolutis, non eſſe quemquam aſſumendum, vt inter Cleros collocaretur, cùm non deeſſent in Eccleſia, qui in eorum locum ſuffici potuiſſent, qui omni aliàs culpa, & pœnitentiæ nota vacarent.

Quin & illud animaduertendum primis illis temporib⁹, non ita crebra frequentiáque fuiſſe peccata lethalia, imò deteſtabilia & execrabilia magis fuiſſe, viderique non paucos, qui à ſacro fonte cùm emerſiſſent, nunquam in omni vita hoc ſummum Dei beneficium peccato aliquo mortifero corrupiſſent. Quò fiebat, vt qui poſt baptiſmi lauacrum grauiùs peccaſſet, eiuſque pœnas criminis publica pœnitentia eluiſſet, non careret infamia, ac ſuſpicione nimię fragilitatis, & à clero repulſam ferret, cùm Eccleſia ingentem vim ac copiam integritate & vitæ ſanctitate præſtantium virorũ ſuggerere poſſet, quos ad ordines inuitaret & accerſeret. Poſtremò Eccleſiaſtici, cùm ſal, lumina, duceſque & anteſignani aliorum haberentur, qui peccatis implicati & inuoluti, de vera via curriculóque religionis deflexiſſent, non

Digitized by Google

ad dignitates Eccleſiaſticas gerendas admouebantur, quantumuis pœnitentiæ lauacro ſe vitijs perpurgaſſent, teſte Syricio qui ita loquitur, *Illud quoque nos par fuit prouidere, vt ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum; ita & poſt pœnitudinem ac renunciationem nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipiſci, quia quamuis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.*

Ad has rationes & aliam, quæ è veteri teſtamento eruatur, adiungamus: Sacerdotes poſſe quidem pro populo qui deliquiſſet ſupplicare; neminem autem pro ſacerdotibus qui peccaſſent orare potuiſſe. Omninò & illud affirmandum pœnitentem ordinibus ſemotum fuiſſe, ob pœnitentiam quam ſubierat cùm ab ijſdẽ ordinib⁹ ob leuiores cauſas quis repelleretur, vt ſiquis bigam⁹ eſſet, aut viduã ſibi deſpõdiſſet, vt patet Arauſic. concilij can. 25. Arelat. 2. c. 26. Agathenſis can. 43. canonib⁹ Apoſtolorũ 16. 17. Roman. conc. can. 2. & 3. Syricius ad Himerium can. 11. Leo Anaſtaſio Epiſc. Theſſal c. 3. Hilarius ad Aſcanium Epiſcopum Tarracon. c. 4. Carthag. 4. can. 69. Præterea quicunque à ſuſcepto baptiſmo curationes publicas attigiſſet, aut magiſtratum geſſiſſet, aut prouinciarum, vrbiumque adminiſtrationem obtinuiſſet, aut bellorum gerendorum munera quędam obijſſet, neque ad clerum, neque ad ſacros ordines allegebatur: qua de re plurimæ conſtitutiones aut decreta viſuntur epiſtola Syricij ad Africæ Epiſcopos can. 3. ad vniuerſos Orthodoxos cap. 1. Inno

centius Epiſcopo Rothomagenſi cap. 2. 11. ad Epiſcopum Nucerianum cap. 3. ad Epiſcopos Toletum conuenientes, cap. 4. Concilij Toletani 1. can. 8. ignoti trãſmarini, qui extra diœceſim baptiſati, Neophyti, denuò baptizati extra ſortem aut clerum Eccleſiæ amandabantur. Anaſtaſius Papa Epiſcopis Germaniæ c. 2. Eliberini 24. Nicęni can. 2. Felix Papa Epiſcopis vniuerſis cap. 2. & 5. multò magis ab ijſdem ordinibus depelli eos oportebat, qui inter pœnitentes ob facinora ſua viſi eſſent. Quod Syricius ait, *vt ſicut pœnitentiã agere cuiquam non conceditur clericorum, ita* &c. veriſſimum eſſe conſtat, nam qui primorum ſæculorum memoriam vltimam cogitando replicarit, non aliquem Eccleſiaſticum pœnitentiam publicam ſubijſſe reperiet, cuius rei pleraque apud Sanctum Cyprianum extant teſtimonia epiſt. 4. lib. 1. *Baſilides inſuper adhuc præter libelli maculam, cùm in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemauerit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit, & Epiſcopum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens ad agendam pœnitentiam conuerſus ſit, Deum deprecans & ſatis gratulans ſibi, ſi vel laïco communicare continget.* Vbi videas Baſilidem, cùm in eo ſtatu eſſet, ſponte ſe Epiſcopatu abdicaſſe, quod ſentiret peccata ſua pœnitentiâ eluenda eſſe, & pœnitentes ab Epiſcopatu gerendo remoueri debere, & quoniam eius ea grauitate & atrocitate peccata dicebantur, vt non ſolùm hoc ſupplicio dignus eſſet qui Epiſcopatu priuaretur, pœnitentiamque ageret; ſed etiam anathemate feriretur: obnixè vt ſibi communio laïca non eriperetur, deprecabatur, hoc eſt, ne

excommunicationem ſubiret; ſed inter laicos ipſe numeraretur. Quæ enim cauſa eſſe potuiſſet, cur Baſilides tali in periculo ac diſcrimine conſtitutus deprecabatur, ne ſibi communio laica ſubſtraheretur? Et cur quæſo Epiſcopatum ſumma voluntate deponeret? Niſi quod ad pœnitentiam ferendam agendamque cùm animum & cogitationem omnem appuliſſet (in articulo enim aut puncto mortis pœnitentiam ſuſcipere poterant, vt in obſeruatione videre eſt, *quid ſit pœnitentiam petere*,) Epiſcopatum ampliùs gerere & tenere ſentiebat ſe non poſſe. Et quoniam rurſus ſæpenumero, primis ſæculis propter grauiſſima peccata, qualia confeſſione aperuerat, præter ſpoliationem Epiſcopatus, triſtis illa & grauis excommunicationis pœna irrogabatur: id ne ſibi accideret timebat Baſilides, quapropter rogabat ne communione laica priuaretur, ſibique liceret inter laicorum numerum numerari.

Sanctus Cyprianus eodem loco refert Papam indicto quodam Concilio generali, aut pro ſua ſumma poteſtate aut imperio omnibus in Prouincijs habito ea de re inſtituiſſe, vt qui ſe teterrimis flagitijs commaculaſſent, ij quidem ad pœnitentiam admitterentur; ſed à Clericatu propulſarentur, *cùm manifeſtum ſit eiuſmodi homines, nec Eccleſiæ Chriſti præeſſe poſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere, maximè cùm iampridem nobiſcum, & cum omnibus omninò Epiſcopis in totò mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, ſacerdos pacificus ac iuſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuit huiuſmodi homines ad pœnitentiam*

quidem agendam poſſe admitti: ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi. Hac vna ratione decretum illud nititur quod plurimorum oculos, animoſque, vel etiam aures exulceraſſet: ſi is qui publicam pœnitentiam ſubijſſet, inter Clerum viſus fuiſſet. Antonianus apud Sanctum Cyprianum conquerebatur Trophimum, cùm antè libellaticus extitiſſet, ad Eccleſiam qui rediret dignum habitum, eique Epiſcopatum reſtitutum; aut certè locum gradumque quem ante prolapſionem occuparat redditum. Conqueſtio eius in eo vertebatur, quod dicimus grauia peccata quæ publicâ pœnitentiâ vindicari debeant, quamuis ea remittantur, indignum eum qui ea commiſit Clericatu planè conſtituere, & reddere.

Eadem ratio affertur epiſtola ad Stephanum: *non tamen debet in domo Dei perfidia promoueri, item nec debere eos reuertentes, ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerunt:* qua declarat ſtatuitque cum Epiſcopis Eccleſiaſticos, qui ad Eccleſiam redierint, poſt ſchiſma non cenſeri Eccleſiaſticos; ſed laicos. Sat multi canones reperientur, qui non modò Eccleſiaſticos ſuo officio ac munere priuent; ſed etiam ijs pœnitentiam adiungant, vnde argumentari liceat Eccleſiaſticos pœnitẽtiâ potuiſſe mulctari, vt canones Apoſtolorum 28. 29. 30. Concilij Eliberini can. 18. 20. Arelatenſis 2. can. 13. 14. & alij; ſed & iſtorum canonum ſenſus non eſt, poſt pœnitentiam eos ad ordinem, aut ad dignitatum munera, vnde exciderant, reuerti poſſe: imò ſenſus

eorum

Digitized by Google

eorum eſt Clericis qui excommunicatione honoribus ſuis, aut dignitatibus carere cogebantur, quamuis pœnitentiam non ſubijſſent, nunquam licere ad Cleri corpus adſcribi. Quemadmodum neque ijs qui gradibus honorum moti pœnitentiam ſuſcipere compellerentur, nullum habere cum eodem Cleri corpore commercium, multò minùs ijs qui depoſiti ſimul eſſent & excommunicati. Itaque eos omnes canones, qui triplex hoc genus pœnarum complectuntur, depoſitionem ſcilicet omnimodam, depoſitionem cum pœnitentia; eandem denique depoſitionem cum excommunicatione, eo ſemper ſenſu accipiendos eſſe puto (quamuis nulla eius rei facta ſit mentio) nunquam eis omnibus qui ita puniti fuerant fas fuiſſe ad Clericatum remigrare. Atque hæc eſt ratio ſeu modus quidam quo omninò exauthoratus Eccleſiaſticus pœnitentiam antiquitùs peragere poterat. Sed nunquam legas, aut probare poſſis aliquo teſtimonio poſt pœnitentiam prioribus illis ſęculis ad cleri gregem pœnitentem reuocatum. Illud tamen negari non poteſt Eccleſiaſticos aliquos tametſi grauiſſimorum peccatorum ſibi conſcij eſſent, de ſuo gradu aut ordine non fuiſſe deiectos; ſed duplici beneficio hi afficiebantur. Nam peccatum & pœnitentia eis relaxabatur, & de ſuo gradu non deturbabantur. Id autem cùm propter grauiſſimas cauſas, tum propter Eccleſiæ pacem, & tranquillitatem factum fuiſſe proditur.

Extat & apud Gratianum fragmentum quoddam, quod ad Concilium Carthaginenſe pertinere

Digitized by Google

nonnulli putant, in quo videas Eccleſiaſticos pœnitentiam potuiſſe ſuſcipere. At cui obſcurum eſſe poteſt, ibi non de publica, ſed de meliori & ſuauiori quadam pœnitentia verba fieri, quæ depoſitionis loco imponebatur, quæ tamen non eſſet publica, neque nota populo, alioqui verendum erat, ne populus ſi id ſciuiſſet, commoueretur & offenderetur, cùm Eccleſiaſticum videret poſt pœnitentiam ad Eccleſiam redire: *tamen in publicum non procedat, ne grex fidelium in eo ſcandaliſetur*, in eo quidem omnes conſentiunt Eccleſiaſticos ob leuiſſimas noxas, pœnitentiæ priuatim peragendæ addictos fuiſſe, eâque pœnâ mulctatos, & ad eam ſubeundam frequentiùs adiudicatos, vt can. 2.3. Concilij Aurelianenſis, & can. 3. Concilij Agathenſis, id autem clariùs perſpicias can. 2. Concilij Toletani. *Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, grauiſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario*: vbi Patres oſtendunt tantùm peccata capitalia, & publicam pœnitentiam prohibere quò minùs ad Clerum cuiquam patefieret aditus, non autem leuiores pœnitentias, vel minima peccata, quibus facilis venia conceditur quemquam à Clericatu remouere. Pœnitentiâ autem publicâ punitos, aut vt poſt atrocia peccata ad ſuum ordinem relegentur, aut vt in eo hærere poſſint, nuſquam reperias. Quin canones Conciliorum 5.6.7. & octaui ſæculi ſtatuunt, vt intra ſepta monaſteriorum Eccleſiaſtici pœnitentiæ agendæ cauſâ includantur, & in illis locis nonniſi

communione laica fruantur, hoc eſt, vt tantùm laici habeantur, quòd argumento eſt nunquam pœnitentes in Cleri ſocietatem veniſſe: & quamuis canones tantùm hoc verbum præferant, *communionem*, omiſſo iſto nomine, *laicam*, ſi in canone depoſitionis pœna nominetur, ſemper vocem hanc, *laicam*, ſubintelligi oportet. Ita canones 76. Eliberini, 50. Agathenſis, 32. Sancti Baſilij, aliique exponi debent.

Proferri poteſt & canon quartus Concilij Arauſiaci, in quo legas *pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non denegandam*; quo in loco Patres videntur admittere, vt Clerico pœnitentia concedatur; atque illud eſt quod ante diximus à Clericis poſſe pœnitentiam peragi; Sed ita vt eâ exactâ, laici omninò iudicentur; neque vnquam ad ordinem curationeſque eius ordinis, quas ante pœnitentiam obierant, exercendas reuocentur. Canon 2. Concilij Toletani ſanxit è pœnitentibus Oſtiarios & Lectores poſſe deligi & coaptari, non autem ad altiorem editioremque gradum eos promoueri poſſe, nec id licere, aut fieri poſſe, niſi extrema cogat neceſſitas; qua è conſuetudine illud elicias, nec tuliſſe veteris diſciplinæ leges, vt pœnitentes ad Cleri corpus allegerentur; ſed canon ille permittit, vt ad minores ordines admittantur, quod illis temporibus liceret minoribus illis Clericis vxores ducere, & earum ſocietate ac conſuetudine perfrui: & quod apud maiores noſtros non niſi ad claudendas, obſeruandaſque Eccleſiarum fores deſtinarentur, ad Eccleſiæ cantum adhiberentur, nec quicquam ſacri aut religioſi contingerent; aliter

Digitized by Google

id violatum aut pollutum omnes iudicaſſent, quod ab ijs contrectatum fuiſſet; canone iſto quod dico comprobante & conteſtante, vt ſi quis pœnitens caſu aliquo, aut imprudentia quadam Diaconus eligatur, vt is ad Subdiaconatum relegetur, cum ea conditione, vt illi nullo vnquam pacto liceat rem aliquam ſacram contingere.

Canon 9. Concilij Gerundenſis paulò attentiùs accuratiúſque expendendus. *Is verò qui ægritudinis lãguore depreſſus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſt modum reconualeſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitijs non detinetur, admittatur ad Clerum*, omninóque oportet iſtius canonis quæſtionem & diſceptationem in eo verti, de eo qui iamiam animam efflaturus, tametſi nulla illum grauioris peccati conſcientia torqueat, ſtudio nihilominus ardentiſſimo ac incredibili pietatis Chriſtianæ ſenſu, pœnitentiam ipſam qua ſe ad mortem comparet, expetit. Nam ſi capitalia quædam peccata in ſe priſtinæ valetudini reſtitutus admiſiſſet, publicam pœnitentiam non effugiſſet, qua exacta, in Cleri ordinem nunquam aſpiraſſet, & tamen canone iſto patet à Clero receptum, eundemque morbo releuatum ad pœnitentiam non adigi: atque iſta verba magnoperè tuentur hanc explicationem, *ſi prohibitis vitijs non tenetur*, quibus verbis planum eſt, & coniectura non reijcienda, vel expetita ab eo pœnitentia, non illum tamen peccata quæ nuncupamus capitalia perpetraſſe, totumque illud quod feciſſet, id à modeſtia

Digitized by Google

Chriſtiana & ſumma pietate eſſe profectum. Canon igitur cenſet quanquam metu aliquo, aut horrore diuini numinis concepto, quiſpiam publicam pœnitentiam ſibi imponi curet & obteſtetur in ipſo è vita exitu, ſi tamen non ſe grauiori peccato vrgeri ſentiat, quod illa pœnitentia expiari ſolet, ad Clerum poſſe traduci, ſi conualuerit, canon addit, *& poſt modum reconualeſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit*, hoc eſt, ſi aduerſa valetudine liberatus pœnitentiam publicè non obierit; quia poſt receptam ſanitatem & recuperatam, quam metu mortis pœnitentiam obtinuerat, ſi eam publicè profeſſus eſſet: etiamſi eam, vti diximus, non petijſſet ob peccata quæ commiſiſſet; ſed quadam pietate & metu futuræ vitæ, inter Cleros nunquam recipiebatur, quia à populo viſus fuerat inter pœnitentes agere & verſari.

PANIS BENEDICTVS NVNQVAM DABATVR CATECHVMENIS.

OBSERVATIO XXXV.

CVm de portentis procurandis, aut quo ritu res ſacræ eſſent celebrandæ apud Romanos deliberaretur, ſacros primùm libros adire iubebant, è quibus ſi nihil certi hauſiſſent, ſummorum Pontificum, aut eorum qui rerum ſacrarum eſſent peritiſſimi, ſequendam eſſe ſententiam pronuntiabant: quod vſu ſcilicet & conſuetudine, rerum diuinarum maiorem cogni-

tionem habere crederentur: ita nobis in hac quæſtione vſu-venit, nam cùm incertum ſit an olim fideles iuxta & Catechumenos Pane Benedicto alerentur & donarentur, & apud antiquos Scriptores huiuſce ritus & diſciplinę deſint probationes; eorum porrò iudicio ſtandum erit, qui probabiliores ad id ſtabiliendum aut euertendum ex adytis Theologiæ aut alijs antiquis ritibus deſumptas rationes aut coniecturas, proferent.

Qui Catechumenos Pani Benedicto communicaſſe contendunt, his potiſſimum argumentis & Patrum locis vtuntur. Optimo iure factum eſſe vt Pane Benedicto aut ſale reficerentur, quando Euchariſtię ſacramento fidelium more expiari non poſſent; quæ ratio non magni poteſt eſſe momenti ſi Patrum deſtituatur authoritate & teſtimoniis: nam multa inter fideles celebrabantur, quæ illæſa pace & communitate Chriſtiana ad Catechumenos non poſſunt transferri: multò minùs idonei ſunt ij teſtes, quos in hac cauſa adhibent, è quibus canonem quintum Concilij Carthag. tertij potiſſimùm audiri cupiunt. *Item placuit vt per ſolemniſſimos paſchales dies, Sacramentum Catechumenis non detur niſi ſolitum ſal: Quia ſi fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenis oportet mutare.* Auguſtinum quoque libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſſione. *Et quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Quibus verbis ſi libera teſtimonij dictio permittatur, intelligaturque quid velint dicere, nunquam hunc

Digitized by Google

Panis Benedicti vſum comprobabunt; quaſi neceſſe ſit ea quæ Catechumenis in myſterium dantur, ſi corporis comparentur alimentis, Benedictum Panem fuiſſe; ac ſi nihil aliud aſſumi poſſet quo eiuſmodi myſteria conficerentur. Sed mittamus iſta, quæ tam leuibus fulciuntur coniecturis, vel vna ratiuncula euaneſcent, quam è penetralibus illius antiquitatis euocabimus. Age ergo, cenſesne in fidelium communionem Catechumenos induci potuiſſe, aut aggregari? Non exiſtimo. Nam quæ ſocietas fideli cum prophano? At ſi ex eodem Pane Benedicto ſumpſiſſent, vtriſque fidelibus ſcilicet & Catechumenis, æqua pars fuiſſet communionis: Non enim aliter, aut alio iure communicabant cum abſentibus, aut alio modo defunctos in participationem corporis Chriſti & ſocietatis fidelium reuocabant, quàm Eulogijs & Oblationibus, & eiuſdem rei communione & participatione; ex eadem enim re myſtica & conſecrata ſumere, ea demùm eſt perfecta ſocietas & fraternitas. At inquient, vti opinor, non vno eodemque die, ſed diuerſis fideles ac Catechumeni de illo Pane ſumebant, atque aliis precibus vtrorumq; Panis Benedictus cõſecrabatur. Imò verò ſingulis feſtis diebus vini & Panis Oblationes à fidelibus offerebantur, quæ ſubinde benedictæ & precibus ſanctificatæ à Diaconis circumferebantur, vt ex iis omnes deguſtarent, quò fit vt nullum vacuum eſſet tempus quo Catechumeni Benedicto Pane poſſent refici. Huc accedit quod myſteriis, non modò fidelium, ſed ne Catechumenorum, nullus alius

Panis quàm altaribus admotus, idoneus eſſe, aut ritè conſecrari poterat, vt alibi oſtendimus. Omitto quod his repugnare ſentio, harum nempè oblationum magnam partem Clero, viduis, & pauperibus alendis deſtinatam fuiſſe, quibus carere oportuiſſet pauperes ſi religionis Chriſtianæ diſcipuli & Catechumeni earum non fuiſſent participes, pauperes enim poterant eſſe. Reſpondeo in eleemoſynas & ſubſidiũ pauperibus has oblationes potuiſſe cedere, ſed non religionis cauſa, aut vt re aliqua ſancta & conſecrata reficerentur; verùm extra Eccleſiam Clero, viduis & pauperibus diuidebantur: Quapropter deſinebant eſſe ſacramenta & res ſacræ, quia ad primum, proprium & vulgarem vſum redierant.

Præterea nemo eſt qui velit Conſiſtentibus, hoc eſt, quarti gradus pœnitentibus oblationis faciendæ, aut recipiendæ poteſtatem olim Eccleſiam feciſſe, qui Catechumenis tanto magis ac gratia digni videri poterant, quò propiùs ad ſummum bonum, & ad abſolutiſſimam vt vocant, communionem accederent: Quod denique omnium rerum & myſteriorum, prærerquam Euchariſtiæ & oblationum eſſent participes. Quapropter ſi ſubſiſtentibus hæc gratia denegaretur, multò magis Catechumenis.

Si quem validiſſimæ hæ rationes commouere & conuincere nequeant, coniecturas accipiat; & inter exquiſitas dapes diaria nonnunquam placent. Quod ex ſacramentorum confectione ſupereſſet, reliquias ſcilicet panis & vini, quod Sacrificio & Sacramentis impenderetur, nefas erat negligere, aut Catechu-

menis

menis edendas permittere: tanta in eorum animis inſidebat panis & vini religio, eò quòd ſacris inſeruire poſſent, vt ſola offerentis deſtinatione ſãctificari, & religione quaſi occupari viderentur. Nec mihi fidem haberi cupio, à Theophilo Alexandrino hoc accepi, eum ipſum proferam. *Quæ in ſacrificij rationem offeruntur, poſtea quæ in ſanctorum vſum conſumuntur, Clerici diuidant, & nec Catechumenus ex ijs bibat aut comedat, ſed ſolùm Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres.*

Pręterea quę ad infantium myſterium offerebantur, vt loquitur canon, non eodem tempore, neque ijſdem precibus conſecrabantur, quibus Euchariſtia; ſed priuata & propria oratione ne attingere, aut aliquo modo ad Chriſti corpus pertinere viderentur. Carthag. Concilium. *Etſi enim maximè ad altare offerantur,* mel ſiue lac, *propriam tamen ſuam habeant benedictionem, vt à Dominici corporis Sacramento ſeiungantur.*

Tertullianus denique laudat ætatis ſuæ morem & conſuetudinem, quæ ægrè ferebat, ſi caſu communis Panis & vini aliquid in terram excidebat. *Calicis aut Panis etiam noſtri aliquid in terram decuti anxiè patimur.* Hiſce moribus conuenire quis crederet, Panem quoquo modo, aut quocumque die benedictum prophanis & non initiatis dari & præberi potuiſſe? Qui communem non conſecratum, aut precibus vllis religioſum factum ſatis tutò ab ijſdem Catechumenis ſumi poſſe non credebant? Qui denique ita comparati erant, vt non ſolùm vererentur res eaſdem vtriſque credere, & eadem cibaria præbere; ſed & ijſdem verbis aut precibus eorum ſacramenta perficere, ne

Digitized by Google

aliqua in re, vel tantillum cum Catechumenis ſocia-rentur? Quærant igitur, quo alio tandem Sacra-mento, cùm ſale reficerentur Catechumeni, cùm fas non eſſet Panis eos Benedicti participes fieri.

MINVTA CATECHVMENORVM SACRAMENTA EX FIDELIVM OBlationibus deſumpta.

OBSERVATIO VLTIMA.

INTER cæteros ritus quibus olim formabantur catechumeni, minutis quibuſdam ſacramentis vtebatur Eccleſia; non ſolùm vt myſteriorum rudes Euchariſtiæ paulatim aſſueſcerent; ſed etiam vt vitæ Chriſtianæ ſemina quæ in ipſa auditione animis combiberant horum Sacramentorum vſu fouerent. Nam quamuis corporis Chriſti perfecta illi & omnino formata membra non erant, vtcunque tamen ei adhærebant, Chriſtianitatisque ſpiritum quodammodo ducere incipiebant. Quare ne ſucci inopia deficerent, & fatiſcerent, lactis & ſalis myſterijs alendi erant & paſcendi.

De ſalis Sacramento nulla eſt dubitatio, quin non ſolùm quo tempore baptizarentur; verùm etiam ſingulis feſtis diebus ipſis præberetur, abundè id declarat canon quintus, concilij Carthag. tertij cùm ait, *per ſolemniſſimos Paſchalis dies ſacramentum Catechumenis non detur niſi ſolitum ſal.* Solitum quippe non diceretur, ſi baptiſmi tempore eis duntaxat oblatum fuiſ-

Digitized by Google

ſet, neque cum fidelium ſacramentis conferretur, niſi ſæpiùs in myſterium datum fuiſſet, & conſecratum. Ad hæc cùm Diuus Auguſtinus dicat ſale ſe cõditum in catechumenatu fuiſſe, id nequit ad Baptiſmi tempus referri: neque quod de Audientibus authores de diuinis officijs affirmant; nempè ſal eis inditum fuiſſe, nam cùm ab intinctione longè abeſſent, quod eis dabatur, extra Baptiſmum certum eſt datum fuiſſe.

Lactis verò & mellis ſacramentum non ſatis conſtat an illis in catechumenatu præberetur, nam ad id confirmandum præter coniecturas nihil adferri poteſt: quarum hæ præcipuæ videntur. Principio omnes ceremoniæ vt docet Ioſephus Vicecomes earum rerum diligentiſſimus ſcriptor, quæ in catechumenatu celebrabantur, eæ omnes in Baptiſmo rurſus repetebantur, inter quas cùm mellis & lactis Sacramenta commemorentur, veriſimile eſt lac & mel, alio etiam quàm Baptiſmi tempore catechumenorum cibum & alimentum fuiſſe. Altera coniectura ex ipſo canone Carthaginenſi depromitur: cùm enim dicat diebus feſtis ipſis Catechumenis ſacramenta mutari, atque alia quàm ſalis præberi poſſe; nihil aliud fingere poſſumus, aut adſignare ex quo ſacramenta illa quæ mutarentur, fierent, quàm lac & mel: Panem enim Benedictum in id adſumi oſtendimus non ſolere, ne ſcilicet fidelium & Catechumenorum diſpares & diſſimiles naturæ ijſdem nutrirentur alimentis.

Cæterùm quamuis id omninò certum non eſſet,

nulli dubium eſt quin quædam Catechumenorum extarent ſacramenta: de his in hoc Capite quæritur & diſputatur, an ex qualibet materia ſine delectu, an verò ex oblationibus fidelium confecta & conſecrata fuerint. De mellis & lactis ſacramento quod infantibus daretur tam luculentum eſt teſtimonium in Concilio Greco Carthaginienſi, vt magnam inde coniecturam, magnumque ſignum capere poſſis; alia quoque myſteria, aliaque ſacramenta, quæ Catechumenis darentur, qualiacumque tandem ea fuerint; ex iiſdem Oblationibus deſumpta fuiſſe; hæc ſunt verba Concilij. *Primitiæ autem ſiue mel, ſiue lac offerantur vno die conſueto ad infantium myſterium, & ſi enim maximè ad altare offerantur, propriam tamen habent ſuam benedictionem, vt à Dominici corporis Sacramento ſeiungantur.* Ad hæc cùm certum ſit fidelium Sacramenta ex iiſdem Oblationibus deſumpta fuiſſe, vt in Obſeruatione de *Communione per Eulogias*, ex duobus Diui Cypriani & Auguſtini locis probauimus; nonne veriſimile ſit eorum temporum diſciplinam ex ipſiſmet Catechumenorum myſteria conſecraſſe & benedixiſſe?

Huiuſce ritus cauſas & rationes inquirere non erit inutile, neque iniucundum, nihil enim ab illis factum, nihil in diſciplinam Eccleſiaſticam inuectum, quod non arcani alicuius myſterij, aut religionis ſignificationem contineret. Quidquid fidelibus aut Catechumenis nomine ſacramenti edendum prębebatur, id omne præbebat Eccleſia, vt hoc veluti pabulo eorum vita & communio augeretur &

Digitized by Google

foueretur: nam quæ alia cauſa cur tanto ſtudio ſatagebat ne longo interuallo communionem omitterent, niſi quod ijſdem alimentis reficiendi eſſent, quibus conſtarent,& quod in eis diuinum eſſet & à Chriſto in baptiſmate hauſtum non diſſimili alimonia & pabulo nutriendum; vti enim obſeruat Diuus Dionyſius, *quod ex Deo natum eſt, ſine diuino alimento viuere non poteſt*, illis quoque legibus, quibus è familia Chriſti pelluntur, qui per tres dominicas ad Eccleſiam non acceſſerint, nihil aliud prouidetur, neque ob aliam cauſam conſtitutæ ſunt, niſi vt fidelium ſocietas & vita mutua & frequenti communione augeretur. Poſtremò quid alijs ſignificatur, quibus foras extruduntur, qui acceptam non manducant Euchariſtiam, niſi eos inter viuos & fideles non eſſe habendos, qui veræ vitæ cibos faſtidirent?

Ne igitur Catechumeni in ipſis Chriſtianę vitæ primordijs, atque dum fingebantur & animabantur, ſucci inopia deficerent, aliquo cibo fouendi erant, qui vt eorum vitæ & naturæ conueniens & ſimilis eſſet, aliundè quàm ex Oblationibus commodiùs deſumi non poterat. Etenim Chriſtiani generatio & productio cæterarum rerum ortus & incrementa imitatur, inter quas & ea quibus nutriuntur, cùm aliquam neceſſe ſit ſimilitudinem & affinitatem intercedere, qua faciliùs cæteris corporis partibus aſſimilentur, eodem planè modo conceptus ille diuinus qui in Catechumenis formabatur, conuenienti aliquo alimento educandus erat: verùm nullus alius magis conueniens inueniri poterat, quàm

Digitized by Google

qui ex Oblationibus fidelium compararetur: Nam primùm à ſingulis corporis Chriſti partibus Deo oblatus, eo nomine ſanctus & religioſus videri poterat: deinde ſacerdotis precibus veluti elaboratus & benedictus fiebat. Poſtremò in myſterium conſecrabatur, quibus omnibus non exiguam viuificandi & nutriendi vini & poteſtatem concipiebat, qua ſubinde à Catechumenis hauſtus & acceptus eos ſibi ſimiles & Sanctos efficeret: alimenta enim diuina, non vt corporum & animantium, animæ noſtræ aſſimilantur, aut in eius ſubſtantiam tranſmutantur, ſed eam ſibi aſſimilant, & nos conformes filio Dei, & tam intimè nos faciunt diuinitatis participes, vt in nobis ipſi non ampliùs viuamus, ſed viuat in nobis Chriſtus.

Altera etiam afferri poteſt ratio & conuenientia, quemadmodum enim animantium fœtus qui vtero geruntur non quouis alimento, ſed eo tantùm quod ſagacitate ſua, & diligentia ex ſingulis matris venis, & membris natura collegit, nutriuntur; non aliter catechumeni qui in catechumenatu velut in Eccleſię vtero habebantur, quàm ex Oblationibus, quæ ex ſingulis corporis Chriſti partibus deriuabantur, erant nutriendi.

Denique fidelium vita & communio, quique in eis erat Chriſti Spiritus & vigor, Sacramentis olim alebatur, ex quibus cęteri fideles deguſtaſſent: communicare enim, & in communione Chriſtiana viuere nihil aliud eſt, quàm ex eadem re ſacra ſumere quàm cætera Chriſti membra manducaſſent: quippe

cùm abſentes in ſuam olim corporiſque Chriſti ſocietatẽ adſciſcere vellet Eccleſia, eos miſſis Eulogijs ex quibus ceteri fideles libaſſent aſſumptos reperies: Reperies quoque in ijſdem hiſtorijs peregrè aduenientibus Euchariſtiam, ex qua eiuſdem loci fideles ſumpſiſſent porrectam, qua ſe in participatum eiuſdem cum eis communionis & pacis venire intelligerent. Eodem igitur modo & ratione catechumenorum communio, quamuis imperfecta & dimidiata, erat ſuſtentanda ex pabulo ſcilicet & Sacramento quod aliquid cum fidelium Sacramentis commune haberet, & ex quo verum Chriſti corpus quodammodo deguſtaſſet; ſi enim ex alia re de qua non manducaſſent confecta fuiſſent eorum myſteria, nulla ne quidẽ imperfecta inter eos fuiſſet communio: ſed cùm ex Oblationibus ſinguli fideles nonnihil ſumerent (Euchariſtia enim & Panis Benedictus ex ijs conficiebantur,) ex eadem re vtrique capere & communicare cenſebantur, cùm ex ijſdem Oblationibus eorum ſacramenta, quamuis omninò diſſimilia, conſecrarentur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTÆ
IN CONCILIVM ELIBERITANVM,
ET QVOSDAM ALIOS ANTIQVOS CANONES.

M. DC. XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTÆ IN CANONES CONCILII ELIBERINI.

De his, qui poſt baptiſmum Idolis[a] *immolauerunt.* [a] Sacrificant Excu.

PLACVIT[b] *inter eos, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adultâ ætate, ad templum idololatraturus acceſſerit & fecerit, quod eſt crimen*[c] *principale (quia eſt ſummum ſcelus) placuit, nec in fine eum*[d] *communionem accipere.*

[b] Vt quicunque poſt Excu.
[c] Capitale Excu & C. Aluel.
[d] Ad cōmu. ſuſcipere Excu.

IN eos qui duplici ſimul jdololatriæ & Apoſtaſiæ crimine tenerentur, perpetuas hoc primo Canone pœnas decernunt Hiſpaniæ Patres, non autem in lapſos, qui timore perterriti, ipſiſmet cruciatibus, & ſupplicijs ſuperati, & coacti idolis immolauerant, quemadmodum exiſtimant cum Garſia & Binio, Illuſtriſſimi Cardinales Bellarminus & Baronius. Nam horum lōgè antè hoc Concilium cauſa fuerat agitata, huncque exitum totius Eccleſiæ conſenſu habuerat, vt non perpetua pœna, quamuis diuturna & plena pœnitentia

Digitized by Google

luerent, quod admiſerant, (ſi D. Cypriani epiſtolis fidem habeamus) quod iudicium hoſce Patres euertiſſe, aut durius quicquam in eoſdem lapſos conſtituiſſe, non facile mihi perſuaderem; vel hâc ipsâ coniecturâ adductus, quod Canone 46. ſatis pœnarum ſumpſiſſe putent, ſi Apoſtatas non Idololatras, qui maiori ſemper ſupplicio digni viſi ſunt, quam lapſi, vt ex Cypriano patet, leui animaduerſione perſtrinxerint. Adde ſi de lapſis hûc Canonem accipias & interpreteris, omninò fatendum eſſe hoſce Patres Nouatianos fuiſſe, aut Nouatianis fauiſſe, cum non aliam ob cauſam ab Eccleſia receſſerint Nouatiani, niſi quod ijs, qui minis & tormentis ceſſerant (qui vni lapſi dicuntur) indulgendum eſſe pertinaciter negarent. At quis vnquam mentionem fecit, aut dixit Hiſpaniam cum Nouatianis conſenſiſſe, aut Oſium, qui graue de iiſdem iudicium cum cæteris Patribus in Nicæno paulo poſt tulit; quicquam decreuiſſe, quod ad eorum ſententiam vergeret & accederet?

De Apoſtatis qui præterquam quod à Chriſto eiuſque fide ſponte receſſerant, idolis inſuper ſacrificauerant, non vero de lapſis hunc Canonem eſſe explicandum, alia etiam perſuadet ratio, nimirum quod illa prima diſciplina, quæ ne lapſis quidem olim indulgebat, paulatim ad lenitatem deflexerit, leniuſque multò peccatores habuerit, temporibus Conc. Eliberini, quam D. Cypriani; & in Concilio Niceno, quâ in aliis Conciliis, quæ ante Nicænum habita ſunt, vt videre eſt in hoc Con-

Digitized by Google

cilio, nam canone 46. Apoſtatas, de quibus his verbis ſtatuit D. Cyprianus, *Apoſtatæ vero vel aduerſarij & hoſtes, & Eccleſiam Dei diſſipantes nec ſi occiſi pro nomine eius foris fuerint, admitti poſſunt*, ad pacem, actâ quadam pœnitentiâ, reuocat. Quapropter hi Patres, recuperandæ cõmunionis ſpem nunquam eripuiſſent lapſis, quos ne quidem Cyprianus hac pœna damnauit. Cęterum hoc iudiciũ in Nicęno tandem mutatum fuit, can. 11. ſtatutumque vt poſt longam pœnitentiam hi Apoſtatæ in fidelium numerum admitterentur, quamuis nonnulli ſunt, qui illo canone vndecimo in lapſos agi potius exiſtiment, quam in Apoſtatas, qui vt citiùs è vinculis eriperentur, etſi nullis ſuppliciis, aut minis immolare adigerentur, Diis ſacrificauerant.

Denique notandum eſt hunc primum canonem differre à 46. quod in hoc de Apoſtata ſit mẽtio qui non fuit Idololatra: in illo de illis qui vtroque hoc crimine ſeſe polluerint: differt etiam ab vltimo Canone Concilij Arelatenſis, quia de ſolis Apoſtatis, & non reſipiſcentibus niſi in morte loquitur.

Poſt fidem, Catechumeni longe mitius habebantur quam fideles, eorumque crimina minori afficiendâ pœnâ exiſtimabantur, quam fidelium, vt alibi oſtendemus. Quapropter addunt Patres, ſi poſt Baptiſmum, quia ante Baptiſmum alia puniendi ratio.

Et fecerit, ſacrificauerit, *cum faciam vitula pro*

Digitized by Google

frugibus ipſe venito.

Crimen capitale & principale, de antiquâ criminum diuiſione & diſcrimine varia extant veſtigia in Tertulliano & D. Cypriano & cæteris Patribus, quibus omnibus idololatria maximum ſemper viſum eſt, vnde hoc canone vocatur principale, ſummum ſcelus.

Nec in fine eum communionem accipere, non negarim aliquando nomine communionis Euchariſtiam intelligi: verum in his iudiciis & canonibus rarò ita accipitur, ſed pro fidelium ſocietate & iure ſocietatis, à qua peccatores remouebantur, ne eorum conſortio, & conſuetudine cæteri fideles inficerētur: quapropter vix reperies in hiſce Conciliis mentionem de abſolutione, quòd eam per hæc verba, communionis, ſocietatis, conſortij, & ſimilium exponant Patres. Cum enim finis abſolutionis ſit reditus in Eccleſiam, & per eam Pœnitentes, ius ſocietatis, quod peccando amiſerant, recuperent, frequentius his vtuntur quam nomine abſolutionis. Cęterum quomodo accipiendum ſit, quod hiſce canonibus, tam facile morientibus venia denegatur, aut qua ratione à Nouatiano differant hi Patres, alius erit dicendi locus; ne notæ noſtræ in commentarium creſcant. Quod dum præſtamus, ſufficiet hoc vnum monere, controuerſiam inter Catholicos & Nouatianos non eam fuiſſe, quod Catholici omnibus omninò criminibus veniam concedendam eſſe dicerent. Nam longè poſt Cornelium cuius tempore & ſententia

Digitized by Google

perculſus fuit Nouatianus, verum etiam poſt Nicænum Concilium certa crimina perpetuâ pœnitentiâ damnata reperiuntur, vt ex hoc Concilio, Arelatenſi, & Sardicenſi licet colligere: ſed de auctoritate & poteſtate grauia crimina remittendi erat quæſtio, quam Eccleſiæ traditam fuiſſe negabāt Nouatiani, & ante eos Montaniſtæ: Contra vero Eccleſia hanc ſibi ineſſe auctoritatem prædicabat, iuſque ea vtendi & peccata pro arbitrio, ſoluendi, quamuis non omnia condonaret. Ex antiquis Codicibus hunc canonem correxit Garſias; verum tantum mihi diſplicet hæc correctio, quantum in cæteris ſatisfacit: nam hæc *inter eos, & quod eſt ſummum ſcelus* inutilia eſſe videntur.

CANON. II.

De Sacerdotibus [e] Gentilium qui poſt baptiſmum immolauerunt.

[e] Gentium Excu.

Flamines qui poſt fidem lauacri, & regenerationis [f] ſacrificauerunt: eo quod geminauerint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

[f] Sacrificauerint Excu.

F*LAMINES*, id eſt Chriſtiani qui ſacerdotio gētilium fungebantur: quāuis enim non liceret Chriſtianis, hæc munia & honores gentilium ambire & perſequi; nonnulli tamen aut ambitione ducti,

Digitized by Google

aut coacti hæc ſacerdotia ſuſcipiebant & petebant:cum enim apud populares aliquo in honore eſſent Flamines,& populi gratiam muneribus,aut ludis facile ſibi conciliarent, reperiebantur inter Chriſtianos,qui ſpretâ religione hos honores flagitarent:nonnulli etiam inuiti ad ea munia cogebantur, quia erant patrimonialia, a quibus nemo excuſabatur,vt ex Codice Iuſt. manifeſtũ fit,& ex Hieronymo in vita Hilarionis:his de cauſis reperiebantur Chriſtiani qui eſſent Flamines gentiliũ, in quos Hiſpani Patres has pœnas conſtituunt: neque vero audiendi ſunt, qui putant hic agi de Chriſtianis, nõ qui erant re ipſa Flamines,ſed qui ante lauacrum hæc ſacerdotia functi eſſent. Nam cur potius ageret de iis,qui fuerãt Flamines, quam de aliis,qui nunquam fuerant Flamines,qui nihilominus poſt fidem ſacrificauerant? Nonne ineptum videretur ſi canones ita ſe haberent: ſutores aut Sartores,qui poſt fidem ſacrificarũt,quia cum Flaminum, Sutorum, Sartorum non grauius ſit peccatum quam aliorum,ſi omnes illis Diis ſacrificaſſent, non debuit canon hos potius corrigere quàm alios: deinde hæc verba, *Flamines qui munus tantum dederint*, indicant agi de Flaminibus qui reuera poſt lauacrum flaminia ſuſceperant: quemadmodum etiam illa, *Flamines ſi Catechumeni*, oſtendunt agi de Catechumenis qui actu & reipſa erant Flamines, non qui fuerant.

Poſt fidem lauacri, cuius rei rationem ſupra dedimus.

Digitized by Google

Sacrificauerant, mos erat, vt qui ludis præerant, Diis ſacrificarent; Flamines igitur, qui in municipiis (nam Romæ non præſidebant ludis) tenebantur ex more ſacrificare, antequam ludos aperirent.

Eo quod geminauerint, ſed quomodo ſacrificando triplici hoc crimine poterant ſeſe polluere? Nam hac verba, *eo quod*, indicare videntur, quod Flamines duo hęc alia crimina committerent ſacrificando; ſunt qui de Floralibus hæc accipienda eſſe putent, in quibus multa turpia & obſcœna viſebatur: & de Gladiatoriis muneribus quibus ſanguine & morte miſerrimorum hominum populus recreabatur: cum enim Flamines in prouinciis & municipiis, hæc ſpectacula ederent, & mœchiæ & homicidij ſcelus commiſiſſe dicuntur hoc canone, non quod mœchati eſſent, aut quempiam interfeciſſent; ſed dicuntur ea commiſiſſe, quod ſpectacula præberent in quibus hæc ſcelera perpetrabantur. Nonnulli hæc ita dicta putarunt, non quaſi coniunctim & ſimul in hæc tria crimina incidiſſent Flamines, ſed ſi forte reperiantur Flamines, qui præter ſcelus ſacrificij & idololatriæ, aliis inſuper ſeſe inquinaſſent, ij communione in fine priuentur.

Vel triplicauerint facinus, lapſi triplicabant facinus veniâque vel in morte indigni cenſebantur, ſi homicidium & mœchiam cum idololatria in ſe ſuſcepiſſent: non autem ſi alia quæuis crimina admiſiſſent: neque huiuſce iudicij alia poteſt eſſe ra-

Digitized by Google

tio, aut cauſa, niſi quod alia omnia, nec ſumma, neque capitalia vnquam, aut perpetuâ pœnitentiâ & animaduerſione digna viſa ſint. Tribu. vero illis, homicidio ſcilicet mœchiæ & idololatriæ, cum non multo ante hoc Concilium pax & venia eſſet relaxata meritò qui horum ſimul omnium reus eſſet factus, eâdem pœnâ, quà paulo ante diuerſâ, puniebatur: atque ea eſt cauſa quamobrem de aliis criminibus non loquuntur Illiberini Patres.

CANON. III.

g Dederint Excu.

De eiſdem ſi idolis munus tantum g dederunt.

h Immolauerũt Excu.
i Dederunt Excu.
k Eis Excu.
l Inluſiſſe C. Aluel.

Item flamines, qui non h immolauerint, ſed munus tantùm i dederint, eo quod ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificÿs, placuit in fine eis præſtari communionem, actâ tamen legitimâ pænitentiâ: Item ipſi, ſi poſt pænitentiam fuerint mœchati, placuit vlterius k his non eſſe dandam communionem; ne l luſiſſe de dominica communione videantur.

QVI non immolauerint, poterant non immolare, quamuis ſuis ſumptibus ſpectacula ederẽtur: nam aliquis alius Flamen poterat præeſſe & præſidere.

Sed munus tantum dederunt, omnes hos Canones de lapſis explicant nonnulli: ideo per munera, dona intelligunt, & pecuniam quam Præſidibus offerebant lapſi, ne ſacrificarent, verùm munus

munus hoc loco, ni fallor ludos & ſpectacula ſignificat, quæ Flamines præſtare conabantur, & in quibus ſolebant ſacrificare: aiunt igitur Patres veniam iis eſſe concedendam in fine, qui Flamines fuerint & non ſacrificauerint, quamuis ludos præbuerint & munera, ſi modo hanc culpam legitimâ expiauerint pœnitentiâ.

In fine eis præſtari communionem, quam grauem & acerbam vindictam exercebant in eos qui ſacerdotia Gentilium ambibant aut ſuſcipiebant, quamuis non ſacrificarent!

Acta tamen, hoc eſt, qui pœnitentiam ſibi impoſitam alacriter ſubierant: nam ſi eam aut neglexiſſent aut ſegnius arripuiſſent, aliter cum eis erat agendum: non autem hoc ita accipiendum, quaſi momento illo temporis quo morerentur, legitimam poſſent agere pœnitentiam.

Legitima pœnitentia, vt pœnitentia cenſeretur legitima, non ſatis erat explere tempus conſtitutum ab Epiſcopo, vt volunt Garſias & Binius, ſed ea legitima vocabatur, quam bona fide ducebant pœnitentes, & cum domi, & in Eccleſia noctu, & interdiu perpetuis ærumnis ſeſe exercerent, & lachrymis, fletibus & multis præterea ſignis animi dolorem clam & publicè teſtarentur. Illegitima autem dicebatur, quando pœnitentes languidiùs eam ſubirent, & parum dolerēt de peccatis, quamuis præſcriptum tempus explerent.

Si poſt pœnitentiam, id eſt ſi poſt conceſſam pœnitentiam non verò expletam; ſed conceſſam ab

Epiſcopo, & ita accipiendum ſuadent quæ priùs habentur, *in fine eis præſtari communionem*. Si enim in fine duntaxat præſtari debeat communio: certum eſt eo vſque pœnitentiam duraſſe, & conſtitutam fuiſſe, & non finiiſſe ante mortem: quare illud, *poſt*, ſignificat, ſi poſt conceſſam pœnitentiam, & ſi cum agunt pœnitentiam eiuſmodi Flamines mœchantur.

Ne luſiſſe, ſed quomodo quæſo de communione ludere poterant quam non poſſidebant? Nam agit de his qui perpetuæ pœnitentiæ eſſent addicti: ſed ludere de communione dicuntur, ſi peccant pœnitentes dum agunt pœnitentiam: quia quo tempore magis proſpicere deberent, ne eâ indigni viderentur, eo ipſo nouis peccatis ſeſe obligant.

De dominica communione, quamuis Euchariſtia nonnunquã vocetur dominica communio, ſimplex tamen communio, id eſt ius in ſocietate & corpore fidelium hoc etiam nomine appellatur, quod vniat & conglutinet pœnitentes corpori Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cæterùm vides hunc canonem nihil minùs aduerſari, quam canonibus Petri Alexandrini (vt exiſtimat Binius in ſuis notis) quibus licebat ab impiis ſacrificiis pecunia ſeſe redimere: nam hoc Canone agitur de Flaminibus, qui ludos ediderunt populo & non ſacrificauerunt, vt diximus, non verò de his qui pecunia obtinuerant à Præſidibus, ne ſacrificarent.

Digitized by Google

CANON IV.

De eiſdem, ſi Catechumeni adhuc immolant quando [m] baptiſentur.

[m] baptizabuntur.

Item Flamines, ſi fuerint Catechumeni, & ſe [n] ſacrificiis [o] abſtinuerint, poſt triennij tempora, placuit ad baptiſmum admitti debere.

[n] Se à Sac. Excuſ.
[o] abſtinuerunt. Exc.

SI *fuerint Catechumeni,* Vbi ſtatuerunt de fidelibus, mox de Catechumenis agunt, in quo lenius multo, & mitius animaduertunt, quam in fideles, vt alibi dicemus capite de Pœnitentia Catechumenorum. Sed quid agendum eſſet ſi Catechumeni Flamines ſacrificaſſent? non explicant Patres neſcio an gratia baptiſmi in perpetuùm punirentur; non exiſtimo tamen ſed quantum coniicere poſſum, ante mortem non baptiſabantur.

CANON V.

Si domina per Zelum ancillam occiderit.

Si qua [p] domina furore zeli accenſa [q] flagris verberauerit ancillam ſuam, ita ut [r] in tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum ſit, voluntate, an caſu occiderit, ſi voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu [ſ], poſt quinquennij tempora, actâ legitimâ pœniten-

[p] fœmina. Gratian.
[q] flagellis. Exc. & Gratian. Iuo. Bur.
[r] intra. Exc. infr. Gratian Iuo & Burch.
[ſ] Per quinque annorũ tempora. Exc. Grat. Iuo.

tia, ad communionem placuit admitti. Quòd ſi [c] infra tempora conſtituta, fuerit infirmata, accipiat communionem.

c intra, Gratian. infra tertium diẽ fuerit, Iuo.

SATIS conſtat, vt opinor, nonnullis in locis, hæc peccata mœchiæ, ſcilicet homicidij & Idololatriæ perpetua olim pœnitentiâ damnata fuiſſe, & primis illis temporibus Eccleſiam his legibus ſtetiſſe, vt patet ex Tertulliano & aliis: deinde humanius eam homicidas habuiſſe, & in fine eos in ſocietatem admiſiſſe, vt legimus in 21. canone Concilij Ancyrani: verùm quò primùm tempore, & qua primum auctoritate eis ante finem pepercerit, non tam liquidò conſtat, atque de mœchia, & Idololatria: certum nihilominus eſt ex hoc canone, & Ancyrano, hanc diſciplinam mutatam fuiſſe, cum ſi voluntate ancillã occiderit, poſt ſeptem annos iubeat in ſocietatem fidelium dominam recipi.

CANON VI.

Si quicumque per [a] maleficium hominem interfecerit.

a malitiam. Excuſ.

Si quis verò [b] maleficio interficiat alterum; eo quod ſine Idololatria perficere ſcelus non potuit [c], nec in fine impertiendam eſſe illi communionem.

b veneficio. Iuo. Bur.
c niſi in fin. imper. non eſſe Iuo Bur.

Digitized by Google

RECTE correxit Garſias atque hanc vocem, *malitiam*, detraxit, nã de maleficio canonem intelligendum eſſe demonſtrabimus, non de veneficio, aut malitia.

Eo quod ſine Idololatriâ. Tertull. de Pudicitiâ. cap. 5. *Ego quoque homicidium nonnunquam elaboro, vt tragœdias omittam, ſciunt hodie venenarij, ſciunt magi, quòd pellicatus vlciſcar, quòd riualitates defendam, quòd cuſtodes, quòd delatores, quòd conſcios auferam*; magicis artibus homines necari poſſe, pauci ſunt qui non exiſtiment, cum reperiantur leges apud Romanos, quæ vt eos vltimo mulctant ſupplicio, ita hic canon eoſdem peiori morte & ſupplicio afficit.

CANON VII.

De Pœnitentibus mœchiæ, ſi rurſus [d] mœchauerint.

[d] peccauerunt. Exc.

Si quis forte fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta [e], acceptâ pœnitentiâ denuò fuerit fornicatus, placuit nec in fine habere eum communionem.

[e] Acta Exc.

SEPTIMO hoc canone à cæteris fidelibus eos in perpetuùm ſemouendos eſſe ſtatuitur, & in morte ne quidem in ſocietatem reuocandos, qui acceptâ aut peractâ pœnitentiâ

iiſdem peccatis, quibus, vt liberarentur, pœnitentiam ſubierant, ſeſe inquinaſſent: neque hæc iudicia ab illorum temporum moribus & diſciplina abhorrebant; cùm enim paulò ante hoc Cōcilium hoc eſt Zephyrini ætate, & auctoritate, mœchis, tum primùm venia laxata eſſet, rationi maxime conſentaneum videbatur, qua ſeſe indignos peccando exhibuerant, gratia eos priuari, & eos à communione perpetuò ſecludere, ſi acceptâ pœnitentiâ, id eſt ſi ad pœnitentiam admiſſi ob fornicationis peccatum, nondum eâ abſolutâ, aut expletâ pœnitentiâ, fornicationis iterum rei deprehenderentur: hæc eſt huiuſce canonis ſententia, quæ nemini ſeuera nimis & acerba videri debet, qui in memoriam reuocarit, quantò acerbius, paulò ante hoc Concilium iidem mœchi haberentur, & exciperentur.

Fortè fidelis, hæc vox, *fortè*, hanc vim habet, ſi fortè eueniat, ſi fortè accidat: raro enim illis temporibus eueniebat, vt poſt baptiſmum Chriſtiani gratiam, quam in lauacro adepti eſſent, ſcelere aliquo corrumperent; & rariùs vt à peccato aliquo quod poſt baptiſmum commiſiſſent liberati, in idem peccatum rurſus inciderent: quapropter aiunt hi Patres, ſi fortè, ſi caſu.

Fidelis, quia Catechumeni alia ratione erant puniendi.

Poſt conſtituta tempora, hoc eſt poſtquam ei impoſita eſſet pœnitentia, & pœnitentiæ benedictionem recepiſſet: nam ſi poſt lapſum mœchiæ,

Digitized by Google

rurſus in eandem, antequam pœnitentiam obti-nuiſſet, laberetur in perpetuùm non eiiciebatur ab Eccleſia; ſed ſolùm, ſi poſt acceptam pœnitentiam, mœcharetur.

Accepta pœnitentia, in vulgari lectione legitur, *acta*, ambæ hæ lectiones poſſunt retineri, nam eodem modo in eos animaduertebatur, qui expleta poſt baptiſmum pœnitentia, iiſdem rurſus vitiis ſeſe maculaſſent, & qui in ipſo pœnitentiæ curriculo, & antequam eam perfeciſſent, rurſus peccarent.

CANON VIII.

De fœminis, quæ relictis viris ſuis, aliis nubunt.

Item fœminæ, quæ nulla præcedente cauſa[f]*, reliquerint viros ſuos, & ſe copulauerint*[g] *alteris*[h]*, nec in fine accipiant communionem.*

f reliquerũt. Exc. Iuo Bur.
g copulauerunt. Excuſ. Iuo Bur.
h alteri; & in hoc permanere voluerint, nec in. Iuo. Bur.

CVM legibus Romanis libera eſſent repudia; Chriſtianis verò matrimonia eſſent firma & perpetua: rurſus verò cum ea inter coniuges diuerſæ religionis & cultus contrahi poſſent, nulla in re ſtabilienda aut regenda, plus negotij inuenit Eccleſia, quam primis illis temporibus reperire, qua ratione, aut quibus pœnis coërceret, aut ſi omninò puniret, qui facilitate legum Romanarum matrimoniis abuterentur. Quapropter hi omnes canones, qui de repudiis, aut matrimoniis Gentiliũ

Digitized by Google

cum fidelibus aliquid ſtatuunt, difficillimi & obſcuriſſimi ſunt. Hoc canone & duobus ſequentibus agitur, qua cauſa repudium liberum ſit & legitimum, & qua ratione puniendi ſunt qui ſine cauſa coniuges ſuas repudiant. Mulier igitur quæ virum ſuum quamuis infidelem repudiaſſet, & alij nupſiſſet, perpetua pœnitentia, quæ nec in morte relaxaretur, hoc octauo canone punitur: nam niſi aliqua & quidem legitima ſubeſſet cauſa, non erat liberum in diſciplina Chriſtiana ab infideli recedere: ea autem legitima cenſebatur cauſa, ſi metus aliquis aut vis inferretur Chriſtianæ, vt à religione ſua diſcederet, quæ ſi non eſſet, aut à viro ſuo infideli non eſſet repudiata, mali moris & indignum eis videbatur vxorem à marito diuelli; vt hac diſciplina præter alia id vnum docerent, Chriſtianorum matrimonia, quæ aliquo ſacramento cohęrerent, multò minùs diſſolui poſſe.

Viros ſuos, dubitari poteſt an de ſolis duntaxat Gentilibus viris, num etiam de Chriſtianis hic canon accipiendus ſit, cùm enim hiſce canonibus de repudiis, & qua ratione admittenda, aut coërcenda ſint agatur, & nulla in ſequentibus præſcribatur ratio, qua animaduertendum ſit in eas, quæ viros fideles ſine cauſa reliquerint, meritò quis ſuſpicari poſſet, hac voce, *viros*, vtroſque, Gentiles ſcilicet & fideles intelligendos eſſe: alij contra, cum nulla inter coniuges Chriſtianos legitima repudij cauſa poteſt eſſe, de viris Gentilibus,

libus, quos fidelis mulier repudiaſſet, cenſent accipiendum eſſe hunc canonem: nihilominùs ad vtroſque canon referri poteſt, & verba illa, *nulla præcedente cauſa*, non ita accipienda quaſi legitima aliqua reperiatur cauſa, cur vir fidelis ab vxore ſua poſſit repudiari, ſed addita ſunt, vt intelligeretur eas grauiùs puniendas eſſe, quæ ſine cauſa, quam quæ ob cauſam adulterij à viris ſuis receſſiſſent, his enim in hoc Concilio aliquot duntaxat annorum illis perpetua imponitur pœnitentia.

Accipiant Communionem, abſoluantur.

CANON IX.

De fœminis, quæ adulteros maritos relinquunt, & aliis nubunt.

Item fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum [i] *ducit, prohibeatur ne ducat* [k]*; ſi duxerit, non prius accipiat communionem* [l]*, niſi quem reliquerit, priùs de ſæculo exierit, niſi fortè neceſſitas infirmitatis dare compulerit.*

i duxerit. Exc.
k ſi autem dux. Exc. Grat.
l quam is, quem reliquit de ſæc. Exc. Deeſt in Exc.

REGIBVS Romanis cum eſſent libera repudia, Patrum auctoritate non poterant mulieres Chriſtianæ, quæ viros ſuos fideles ob cauſam adulterij repudiaſſent coërceri: quaprópter reperiebantur quæ plures ſimul maritos haberent, in quas hoc canone animaduertitur: addiderunt

autem hi Patres Elibcrini hæc verba *ſi fidelis*, quia ſi fuiſſet Catechumena ; non ita erat punienda, cum enim nullum eſſet inter Ethnicos coniuges Sacramentum, minùs peccabant, quàm Chriſtiani cum libellum repudij afferebant.

Reliquerit fidelem, quia ſi Gentilem ob eandem cauſam reliquiſſet, leuius multo erat punienda: quamuis hoc etiam ab Eccleſia prohiberetur.

Prohibeatur ne ducat, ita loquuntur in Cõcilio Arelatenſi primo, *& prohibentur nubere*. Cæterùm antequam contraherent nuptias, Eccleſiæ id eſt Epiſcopo, aut Sacerdotibus ſtatum & conditiones futuri coniugis exponebant, quæ ſi alienæ à Chriſtiana diſciplina viderentur, quantum poterant, nuptias diſſuadebant Eccleſiaſtici, hoc eſt recuſabant cõſignare, vt ait Tertullianus, & oblatione & ſacris confirmare, ideò dicitur hoc canone *prohibeantur*: verùm quia legibus Romanis hæ nuptiæ nihilominùs erant firmæ, & poterant ſtare, reperiebantur qui ſpreta religione eas facerent, in quos hoc canone animaduertitur.

Niſi quam, illis temporibus vt vides, matrimonium poterat ſtare & validum eſſe inter adulteros, qui viuente vero & legitimo marito rem ſimul habuerant, quòd hodie ita prohibitum eſt, vt ne quidem poſt mortem mariti mulier poſſit cum adultero ſuo nuptias firmas, & legitimas facere: niſi ſummo diſpenſante Pontifice.

Digitized by Google

CANON X.

De relicta Catechumeni, ſi alterum duxerit.

Si ea, quam Catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa fœminas Catechumenas erit obſeruandum. Quòd ſi fuerit, fidelis, quæ ducitur, ab eo qui vxorem inculpatam reliquit [m], *& cum ſcierit illum habere vxorem quam ſine cauſa reliquit, placuit* [n], *huic nec in finem dandam eſſe communionem.*

[m] & cum eluerit illũ ab vxore. Exc.
[n] ne dare communionem. Exc. & vnus manuſcript.

HVIVSCE canonis perdifficilis eſt ſententia, cuius hunc ſenſum eſſe ſuſpicôr: ſi inculpatam mulierem Catechumenus reliquit & repudiarit, ad Baptiſmum non priùs admittatur, quam relictam receperit & domum reduxerit: ſi verò ea ſit in alterius poteſtate, vt quæ poſt repudium alteri coniuncta ſit, quia eam repetere nequit, non eſt baptiſmo priuandus: Atque eadem iudicij forma in Catechumenas obſeruanda eſt, quæ nulla ſatis legitima ex cauſa viros reliquiſſent. Quòd ſi ea mulier, cùm quà Catechumenus ille qui ſuam repudiauit, nuptias fecit & nō ignorarit priorem illam mulierem ſine cauſa eiectam eſſe, ea ipſa vel in morte communione Eccleſiæ & abſolutione carere debet: ratio huius canonis eſt, quod Catechumeni quamuis non eſſent Chriſtiani, legibus tamen Chriſtianis tenerentur:

quibus ne quidem infidelem dimittere & repudiare licebat.

Poteſt ad fontem lauacri, non alia pœna coërcebantur Catechumeni niſi prorogatione, aut priuatione baptiſmi vſque ad mortem, excommunicari enim non poterant, cùm non eſſent in communione fidelium, neque ſocietate Chriſtiana donati.

CANON XI.

a de relicta Catechumeni Exc.

a *De Catechumena ſi grauiter ægrotauerit.*

Intra quinquennij autem tempora Catechumena ſi grauiter fuerit infirmata, dãdum ei baptiſmum, placuit non denegari.

AMBIGITVR de huius canonis explicatione, neque ſatis intelligitur quis ei ſenſus eſſe poſſit. Nam quæ cauſa eſſe potuerit cur Catechumenarum potiùs quàm Catechumenorum mentionem fecerint hi Patres Eliberitani? Quamobrem deinde tyrocinium & Catechumenatum quinque annorum eiuſmodi Catechumenis præſcribunt, cuius tempus vltrà tres aut duos annos non producebatur? Prætereà de quibus Catechumenis loquuntur, aut ad quas quæſo has pœnas pertinere dicemus, cum de crimine omnino taceant, neque exponant quod peccati genus hoc canone coerceant? Denique cum morientibus

Digitized by Google

baptiſmum præberi iubent, cum negari poſſe, videntur innuere. Hæc omnia mihi perſuadere potuerunt hunc canonem a præcedenti auulſum eſſe, neque vllum ſenſum aut ſententiam referre aut reddere poſſe, niſi cum eo connectatur. Nam præter ea quæ ſupra attulimus, illa etiam particula, *autem*, id omnino continere videtur atque oſtendere, totum hunc canonem ad alia quæ iam eſſent dicta & cognita referendum.

Præterea nullibi vnquam reperies baptiſmi gratiam dilatam, & Catechumenatus tempus productum, niſi ob aliqua crimina admiſſa. Quæ cum ita ſint veriſimile eſt, de ijſdem ipſis fœminis & Catechumenis hic agi, de quibus ſtatutum eſſet præcedenti & proximo canone, in quo cum patres ſtatuiſſent eas eſſe puniendas, quæ viris repudium ſine cauſa obtuliſſent; pœnæ verò modũ aut tempus, quo diutiùs retinerentur in Catechumenatu, (non enim alio genere pœnarum coërcebantur Catechumeni,) non appoſuiſſent; hoc ſequenti canone vel potiùs, hac vltima eiuſdem canonis parte, pœnæ modum & tempus addiderunt.

Senſus igitur canonis eſt, Catechumenas quæ viros ſine cauſa reliquiſſent quinque annos in Catechumenatu detinendas eſſe, & intra hoc tempus baptizandas, ſi graui aliquo morbo occupentur.

Intra quinquennij tempora, agant Catechumenatum quinquennij tempore, quem explere ſi morte impediantur, baptiſmo donentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Catechumena, quæ maritum ſine cauſa repudiaſſet, quique poſt repudium aliam duxiſſet: nam ſi maritus poſt repudium ſolutus remanſiſſet, rurſúſque hæ nuptiæ quæ ſine cauſa diremptæ eſſent, coaleſcere potuiſſent; non aliter ad lauacrum admittenda erat, quàm ſi eundem pro viro habuiſſet.

CANON. XII.

De mulieribus, quæ[a] lenocinium fecerint.

[a] in Cod. Aueldenſ. ad marginē erat: lenocinia, id eſt, circumuentiones, vel complexiones meretricum

[b] eam. Exc.

Mater, vel parens, vel quælibet fidelis ſi lenociniū exercuerit; eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum, placuit[b] eas nec in fine accipere communionem.

GRAVIVS puniuntur lenones, & earum turpitudinum artifices, quam ipſamet adulteria & virginum ſtuprationes. Nam Zephyrini edicto, mœchiæ & fornicationi pœnitentia functis, veniam in morte, vel poſt longam pœnitentiam conceſſam legimus: hoc vero canone ea ipſa moribundis lenonibus & parentibus qui quęſtum ex filiarum ſtupro fecerint denegatur: cuius ſeuerioris diſciplinæ hanc rationem adducunt, quod ſuum (ad parentes id refertur) aut alienum vendiderint corpus, hoc eſt peſſumdederint, perdiderint, & libidini manciparint.

Digitized by Google

CANON. XIII.

De virginibus Deo ſacratis, etſi adulterauerint.

Virgines, quæ ſe Deo[c] dicauerint, ſi pactum[d] perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quod[e] amiſerint, placuit, nec in fine eis dandam eſſe communionem[f]. Quod ſi ſemel perſuaſæ, aut infirmi corporis lapſu vitiatæ, omni tempore vitæ ſuæ huiuſmodi fœminæ egerint pœnitentiam[g], vt abſtineant ſe à coitu, „ eo quod lapſæ potius videantur, placuit, eas in fine communionem accipere debere.

[c] dedicauerunt. Exc.
[d] in Concilio 3. Moguntino, c. 26. prodiderint.
[e] admiſerint.
[f] Quod ſi ſemetipſas pœnituerit, quod infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore. Exc. Quod ſi ſibimet perſuaſerint. Grat. Cætera, vt Exc.
[g] & Exc.
„ deſunt à Grat.

VIRGINES, quæ Deo ſeſe vouerant à cæteris non remouebantur, aut clauſtris includebantur, vt ex hoc canone & in Diuo Cypriano & Tertulliano de virginibus velandis licet colligere.

Eidem libidini, non nupſerint, aut à flagitioſa vita non receſſerint.

Non intelligentes quod amiſerint, hoc eſt ſi impudicitiæ eas antè mortem non pœniteat, precibúſque & lachrymis Eccleſiam non fatigent, vt ab ea pœnitentiam accipiant, vel in fine communione & abſolutione, quamuis eam ardentiſſimè exoptent, priuentur; cùm enim toto vitæ tempore libidini inſeruierint, metu mortis pacem Eccleſiæ

potius quam peccatorum dolore quærere videbantur.

Eo quod lapſæ potiùs videantur, peccaſſe potiùs videntur, quam virginitatis votum violaſſe, quæ in obſtinato & obfirmato libidinis propoſito nõ remanerent.

CANON XIV.

h mœchatæ fuerint.
i violauerunt. Exc.
k maritos acceperint. Exc.
l Poſt pœnitentiã vnius anni reconcilientur. Si alios cognouerint. Bur. Iuo.
m Quinquẽnio pœniteant, & ſic ad communionem accedant. Bur. Iuo.
n deeſt Exc.

De virginibus ſæcularibus, ſi[h] *mœchauerint.*

Virgines quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas[i] *violauerint*[k], *duxerint & tenuerint maritos: eo quod ſolas nuptias violauerint*[l], *poſt annum ſine pænitentia, reconciliari debebunt, vel ſi alios cognouerint viros, eo quod mœchatæ ſint*[m], *placuit per quinquennij tempora, acta legitima pænitentia, admitti eas ad communionem*[n] *oportere.*

S*OLAS nuptias*, quia virginitatẽ Deo non vouerant.

Sine pænitentia, non hoc ita accipiendum, quaſi velint eas abſque ſacramento pœnitentiæ abſoluendas eſſe, aut ſtatuant eiuſmodi peccatum non eſſe aliqua pœna coërcendum, vel denique eis non eſſe dolendum de ſtupro: ſed pœnitentia hoc loco intelliguntur pœnæ & ærumnæ, quæ in gradibus pœnitentiæ palàm, & publicè caperentur, quę cum pudorem aliquem ſugillarent, non erant eiuſmodi

Digitized by Google

eiuſmodi virginibus infligendæ. Quid autem ſit, *poſt annum ſine pœnitentia reconciliari*, quódve genus pœnarum ex hoc canone, & ex vigeſimo primo colligitur? leuia quædam crimina hac pœnâ mulctabantur, quæ in eo verſaretur, vt ab Euchariſtiâ arcerentur, neque oblationes offerre aut eis participare permitterentur: mihíque perſuaſum eſt eos qui leui illa animaduerſione caſtigabantur, non aliter oraſſe aut ſtetiſſe in Eccleſia, neque aliter habitos, quam ſubſiſtentes, & omnibus rebus diuinis & humanis participaſſe cum cæteris fidelibus, præterquàm Euchariſtiæ.

Cęterùm verbum illud, *reconciliari*, referri & reuocari prorſus debet ad illam maximam reconciliationem ſacramentorum ſcilicet & Altaris; non autem ad illam minimam, qua abſoluebantur, & iure ſocietatis Chriſtianæ donabantur: nam cum eſſent orationis participes, abſoluti à peccatis cenſebantur, & minima illa reconciliatione non indigebant.

CANON XV.

De coniugio eorum, qui ex Gentilitate veniunt.

Propter copiam puellarum, Gentilibus minime in matrimonium dandæ ſunt virgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ reſoluatur.

D

Digitized by Google

PROPTER copiam puellarum, ſtatuunt ne quiſquam ad exonerandam familiam in matrimonio cum Gentili filias collocet, ne infidelis conſortio fidem perdant. Tertullianus ad vxorem ſecundo, *Ambo fratres, ambo conſerui, nulla ſpiritus carniſve diſcretio, atqui verè duo in carne vna, vbi caro vna, vnus & ſpiritus.*

CANON XVI.

De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur.

Hæretici[n] *ſi ſe transferrre noluerint ad Eccleſiam Catholicam, nec ipſis catholicas dandas eſſe puellas: ſed neque Iudæis, neque hæreticis dare placuit: eo quod nulla eſſe poſſit ſocietas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes*[o]*, abſtineri per quinquennium placet.*

[n] Hæreticis qui errãt ab Eccleſia Catholica, nec ipſis catholicas dandas puellas. Excuſ.

[o] abſtinere. Exc.

HÆRETICI *ſi ſe transferre noluerint ad Eccleſiam*, Agathenſe, *ſi tamen profiteantur Chriſtianos ſe futuros.* Laodicenſe canone 31. *Si tamen profiteantur Chriſtianos ſe futuros.* Chalced. can. 14. *Niſi fortè ſpoponderit ſe venire ad orthodoxam fidem.*

Digitized by Google

CANON XVII.

De his qui filias " *ſuas* " *Sacerdotibus* [p] *Gentilium coniungunt.*

" deeſt in Exc.
p Gẽtilibus. Exc.

Si qui fortè Sacerdotibus idolorum filias ſuas iunxerint, placuit, nec in fine eis dandam " *eſſe* " *communionẽ.*

" deeſt in Exc.

SACERDOTIBVS *idolorum*, Flaminibus Gentilium, non verò Chriſtianis Sacerdotibus, qui perſecutionum temporibus Diis gentium immolarant, vt quidam exiſtimant.

CANON XIX.

De Sacerdotibus & Miniſtris, ſi [c] *mœchauerint.*

c mœchati fuerint. Excuſ.

Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint, quòd ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter [d] *profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.*

d nefandũ. Excuſ.

IN *miniſterio poſiti*, qui graduum & ordinum ſuorum officia & munia obirent: nám ſi eſſent depoſiti, aut ſi ob aliam cauſam ab officio & dignitate gradus eſſent remoti; leuius erant puniendi: Concilio Carthag. 5. can. 2. *qua eos à miniſterio neceſſe fuerit remoueri.*

Digitized by Google

CANON XXI.

De his qui[i] *tardiùs ad Eccleſiam accedunt.*

[i] tardè. Exc.
[k] per tres. Exc.
[l] aliàs tanto. in Exc.

Si quis in ciuitate poſitus,[k] *tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit*[l]*, pauco tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.*

QVI ab Eccleſiæ vberibus tantò tempore auelleretur, metus erat ne contabeſceret, ideò ab eadem matre coguntur ad Eccleſiam liberi, vt à ſacris tanquam à ſuis mamillis lac ſugant, & cęterorum fidelium communione & precibus foueantur.

Pauco tempore abſtineant, qui leui hac pœna perſtringebantur ſola Euchariſtiæ communione priuabantur, non autem precum, aut corporis Chriſti myſtici ſocietate; nam ſacris intereſſe poterát, quò qui iure fruerentur, nec excommunicati, nec pœnitentes cenſebantur.

CANON XXIII.

De temporibus ieiuniorum.

[n] Ieiunia, ſeu abſtinẽtias per, &c. Exc.
[a] eorumdẽ. Exc. & Iuo.

[n]*Ieiuniorum ſuperpoſitiones per ſingulos menſes placuit celebrari, exceptis diebus duorum menſium Iulij, & Auguſti, ob*[a] *quorundam infirmitatem.*

IEIVNIORVM *ſuperpoſitiones*, ieiunia ſuperponere, eſt ieiunia de nouo imponere & indicere, quæ autem fuerint illa ieiunia, quæ ſingulis menſibus, præter ſtationes feriæ ſextæ & Sabbathi ſuperimpoſita eſſent in Hiſpania, non facilè eſt dicere, cùm ea peculiari quadam lege & conſuetudine celebrarentur in illa prouincia.

CANON XXIV.

De his qui peregrè baptizantur, vt ad clerum non veniant.

Omnes, qui[b] *peregrè fuerint baptizati, eo quod eorum minimè ſit cognita vita, placuit, ad clerum non eſſe promouendos in alienis prouinciis.*

[b] in peregrinatione. Exc. in peregrè. C. Aluel.

TANTA olim in clericis deſiderabatur vitæ ſanctitas, vt in eorum ordinem non eſſet aſſumendus, qui extra diœceſim baptiſmum conſecutus eſſet, quod eius mores non eſſent ſatis cogniti.

In alienis prouinciis, in propria enim promoueri poterat in qua eius vita ſatis erat perſpecta.

CANON XXV.

De epiſtolis communicatoriis Confeſſorum.

Omnis qui attulerit literas confeſſionis, ſublato nomine confeſſoris (eo quod omnes ſub hac nominis gloria paßim concutiant ſimplices) communicatoriæ ei dandæ ſunt litteræ.

PERMAGNA eſt diſſentio de huius canonis ſententia & explicatione, & canoni Arelatenſis primi, *De his qui confeſſorum literas offerunt, placuit, vt ſublatis iis literis, alias accipiant communicatorias.* Quorundam opinio eſt hos ipſos canones explicãdos eſſe de literis, quas lapſi ad ius communionis recuperandum à martyribus qui eſſent in vinculis, extorquebant. C. Baronij anno Chriſti 305. numero 48. *placuit quoniam vſus perſeuerare videbatur, vt literis quæ deſcriberentur ab iis qui cauſa fidei in carcere detinerentur, communicatio lapſis impertiretur*, eiuſdem anno Chriſti 314. numero 65. Quòd vt ita differeret ex D. Cypriani verbis contigiſſe arbitror, qui omnibus penè ſuis literis vehementer obiurgat martyres & confeſſores, quòd nulla prorſus habita diſciplinæ Chriſtianæ ratione, communicatorias literas lapſis indulgerent, tantáque licentia ac facilitate, vt Eccleſiæ ſtatum euerterent, atque omnem religionem funditus tollerẽt: quæ enim, inquit ille, poteſt eſſe ſanctitas aut diſciplina ſi rei non plectantur, & decreta peccatis ſupplicia remoueantur?

Ne igitur diutiùs hoc malo Eccleſia laboraret, his canonibus Patres prouidiſſe volunt. Ego verò

Digitized by Google

etſi C. Baronij, Garſiæ Loayſæ, Bernardiníque Ferrarij iudicium non parui ducam, eos tamen horum canonum ſententiam Patrúmque mentē qui illos condiderunt, minùs aſſecutos eſſe, hæ rationes mihi perſuadent. Equidem martyrum olim autoritatem in tantum creuiſſe, vt lapſis pacem & veniam procurarent, apertum eſt, literíſque ſontes in priſtinum ſtatum reſtituiſſe; ſed hunc ab Eccleſia errorem ante ipſa Concilia, quibus hi canones habentur, ſublatum eſſe eiuſdem D. Cypriani ſcripta ſatis declarant; nam acerbè in martyres inuehitur epiſtolis 15. 16. 17. 18. 19. 20. libri tertij, eorúmque poteſtatem imminuendam & coërcendam eſſe docet, ſtatuítque lapſos non niſi in exitu recipiendos eſſe, quamuis à martyribus commendarentur: quid? nónne martyres epiſtola 7. libri ſecundi (quod omnibus indignum Romæ videretur eos hac vti poteſtate) literas quas ipſi lapſis dederant, reuocarunt? *Quanquam confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuæ confeſſionis incluſit, & ad certamen Euangelicum ſua fides in confeſſione iam glorioſa ſemel coronauit, literas habeas conſpirantes cum literis noſtris, quibus ſeueritatem Euangelicæ diſciplinæ protulerunt, & illicitas petitiones ab Eccleſiæ pudore reuocarunt.* In Africa quoque fortiter huic poteſtati ſeſe opponit D. Cyprianus in reſponſo ad martyres epiſtola 15. lib. tertij. *Cùm vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dare poſtulaſtis, cum perſecutione finita conuenire in*

Digitized by Google

vnum cum clero & recolligi cœperimus. Multa denique eiuſdem argumenti in eiuſdem ſcriptis leguntur, quibus magna fit ſignificatio hanc nimiam martyrum poteſtatem, D. Cypriani ætate labefactatam fuiſſe.

Deinde nil tam perſpicuum eſt, quam Arelatenſe Concilium ſub Conſtantino habitum eſſe, quo tempore pauci religionis cauſa in carcere, fodinis, arenariis, aut triremibus detinebantur. At verò in ipſis verbis horum canonum ineſt aliqua ratio & nota credendi has literas, de quibus eſt quæſtio, quaſi è longinquo allatas eſſe. *Omnis qui attulerit:* Item in Arelatenſi, *qui confeſſorum literas afferunt.*

Miror etiam hos homines in primis acutos nõ vidiſſe de litteris, iſtis Conciliis mentionem eſſe, quæ non ſolùm à martyribus, ſed etiam etiam ab Epiſcopis darentur, *Communicatoriæ ei dandæ ſunt litteræ:* item *placuit, vt ſublatis iis litteris alias accipiãt communicatorias*, at nuſquam reperient expiatos pœnitentes, libellum ab Epiſcopis aut à quouis alio à quo abſoluti eſſent, accepiſſe, quo abſolutos & liberatos eſſe innoteſceret; eóque minùs quod publicè & magnâ coronâ de eorum in Eccleſiam reditu deliberaretur; atque ita magnopere opus non erat literis teſtari quod palàm factum eſſet. His omnibus adde martyres lapſis litteras non dediſſe, niſi abſentes, vt conſtat ex D. Cypriano & Tertulliano ad martyras, & de Pudicitia: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à*

martyribus

Digitized by Google

martyribus in carcere exorare conſueuerunt. Item, *alij ad metalla confugiunt, & inde communicatores reuertuntur.* Item, *vt quiſque ex conſenſione vincula induit, adhuc mollia in nouo cuſtodiæ nomine ſtatum ambiunt mœchi.* At Eccleſiæ redditâ pace, quæ cauſa poterat eſſe, quamobrem pro lapſis, ſi qui ea tempeſtate ſupereſſent, coram non intercederent?

Quænam igitur poſſit eſſe horum canonum ſententia & interpretatio, ſi quis à me quærat, eam ad litteras communicatorias ſiue formatas referrem, quas qui peregrè proficiſcerẽtur à martyribus, non verò ad literas quas ab iiſdem lapſi, vt abſoluerentur, & in gratiam cum Eccleſia redirent, extorquebant. In vſu apud antiquos erat potiſſimùm Epiſcopos peregrinis literas concedere, vt quocunque incederent, hoſpitio à cęteris Chriſtianis, & ab Epiſcopis exciperentur: quo viatico, ſi muniti & inſtructi non proceſſiſſent, ius eis communionis Chriſtianæ denegatũ fuiſſet. Quidam verò reperiebantur (vt ex his canonibus apparet, qui cum peregrè è patria abirent, literas illas communicatorias, ſine quibus non poterant diſcedere, à confeſſoribus potiùs, quam à ſuis Epiſcopis acciperent: quæ praua conſuetudo his canonibus tollitur, iubéntque Patres legitimas ab Epiſcopis (ſublatis iis quæ à confeſſoribus circunferuntur) concedi. Prętereà ea quæ ſupra attulimus, hæc etiam verba in noſtram explicationem inclinant, *eo quod ſub hac nominis gloria paßim concutiunt ſimplices*, quomodo enim ad li-

Digitized by Google

teras communicatorias lapſorum, hæc verba accommodari poſſunt? Nam ex Epiſcopis erant tradendæ, vt earum commendatione lapſi reſtituerentur. Nemo enim niſi à propriis Epiſcopis abſoluebatur, quos quis credat rerum adeò ignaros, vt Concilio ſimplices vocentur? aut falſis eiuſmodi literis, aut Confeſſorum variis titulis eos potuiſſe commoueri? Peregrinis vero hæc ipſa verba magis conueniunt, qui quacunque tranſirent, ſimplices Chriſtianos & fœminas hac martyrum commendatione poterant concutere, & à ſimplicibus parochis ius hoſpitalitatis & communionis emungere. De literis igitur quas peregrini circunferrent, non verò de literis, quibus lapſi communionem quærerent, hi canones ſunt intelligendi.

Poſtremò alibi oſtendimus, martyrum literas de lapſis reſtituendis, nullum apud Epiſcopos, niſi poſt eorum mortem pondus habuiſſe: quòd cum ſub Conſtantino accidere non poſſet, vt quiſquam pro fide morte mulctaretur, quis literas ſibi non profuturas, commendationémque efflagitaſſet, quàm certò ſciret nullo ſibi vſui futuram?

Sublato nomine Confeſſoris, hæc verba nihil aliud ſignificant, quam Confeſſorum litteras tollendas eſſe, & alios ab Epiſcopis ſubſtituendas, vt ex canone Arelatenſi manifeſtum fit, qui in eandem rem ſancitus eſt.

Digitized by Google

CANON XXVI.

[e] *Vt omni Sabbatho ieiunetur.*

Errorem placuit corrigi, vt omni Sabbàthi die[f] *ſuperpoſitiones celebremus.*

e de hoc vt. Exc.
f ieiuniorū ſuperpoſitionē. Exc.

SABBATHI dies vno excepto immunes olim ab omni ieiunio, & tanquam feſtos antiquitus agebant, & tum etiam in Gręcia mos ille perdurat, quem Hiſpaniæ Patres poſt Romam primos omnium antiquaſſe veriſimile eſt ex hoc canone, & feriæ quartæ ieiunia, & ſtationes in Sabbathum tranſtuliſſe.

Superpoſitiones, hoc eſt imponere ieiunia, quæ ſolita non eſſent obſeruari.

CANON. XXVIII.

De oblationibus eorum qui non communicant.

[i]*Epiſcopos, placuit, ab eo, qui nō communicat*[k]*, munera accipere non debere.*

i Epiſcopū. Excuſ. & Aluel. C.
k munus. C. Aluel.

QVI *non communicat*, vt huiuſce canonis ſententia explicetur, duo ſunt inueſtigāda, ac primum qui nam eſſent non communicātes: poſtremò quænam munera reiicienda dicuntur. Variæ olim erant communionis ſpecies, ſed duas

tantùm attingam, quæ ad hunc canonem illuſtrandum neceſſariæ videntur, ius communionis & ſocietatis Chriſtianæ, qua qui donatus eſſet corpori Chriſti & Eccleſiæ adglutinatus cenſebatur. Altera quæ maxima dicebatur in corporis Chriſti veri & realis, hoc eſt Euchariſtiæ perceptione poſita erat. Omnes qui vtraque illa communione, aut vna earum priuabantur, hi non communicantes vocabantur, quemadmodum extranei omnes excommunicati, Catechumeni, pœnitentes perpetuæ pœnitentiæ, pœnitentes primi, ſecundi, & tertij gradus: omnes denique pœnitentes qui ad quartum pœnitentiæ gradum peruenerant, quamuis ſacris intereſſent & precũ participes eſſent., non communicantes vocabantur, quod Euchariſtiæ participandæ ius & poteſtatem non haberent. Item qui ob minus grauia quædam crimina ab Euchariſtiæ communione, non autem à prima remouebantur: Energumeni, Peregrini, & vagantes ſine litteris communicatoriis: Clerici ad communionem peregrinam redacti: ij omnes non communicantes appellari poterant. Quòd plena & abſolutiſſima ut loquuntur canones communione non fruerentur: horum igitur dona & oblationes Eccleſiaſtici (munera enim hoc loco aut priuata dona quæ Epiſcopis miſſitarentur, aut oblationes quæ altaribus admouerentur & Deo offerrentur intelliguntur) hoc canone recipere prohibentur: quod arbitrarentur Deum optimum maximum minùs ſibi gratã

Digitized by Google

acceptámque hoſtiam & oblationes eius ducere, qui non poſſet ſacroſancto Chriſti corpore paſci & refici: quid quòd Deo oblationem eiuſmodi auerſante & deteſtante, ea videri poſſet execratio & deteſtatio, quæ reliquo fidelium gregi non mediocriter obeſſet: deinde oblationes eiuſmodi poſtquam altari oblatæ eſſent, & Sacerdotum ſolemni religione ac precibus adhibitis Deo repræſentatæ, iis poſteà Eccleſiaſtici ad victum cibúmque vtebantur. Quapropter non communicantis munera tanquam inuiſa Deo meritò reiiciebãtur, & à clericis tanquam putida, & quorũ odore offenderentur, faſtidiebantur. Carthag. 4. can. 93. *Diſsidentium fratrum oblationes non recipiantur.* Ibidem, *horum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.* Priuata quoque munera ab eiuſmodi hominibus non erant accipienda, quòd nulli vſui eſſent futura, niſi ad pauperes aut clericos alendos.

CANON. XXIX.

De Energumenis, qualiter habeantur „in Eccleſia„.

„ deſunt. Excuſ.

[1] *Energumenus qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare, cum oblatione, recitandum, neque permittendum, vt ſua manu in Eccleſia miniſtret.*

1 in aliis manuſcript. erat Energumena

Digitized by Google

H*VIVS nomen.* Energumenorum oblationes repellebantur; ideóque nomen eorum, neque apud Deum propitiandum adhibebatur: neque eius mentio vlla in Sacerdotum precibus facta: hæc enim oblatio nominis, erat quædam communionis ſpecies; quæ non niſi ob duas cauſas ſuſcipiebatur. Prima cùm precatio eius cauſa fieret qui ſacro fonte intinctus eſſet, aut abſolutus aut initiatus, aut in quem collatum eſſet aliquod ſacramentum; eius vt omnis communionis fieret particeps nomen Deo in Altari offerebatur. Secunda cùm ad Altare oblationes alicuius deferebãtur; cùm eo duplici nomine nomina Deo proponebantur, ſeu coram Deo pronuntiabantur; hoc eſt nomine ſuo Eccleſia nomina eorum Deo commendabat, idque oratione quadam ſeu precatione ſingulari facta. Epiſcopus igitur aut Sacerdos in altari nominatim appellaſſet Energumenum oblationis autorem, ac repręſentaſſet, vt ita dicam, eúmque Deo precatione commendaſſet: ſed æquum non videbatur qui agitarentur immundis ſpiritibus & qui ab oblationibus remouebantur, eorum nomen in Altari recenſeri, quod cum iis non eſſet vlla ratione communicandum.

Vt ſua manu. In Concilio Carthag. can. 91. id illis mandatum pręſcriptúmque vt Eccleſias ipſas verrerent ob id maximè, quod in Eccleſiis pernoctarent, vt Dæmonum terrore atque metu libera-

Digitized by Google

rentur id teſtante, atque enarrante can. 92. eiuſdẽ Concilij: quod hoc canone aut aliquid ſimile vetatur.

CANON XXX.

De his, qui poſt lauacrum [m] mœchauerint, ne ſubdiacones fiant.

[n] *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua [o] fuerint mœchati eo quod poſtmodum, per ſubreptionem, ad altiorem gradum [p] promoueantur: vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati amoueantur.*

m mœchati fuerũt Exc. n Subdiaconum cum. Exc. o fuerit mœchatus. Exc. p nõ ſit promouendus. Si autẽ aliqui ſunt, & Exc.

OMNIA fermè ea crimina quorum cauſa clerici honore & gradu poterant priuari, iiſdem erant impedimento quo minùs ad eoſdem gradus & honores adlegerentur, quamuis ea multò antequam promouerentur admiſiſſent. Prætereà in hoc canone illud aduertas, vt in pluribus aliis canonibus ad Subdiaconos, & cæteros minores ordines ſeueras prioris illius diſciplinæ leges quæ in clericos ſancitæ eſſent non pertinuiſſe: ſed ad maiores ordines Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos: quibus cum ſacroſanctum Chriſti corpus poſſent tangere interdictæ eſſent nuptiæ, & cum fœminis conſueſcere. Porrò ex pœnitentibus, ex Neophytis, ex peregrè baptizatis, non poterant adſumi, neque in iiſdem dignitatibus collocari, ſi poſt baptiſmum ſe aliquo crimine vel occultò

ſeſe inquinaſſent: lege canonem nonum Concil. Neocæſariani.

CANON XXXII.

[c] *De excommunicatis presbyteris, vt in neceßitate communionem dent.*

"Apud presbyterum", ſi quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere[d]*, ſed potius apud Epiſcopum; cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei iuſſerit Sacerdos.*

c. fortè leg. de preſbyteris, vt excommunicatis in neceſſ. &c.
" deſunt in Exc.
d ſine Epiſcopi conſultu, ſed pot. ap. l. agat. cogẽte tamẽ inf. non eſt Preſbyterorũ, aut Diaconorum cõmunionem talibus præſtare debere, niſi eis iuſſerit Epiſcop. Exc.

PROHIBENTVR omninò preſbyteri iſto canone pœnitentiam excommunicatis impertire, quod ſummæ poteſtatis ius eſſet, & quaſi ſupremæ iuriſdictionis munus impoſitione manuum peccatori alicui pœnitendi ius concedere: propterea quod hoc ipſo facto excommunicatio tolleretur, pœnitentiæ peragendæ facultas & ius concederetur, peccatíſque certa quædam pœna cruciatúſque decerneretur: atque ea cauſa eſt cur canones hanc poteſtatem ad ſolos Epiſcopos reuocent transferántque: quæ enim maior poſſet permitti poteſtas quam peccata æſtimãdi? Priori igitur huiuſce canonis parte ſtatuitur vt pœnitentia à ſolis Epiſcopis imponatur: poſterioris verò non ita lucida & perſpicua eſt ſententia,

Digitized by Google

tia, multáque in ea reperientur ita latebroſa & obſcura, vt eius ſenſus niſi paulo fuſius, ſingula quæque diſcutiantur, aperiri non poſſit. An huius extremæ partis ſenſus eſt, conceſſa ab Epiſcopo pœnitentia, pœnitentem à Preſbytero & Diacono abſolui poſſe, ſi periclitari cœperit: an verò excommunicato pœnitentiam concedẽdam eſſe à Preſbyteris & Diaconis ſi morte præueniatur, antequam ab Epiſcopo eandem pœnitẽtiam potuerit accipere, hæc enim in alium ſenſum non ſunt dicta, neque ad Euchariſtiam poſſunt referri, quod prioribus ſęculis grauioribus delictis, de quibus in hoc canone agitur, non facile ea concederetur: proptereà neque in Concilio Nicæno, neque tempore Concilij Carthaginenſis ſecundi, Preſbyteri vel cum vrgeret neceſſitas non poterant Euchariſtiam pœnitenti abſoluto porrigere, (vt ex illius 13. & huius 4. canone manifeſtum fit) multò magis quo tempore concilium iſtud eſt habitum, quando diſciplina Euchariſtica ſeuerior eſſet, & paulò vt ita loquar acerbior. Supereſt illarum duarum explicationum nunc vtra magis conueniat, exponere. Poſtremæ nil magis repugnare videtur, quam quòd ius pœnitendi ipſa pœnitentia, re vera nec eſſet, neque à Patribus communio appelletur, quamuis eo nomine poſſet venire, cùm eâ pœnitentibus anathema leuaretur, poſſéntque dum in ea ſtarent excommunicari, vt loquuntur canones; quapropter ſi eo nomine quamuis minùs propriè, à Patribus potuerit cen-

ſeri, egregiè totius canonis ſenſus cohereret: nam in eundem planè ſenſum vox illa, *Communio*, accipienda videtur, atque prior illa *pœnitentia*: Patréſque ſancire à ſolo Epiſcopo petendam eſſe pœnitentiam, non autem à Preſbyteris & Diaconis, niſi inſtante & premente morte. Præterea Diaconi hoc officio fungi poterant, & ab excommunicatione, ſi eis iuſſiſſet Epiſcopus, abſoluere, quæ ſola in hoc canone explicando ſeſe obtrudit difficultas.

Ad peccatorum abſolutionem, extremam huiuſce Canonis partẽ nihil vetat referre, niſi quod Diaconi non eo iure abſoluendi fruerentur, manúſque non imponerent, vt abſoluerent; ſi tamẽ is ſenſus magis probetur de antiqua illa ceremonia, res eſt accipienda, quæ in eo poſita erat, vt cum Epiſcopus manuum impoſitione ad conferendos ordines, aut abſolutionem dandam vteretur; alij Preſbyteri & Diaconi idem omninò facerent, & præeunte Epiſcopo manus imponerẽt: quiſquis enim primis illis temporibus abſolueretur ei non ſolùm ab Epiſcopo, ſed à tota etiam Cleri turba, & collegio manus imponebatur, qui ritus manuſque impoſitiones adeò religiosè obſeruabantur, vt Cypriani nulla maior fuerit in martyres & lapſos, qui ab eis veniam peterent, obiurgatio, quàm quod lapſi communioni reſtituerentur, antequam eis manus ab Epiſcopo & Clero eſſet impoſita Pœnitentibus igitur, inſtante obitu, manus Preſbyteri imponere iubentur, vt

abſoluant, Diaconi item, non vt abſoluant, id enim à Preſbytero erant conſecuti, ſed vt multiplici illâ manus impoſitione intelligeretur, in multorum etiam ſocietatem (Chriſtianorum ſcilicet,) eos eſſe receptos. Canon igitur de illa abſolutione, & manus impoſitione comitatiua loquitur, cum ait, *& Diaconum*: ita enim legendum eſt, & ſequenda Garſiæ correctio, quæ particula illa, *&*, detracta, hanc, *aut* repoſuit.

Placuit agere pœnitentiam, hoc eſt Exomologeſim agere apud aliquem, & ſe meritum fateri cui grauis imponatur pœnitentia.

Neceſſe eſt, hæc verba nec congruere, nec conſentire videntur cum his, *ſi ei iuſſerit Epiſcopus*, nam ſi neceſſariò pœnitentem debent abſoluere Preſbyteri, aut excommunicato, ſi morte prematur, pœnitentiam imponere, quamobrem iubentur huius rei copiam, & facultatem priùs accipere ab Epiſcopo, qui dum conſulitur mors poteſt occupare pœnitentem aut excommunicatum: quare neceſſe eſt concedamus ſtatutum eſſe his verbis, vt ne quidem morienti liceat Preſbytero iniuſſu Epiſcopi veniam indulgere. At verò de pœnitentia ſi mauis illic agi, quam de abſolutione, id ita accipiendũ ſi neceſſitas & excommunicati valetudo ferant, vti Epiſcopum conſulat Preſbyter, & ab eo ius concedendi pœnitentiam impetret, ſin ſecus, metuſque ſit ne morte prę ueniatur, licere Preſbyteris pœnitentiam imponere quæ in morte, ni fallor, nunquam denegabatur.

Digitized by Google

Vulgaris editio quod ad hanc vltimam canonis partem attinet,non omninò reiicienda videtur, *Cogente tamen infirmitate non & Presbyterorum & Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis iuſſerit Epiſcopus.* Olim enim interdictum docet Preſbyteris, vel etiam in cauſa neceſſitatis, abſolutionē tribuere ſine facultate Epiſcopi: quòd ſi perabſurdum portentíque ſimile videatur, pœnitentes ſinere ſine abſolutione ex hac vita demigrare, ſanctum Innocentium adeat, & vltimum canonem Arelatenſis Concilij primi, primum & ſecundum Sardicenſis, tertium Valentiæ in Francia, & omnes huius Concilij canones qui hæc habent, *nec in fine accipiant communionem.* Videtúrque vulgata editio atque etiam emēdata, ſi de abſolutione accipiatur, non diſcedere ab eius Concilij ſeueritate, & tempore quo celebratum & indictū eſt: eóque reſpexit Concilium Nicenum, cum pręfinitum ſtabilitúmque ab eo eſt, vti premente neceſſitate liceat, vel ſine Epiſcopi facultate abſolutionem dare. Can. 13. *Vt ſi quis vita excedat vltimo & neceſſario viatico,* abſolutione *minimè priuetur.* Vnde argumento eſt ante Concilium Nicænum aliud fuiſſe factitatum, ſaltem non ſine probabili coniectura id tueri poſſumus.

Cogente infirmitate, quia non cogente à Preſbyteris nunquam abſolui poterant, quòd in Eccleſia palàm abſoluerentur pœnitentes, aut pœnitentiā acciperent excommunicati: officiáque omnia, quæ publicè fierent fungerentur Epiſcopi.

Digitized by Google

Communionem, abſolutionem aut pœnitentiã, hanc raro, illam frequentiſſimè hoc nomine vocatam reperies, vel etiam de vtrâque ſimul in hoc canone poteſt explicari; moribundis enim eâdem benedictione ius pœnitendi vnà cum pace relaxabatur.

Si ei iuſſerit Sacerdos. Epiſcopus: ex iis liquet pœnitentiam imponere, abſoluere, & his ſimilia ita aliena fuiſſe à Preſbyteris, & præter eorum auctoritatem, vt ea curare atque iis ſeſe immiſcere, niſi iuſſis, non liceret.

Totius canonis is eſt ſenſus: pœnitentia à ſolis Epiſcopis: eadem verò vel abſolutio moribundo poterit à Preſbyteris indulgeri, ſi ab Epiſcopo mittantur.

CANON XXXIII.

De Epiſcopis, & Miniſtris, vt ab vxoribus " *ſe* " *abſtineant.*

" deeſt & C. Aluel.

Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris[e]*, & Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios*[f]*: quicumque verò fecerit ab honore clericatus exterminetur.*

e & Diac. poſt. in C. Aluel. ac Subdiaconibus poſitis. Exc.

f Quod quicunque fecerit ab. Excuſ.

RIDICVLE hunc ita quidam interpretantur quaſi eo prohibitos clericos, ne ab vxoribus abſtinerent, & verba accipienda eſſent. Sonant *prohibere abſtinere*

ſe à coniugibus, ſed tanta & tam antiqua ea de re decreta reperiuntur, vt nihil ambigui in hoc eſſe poſſit.

In totum, omnibus omninò clericis, non vero *omninò*, quaſi ante hoc interdictum aliquo tempore cum vxoribus conſueſcere potuiſſent.

CANON XXXIII.

[g] Cerei. Excuſ. [h] incendantur. Exc.

Ne[g] Cereum in cœmeteriis[h] incendatur.

Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim ſpiritus ſanctorum non ſunt. Qui hæc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſiæ communione.

HIc canon illius Concilij difficillimus ſanè crucem fixit interpretibus, vix vt aut ne vix quidem explicari euoluíque poſſit, quo factum eſt, vt perridiculas & valdè abſurdas explicationes interpretes excogitarint; ideóque mihi magnopere metuendú, ne mea deterior ſententia exiſtimetur. Id autem omnino ſtatuendum eſt quod refelli à quoquam non poſſit, Chriſtianos priſcis temporibus in cœmeteriis verſari & commorari ſolitos: ibique dies noctéſque præconiis perſoluendis tranſigere, canone qui ſequitur id comprobante, ideóque reiici non poſſe quod dicimus, ob eam maximè cauſam, quod tam multa tamque inſignia ederentur miracula, Deo id confirmante,

Digitized by Google

quòd ibi reliquiæ Sanctorum in illis cœmeteriis ſub altaribus conquieſcerent. Ego autem facilè adducor, vt credam Concilij illius Patres opinionem mentémque Tertulliani, D. Cypriani, & eorum qui ea ætate florerēt ſequutos qui animas martyrum ſub altaribus hęrere & habitare, ibique dum eorum mortem Deus vlciſceretur, expectare ſenſerunt: atque adeò verba illa cap. 6. Apocalyp. ad verbum tueri ac recipere, D. Cyprianum de lapſis, *Sub ara Dei animæ occiſorum martyrum clamant magna voce dicentes quouſque domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui in terris inhabitant? & requieſcere ac patientia adhuc tenere iubentur: & quemquem poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis bonum fieri contra iudicem velle, aut priuſquam vindicetur ipſe alios poſſe defendere.* Quibus credere videtur Martyrum animas ſub aris quieſcere: idem de Bono patientiæ, *Vnde etiam clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes expectare adhuc iubentur, & temporibus conſummandis, implendiſque martyribus præbere patientiam, & cum aperuiſſet, inquit agnus, quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamauerunt voce magna dicentes.* Idem ad Quirinum, libro tertio, *Et cum aperuiſſem quintum ſignum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei, & martyrium ſuum.* Tertullianus de reſurrect. carnis, cap. 25. *Etiam in Apocalypſi Ioannis, ordo temporum ſternitur, quem martyrum quoque ani-*

næ ſub altari vltionem, & iudicium flagitantes ſuſtinere didicerunt, vt priùs & orbis de pateris Angelorum plagas ſuas ebibat, & proſtituta illa ciuitas à decem Regibus dignos exitus referat, & beſtia Antichriſtus cum ſuo pſeudopropheta certamen Eccleſiæ Dei inferat, atque ita diabolo in abyſſum interim relegato, primæ reſurrectionis prærogatiua de ſoliis ordinetur: dehinc & igni dato vniuerſalis reſurrectionis cenſura, de libris iudicetur. Idem de anima, capite octauo, *Sol enim corpus, ſiquidem ignis, ſed quod aquila confiteatur, negat noctua, non tamen præiudicans aquilæ, tantundem & animæ corpus inuiſibile carni ſi fortè, ſpiritui verò viſibile, ſic Ioannes in Spiritu Dei factus, animas martyrum conſpicit.* Idem aduerſus Gnoſticos, capite vndecimo, *Sed & interim ſub altari martyrum animæ placidum quieſcunt, & fiducia vltionis candidam claritatis vſurpant, donec & alij conſortium illarum gloriæ impleant.* Quoniam autem cereis ardentibus, igni, fumigationibus, ſpiritus diuexari experientia ipſa animaduerterent: atque in eos magnam virtutem habere vim ignis: haud ſcio an illi Patres vetuerint admoueri cereos ardentes, ne animæ ſanctorum quæ ſub Altari permanerent, admoto igne inquietarentur: non alia mihi explicatio occurrit; quæ poteſt vel inde refelli quod huic Concilio errorem affingat. Sed huic obiectioni reſpondetur in Concilio totius Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Patres decreuiſſe Hæreticos eſſe rebaptizandos.

Quid in hunc canonem ſcripſerit Mendoſa mihi

mihi non eſt compertum, ſed Garſiæ interpretatio poteſt admitti: Sanctorum quippe nomine accipiendi ſunt fideles, quorum ſpiritus, dum orationis cauſa ad Eccleſiam adueniunt inquietantur frequentia, & cura immodica cereorum ardentium.

CANON XXXV.

Ne fœminæ in cæmeterijs peruigilent.

Placuit prohiberi, ne fœminæ in cæmeterio peruigilent; eò quod ſæpe ſub obtentu orationis latenter ſcelera committant.

MVLTI in ſepulchris martyrum curabantur, multáque alia fiebant miracula quorum cauſa ad eadem ſepulchra dies noctéſque morabantur. Tertulliani quoque ætate, vel ante Tertullianum, tantus ad ipſa martyrum ſepulchra Chriſtianorum fiebat concurſus, vt ea re indignati Gentiles, areas Chriſtianis eriperent, hoc eſt loca vbi corpora martyrum deponerentur, *Areæ Chriſtianorum non ſint, areæ eorum non fuerunt, merces enim ſuas non egerunt*; ad Scapulam.

CANON XXXVI.

Ne picturæ in Eccleſia fiant.

Placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere; ne quod
A.aut Ex:. *colitur*[1], *& adoratur, in parietibus depingatur.*

DE picturis, & tabulis, non verò de ſignis aut ſtatuis hic agitur: & de picturis equidem, non quibus ſancti & martyres, ſed quibus Deus ipſe ipſáque Trinitas repręſentaretur: illi ſiquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet quem Gentilibus & Catechumenis immenſum, omnipotentem, inuiſibilem, æternum, incomprehenſibilem ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immuné prædicarent, eum ipſi Gentiles, & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis, & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur diuini numinis maieſtas minueretur, & aliud de Deo depingeretur, quàm prædicarent, & quem ſuprà homines extollerent humana ſpecie depictum oculis obiicerent; vetant ne in Eccleſiis Dei imagines ſuſpendantur: hęc ad Sanctorum imagines nullatenus pertinent. Ad hæc ex Apologeticis pro Chriſtianis, ex Tertulliano & Minutio diſcimus, varios Deos Deorúmque formas Chriſtianis Gentiles finxiſſe, vt quiſque ex eorum ritibus aliquid hauſiſſet, aut aliquid in eorum Eccleſiis adnotaſſet: ita vulgatum Solem eos adorare, quod diebus ſolis frequenter in Eccleſias conuenirent: res turpes eoſdem colere ſuſpicio fuit, quod ad pedes Epiſcoporum voluerentur pœni-

Digitized by Google

tentes. Ne igitur in mentem Gentilibus veniret Chriſtianos, hominem aut Deum humanæ ſpeciei ſimilem adorare, ſi humanas facies in eorum Eccleſiis intuerentur, Deum vetant in eis depingi.

CANON XXXVII.

De Energumenis[k] non baptiſatis.

k Baptiſandis. Exc.

Eos, qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptiſari placet[a]; ſi fideles fuerint, dandam eſſe communionem: prohibendum etiam, ne lucernas „hi„ publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint[b], abſtineant à communione.

a Si verò fideles, &c. Exc.
„deeſt Exc.
b Abſtineãtur. C. A. & reliqua deſunt.

EORVM qui ab immundis ſpiritibus infeſtarentur duo erant genera, quidam perpetuo agitabantur, alij lucidis interuallis gaudebant: in prima canonis parte dandum illis baptiſmum, aut communionem ſi mori eos contingeret; hi à communione, ſi contra diſciplinam quidquam faciunt, aut lucernas accendunt, pelluntur: ſed quorſum hæc verba, aut quamobrem de lucernis potius quam de quauis alia re meminerint? Scimus Chriſtianis interdictum in feſtis Gentilium lucernas accendere; ſed neſcio cur hoc canone id Energumenis potius, quàm aliis prohibetur, neque id coniectura vlla aut diuinatione aſſequi poſſumus.

Digitized by Google

Ad eos etiam qui perpetuo vexarentur extrema canonis referri poſſunt, qui etſi neque Euchariſtiam adirent, neque in communionem precum vocarétur, excommnnicari tamen poterant; hoc eſt funditùs ab Eccleſiæ aditu repelli, neque ad preces & ſupplicationes fundendas adhiberi, neque vt expiarentur admoueri: neque enim, communione ſi quis precum, aut altaris priuabatur, propterea eum excommunicatione perculſum fuiſſe exiſtimandum eſt: vt de Energumenis dici poteſt in quos anathema non contorquebatur; quid enim tali pœna, aut excommunicatione dignum præſtiterant, aut quo ſe peccato polluerát? ij tamen à communionibus ſecernebantur.

CANON XXXVIII.

Vt in neceßitate & fideles baptiſent.

c loco peregrè nauig. C. A.

d Perfici. Exc. & C. A.

[c] *Peregrè nauigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptiſare in neceßitate infirmitatis poſitum Catechumenum: ita vt ſi ſuperuixerit, ad Epiſcopum eum perducat, vt per manus impoſitionem* [d] *proficere poßit.*

HVIVS canonis ſenſus eſt, ſi cui Catechumeno terra vel mari certo occumbendum ſit: poſſe eum à laico ſacro fonte ablui, ſi copia ſacerdotis non ſit: neque verò canon iſte niſi ſola Catechumeni neceſſitate commouetur, hoc

Digitized by Google

hoc eſt non ait, ſi in morte Catechumeni, vnus laicus tantùm adeſſe videatur, imò contra ſubintelligi vult, ſi plures laici tali tempore nō defuerint, tum ſtatui omninò vult, vnus vt è laicis, qui nondum pœnitētiam exoluerit, neque bigamus fuerit, baptiſet: idque ob eam rem, quòd neque Sacerdotes pœnitentiam peragere, neque ea perfecta, abſolutâque ad id eligi, neque bigami eſſe poterant, quas quidem conditiones in vno laico qui baptiſet, requirit ille canon, quòd eo modò ſit Sacerdotis partes acturus, ſi tamen tunc temporis interueniſſet bigamus, vnus tantùm idémque pœnitens, canon ille decreuiſſet, vel ſi illa omnia impedimenta ſeſe obtuliſſent, ab eo potuiſſe ſacrum baptiſma conferri.

Qui lauacrum ſacrum integrum habet, putarim iſta verba id indicare qui poſt lauacrum non peccarit, neque pœnitentiam vllam ſubierit: quòd peccato poſt baptiſmum commiſſo, omnium, vt ita loquar, gratiarum ac beneficiorum quæ acceperat, iacturam faceret: ideóque baptiſmum eius qui deliquiſſet, non integrum, aut incorruptum videri amplius; quòd ex illo diuinæ gratiæ, qua inſtructus erat, quaſi gradu excidiſſet: Patres autem iiſdem propemodum loquendi formulis abundant, aſſerúntque qui lauacro inito nō peccant, eodem omninò candore vitæ & ſanctitatis eos conſpicuos eſſe, quem baptiſmi beneficio acceperant; peccato autem intromiſſo candorem illum penitùs inoleſcere & abſtergi.

Vt per manus impoſitionem, vt confirmetur: confirmatio enim perfectio vocatur Chriſtianorum.

CANON XXXIX.

e vt Gentilibus deſiderantibus manus imponatur. Exc.
f manus. Exc.

[e] *Gentilibus ſi in diſcrimine baptiſari expetunt.*

Gentiles ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi [f] *manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit, eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.*

GENTILIBVS, qui in mortis diſcrimine baptiſati eſſent manus ab Epiſcopis imponendæ, & Confirmationis ſacramento ſignãdi, ſi probi fuerint moréſque conſimiles fidei Chriſtianæ habuerint. Nam ſi ex more turpiſſimorum hominum ante actam vitam duxerint, non ſunt confirmatione perficiendi, quantumuis omnibus vitiis & flagitiis carerent, & omnem extra noxam cenſerentur. Hunc ego ſenſum & explicationem confido Patres ipſos Eliberitanos agnituros pro legitima & pro nata, contra verò quam de baptiſmo nonnulli aſſerunt tanquam ſuppoſititiam repudiaturos, ſi vtrámque aſpiciunt. Quis enim vnquam potuit dubitare an Gentiles eſſent in morte baptizandi? Quis vnquam docuit baptiſmum iis in morte denegandum eſſe, quorum vita non fuiſſet honeſta? Porrò vbinam reperient baptiſmum manus impoſitionem nominari, & iſto

Digitized by Google

nomine à Patribus appellari? Sed aiunt monere titulum ita hunc canonem eſſe accipiendum, *De Gentilibus, ſi in diſcrimine baptiſari expetunt*, mouere quoque & ſuadere hæc verba, *& fieri Chriſtianos*, Gentiliſque nomen, quo qui eſſent confirmandi nunquam appellarentur Hæc aduerſum noſtram explicationem non magnopere faciũt. Nam non conſtat à quo, aut quando tituli appoſiti ſint: Chriſtianíque nomen etſi baptiſatis datum, propriam tamen huiuſce vocis vim & ſignificationé confirmatos indicare alibi obſeruauimus, quòd Spiritu ſancto eiuſque charitate in confirmatione vngantur & diliniantur, Chriſtóque ſimiles efficiantur, qui à Spiritus ſancti vnctione Chriſtus appellatur: Gentiles autem, hoſce vocarunt Patres, quamuis eſſent baptiſati, vt de Catechumenis, qui in infirmitate baptiſarentur non agi docerent. Et quemadmodum canone quadrageſimo ſexto vocant apoſtatas fideles, ita hoc loco nominant baptiſatos Gentiles: non quod eſſent Gentiles, ſed cum in Catechumenatu non ſtetiſſent, fideíque elementa non eſſent edocti, ideò Gentiles vocantur, nam alio nomine non poterant nominare & appellare eiuſmodi Gentiles qui extra ordinem & ſine Catechumenatu eſſent baptiſati. Quamobrem autem ſtatuerint Patres Eliberini vt Gentiles, qui in infirmitate baptiſati eſſent, confirmarentur, ea potuit eſſe cauſa quod poſt confirmationem ſubinde nulláque interiecta mora Euchariſtia confirmatis tribueretur.

Digitized by Google

Quidam igitur non exiſtimabant eam ſatis tutò & conſultò eius fidei credi & committi poſſe, qui in rebus Chriſtianæ religionis, & in eiuſmodi myſteriis parum eſſet eruditus; nam ad ſanitatem ea accepta poterat redire, eiuſque myſteria, & arcana diuulgare. Præterea myſteriorum participes hos eſſe nolebant, qui turpem vitam exegerant, ne recuperata ſanitate, animus praua conſuetudine & cupiditate detentus, ad eadem vitia facilius relaberetur, & indumentum Spiritus ſancti ipſúmque Chriſtum exueret.

Gentiles, Pagani, qui ne morte interciperentur, extra ordinem baptiſati eſſent, & antequam in Catechumenatu erudiri poſſent.

Si in infirmitate, nam ſi mortis metus non vrgeret, erudiendi erant antequam confirmarētur, aut baptiſarentur.

Deſiderauerint, non petentibus manus non erat imponenda, quod baptiſmo ſatis ad ſalutem pręſidij conſecuti eſſent.

Manum imponi, confirmari; nam de ea manus impoſitione, quæ pro ritu & ceremonia in baptiſmo vſurparetur, næ illi egregiè hallucinantur, qui interpretantur; quaſi ea indignus ille videri potuiſſet, cui ipſummet baptiſmum collatum eſſet.

Fieri Chriſtianos, vngi & Spiritu ſancto perfundi, fieri Chriſtos vt loquitur D. Cyrillus Hieroſolymitanus.

Cæterùm in Concilio Arelatenſi primo can. 6.

idem

Digitized by Google

idem omninò ſtatuitur. *De his qui in infirmitate credere volunt placuit, debere iis manum imponi.* Hoc eſt iis qui in infirmitate volunt baptiſari Cõfirmatio quoque tribuenda.

CANON XL.

Ne[g] id quod idolothytum eſt, fideles accipiant.

Prohiberi placuit, vt cum rationes ſuas accipiunt poſſeſſores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non[h] referant; ſi[i] poſt interdictum fecerint, per quinquennij ſpatia[k] temporum à communione eſſe arcendos.

[g] de hoc quod idolis datum eſt. Excuſ.
[h] inferant. Exc. ferant C. Aluel.
[i] ſi vero poſt. Exc.
[k] temporis. Exc.

EX Poëtis illud haurias è terræ frugibus Diis ſuis libare, & offerre ſolitos Ethnicos; quod per Canonem Chriſtianis facere non licet.

CANON XLI.

Vt prohibeant domini idola colere[l] ſeruis.

[m]*Admoneri placuit fideles, vt in quantum poßint, prohibeant, ne idola in domibus ſuis habeant: ſi vero vim metuunt ſeruorum, vel ſeipſos puros conſeruent; ſi non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur.*

[l] ſeruis ſuis. C. Al.
[m] admoneri eq. Exc.

PRIVATOS domi Deos, & parua ſimulachra colebant: Suetonius in Domitiano, *Puer qui curæ Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens*, hoc igitur canone admonentur patresfamilias ne domi à ſeruis aut liberis hæc haberi & coli ſinant, ſi verò id præſtare nequeunt, ne ab eis deferantur & accuſentur, nihil illis immolent.

Si vim metuunt ſeruorum, verba iſta non dubitanter aſtruunt, Concilium illud difficillimis perſecutionum temporibus, atque adeò ante Conſtantinum conuocatum: nam nominis delationem per ſeruos ſuos fieri non exhorruiſſent, ſi impunitate propoſita potuiſſent ad arbitrium religionem quamlibet amplecti & tueri.

CANON XLII.

n quomodo. Exc.

De his qui ad fidem veniunt[n], quando baptiſentur.

o bien. temporis. Exc. temporum. C Al.

p ſocio. Exc.

Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, ſi bonæ fuerint conuerſationis, intra[o] biennium placuit ad baptiſmi gratiam admitti debere; niſi infirmitate compellente, coëgerit ratio, vel[p] ocyus ſubuenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti.

CANONE iſto patet Catechumenatus tempus biennij ſpatio contractum & definitum.

Ad fidem primam credulitatis accedunt, ita lo-

quuntur Patres & canones Arelatenſes qui credere volunt: in hoc Concilio, can. 44. *Si poſtmodum ad credulitatem venerit*, ſi ad Chriſti fidem venerit, ſi ſe in Chriſtum credere velle dixerit, ſi ſe erudiri rogauerit; hæc in eandem ſententiam accipienda, *ad fidem primam credulitatis*, qui de Chriſti fide doceri cupiunt: *qui primis fidei rudimentis* imbui cupiunt.

Si bonæ fuerint conuerſationis, ſi faciant in ipſo Catechumenatu, quod fidei Chriſtianæ tyrone dignum ſit.

CANON XLIII.

De celebratione Pentecoſtes.

Prauam inſtitutionem emendari placuit, iuxta auctoritatem Scripturarum, vt cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha[a] *celebremus, non quadrageſimam, niſi quinquageſimam. Qui non fecerit, nouam hæreſim induxiſſe notetur.*

[a] cuncti celebremus quod qui non. Exc.

NON omninò liquet hoc canone decretum diem duntaxat Pentecoſtes, an quinquaginta poſt Paſcha dies celebrandos: vulgaris lectio de ſolo Pentecoſtes die, emẽdata totos quinquaginta dies feſtiuos habendos ſtatuiſſe videtur, his adiectis, *non quadrageſimam, niſi quinquageſimam*. Præterea certum eſt ſuperioribus tempo-

Digitized by Google

ribus Pentecoſtes non vnicum diem; verùm à Paſchate ad Pentecoſtẽ totos illos dies à Chriſtianis celebratos, Tertullianus, *Excerpe ſingulas feſtiuitates nationum vix Pentecoſten implere poterunt.* Nicænum quoque Concilium, eoſdem quinquaginta dies ſolemnes fuiſſe indicat, vetitis adgeniculationibus. Quapropter in eam potius ſententiam hunc canonem acciperem, vt dies quinquaginta quam vnicum Pentecoſtes diem obſeruandum ſtatuat; verùm qua ceremonia quinquaginta illi dies traducerentur, non liquet: non ceſſatione operarum; neque enim credibile videtur, tenuiorum ſanè & inopum cauſa; quos ab intermiſſione laboris Pagani facilè internoſcere potuiſſent, quapropter potiùs exiſtimarim, quantum ego coniicere poſſum, dies illos celebrari & agitari conſueuiſſe, publicis de more miſſarum ſacrificiis, Euchariſtiæ quoque ſumptione ſanctiſſimè obita, aut elogiis recitandis. Addo etiam commune quoddam, & publicum gaudium quo elati ieiunare definirent, Deúmque ſtantes omiſſa genuflectione, laudibus & hymnis extollerent, & benedicerent.

CANON XLIV.

De meretricibus paganis, ſi[b] *conuertantur.*

[b] conuertātur. Exc.

Meretrix quæ aliquando fuerit, & poſteà habuerit

maritum; ſi poſtmodùm ad credulitatem venerit, incunctanter placuit eſſe recipiendam.

NONNVLLIS venerat in mentem ſubdubitare num fœminæ illius quæ ſe flagitiis criminibúſque implicaſſet, Catechumenatus tempus prorogandum eſſet, quod in expiatione flagitiorum poneretur. Canon autem præſcribit eodem temporis interuallo, quo alij Catechumeni retineri poſſe: & illud *incunctanter* non indicat eodem puncto momentóque temporis recipiendam. Nam aliæ, quæ non ita ſceleratè flagitioſéq; peccaſſent ante Catechumenatum, non eodem tempore quo ad Eccleſiam ſe conferrent, recipiebantur.

CANON XLV.

De Catechumenis[c], ſi ad Eccleſiam non frequentant.

Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de clero[d] quiſque cognouerit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit, ei baptiſmum non negari[e], eo quod in veterem hominem deliquiſſe videatur.

[c] qui Eccl. Exc. & C. Al.
[d] quiſquam agnouerit voluiſſe eſſe. Exc.
[e] eo quod veterem hominem dereliquiſſe, &c C. Al. recte.

QVÆ tandem res illa ſeu quæſtio, quæ hoc canone diſceptatur? vtrumne id in eo conſtituitur, baptiſmus vt Catechumeno Apoſtatæ,

vt ita dicam, non denegetur ſimul atque ſeſe obtulerit, tametſi non ſe legibus Catechumenatus alligandum tradiderit, ſi teſtificationibus veriſſimis comprobarit aliàs ſe Catechumenatus tempus præfinitum traduxiſſe, id ſanè credibile non eſt, quod fidem faciat canon ille; cùm in eo de vno quodam, qui paganiſmum olebat (vetus inquam homo habebatur) diſſeritur, qui quod longo interuallo à Chriſtiana fide defecerat, penitùs Paganus & Ethnicus exiſtimabatur, erátque. Neminem autem fugit, non ante quenquam Paganorum ſacro fonte ablui ſolitum, quam inſtitutus inſtructúſque eſſet, & ſalutaribus Catechumenatus legibus eruditus perpurgaretur. Accedit eodem, quod ſi Catechumeno ob flagitia & crimina in ipſo Catechumenatu perpetrata, Catechumenatus tempus protraheretur, probatius multo futurum, vt Catechumenus Apoſtata qui idololatriæ ſeſe ſcelere obſtrinxiſſet, & Catechumenatum ſuum, ipſámque Eccleſiam per infinita tempora deſeruiſſet, iterum Catechumenatus curriculum, quod aliàs percurriſſet, conficeret.

An verò preſcriptum vti ad baptiſmum ſuſcipiendum Catechumenus Apoſtata, ipſo prius Catechumenatus curriculo decurſo recipiatur, ac ſi aliàs nunquam in ipſum ingreſſus eſſet; ſed teſtimonium ceu argumentum, quod canone ipſo deſideratur, ei aduerſatur penitùs. Quorſum quæſo vt inter Catechumenos reponeretur, neceſſe eſſet prius recognoſcere fuerítne aliquando è Ca-

techumenorum numero ? Deinde nulla conditio requirebatur in eo caſu: ſiue enim id teſtimonio aliquo confirmari poſſet: ſiue nulla teſtificatio proferretur: ne vitiis atque flagitiis coopertus quiſquam repelli poterat, aut excludi à catechumenatu aut à baptiſmo. Neque enim Eccleſia vnquam eo de facto dubitauit. Quid, quod facilè eſt videre non aliá ob cauſam illam teſtimonij authoritatem comparari, quam vt apoſtata ille ſubleuetur, & patrocinio quodam fulciatur. Quòd tandem beneficium, aut gratia illa dici poteſt eiuſmodi hominem inter catechumenos reponi, eúmque interim baptiſmo priuari, donec plenum atque integrum catechumenatus temporis ſpatium ac ſi in eo nunquam ſtetiſſet, decurrerit?

Quicquid tandem afferatur, non ſatis ad teſtes accommodari poterit, neque ſi dicas quorundam fuiſſe ſententiam eiuſmodi Apoſtatas diutiùs, quàm cæteros catechumenos, in ipſo catechumenatu detinendos, quod à fide defecerant, Patréſque hanc nimiam in eos acerbitatem ſuſtuliſſe, catechumenatúmque eis duorum annorum; & non amplius eis præſcripſiſſe: ſi modò teſtes inueniri poſſent, qui eos olim catechumenos fuiſſe affirmarent. Sed quid opus erat teſtibus ad confirmandum eos olim fuiſſe catechumenos, cùm id ipſum in hoc canone ſupponatur, & detur, & de his agatur qui fuiſſent catechumeni. Nihil opus eſt probatione ad euincendum quod ita eſſe ponitur: imò vt leuius caſtigarentur, contrarium

potiùs erat probandum eos ſcilicet nunquam fuiſſe catechumenos; quia ob hanc maximè cauſam erant inuiſi & puniendi, quod ab Eccleſia deſciuerant.

Quæ me res eo prorſus pellicit impellítque, vt nihil eorum quæ dixi, in canonis illius ſenſum intelligentiámque quadrare putem; ſed exiſtimarim agi de catechumeno Apoſtata, qui mortis inſperatæ diſcrimine interceptus, baptiſmum peteret, & cui ante vox intercluderetur, quam ad eum acceſſiſſet preſbyter: id ſi ita ſit, omnia canoni conſonant conſentiúntque: omnibus quippe canonibus paſſim legas deſiderari teſtimonium aliquod quo ij baptiſentur, quibus erepta vox eſt: non ſecùs atque requiritur, pœnitentium maxime cauſa, aut excommunicatorum, quibus hoc ipſum incommodum obtigiſſet, canone 76. Concilij Carthaginenſis quarti: *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in freneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu ſacerdos qui pœnitentiam dedit, probauerit.* Canone 12. Arauſicani primi, *Subitò obmuteſcens, pro vt ſtatutum eſt baptiſari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo*

Digitized by Google

in ſuo nutu. Leonis epiſtola 89. ad Theodorũ Foroiulienſem Epiſcopum, *Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pænitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, ſeruata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt.* Quibus locis, Patres eos eſſe baptiſandos quemadmodum ſtatuunt qui morbo obmutuerant, ſi reperiantur qui teſtimonium dicant, iiſque verbis vtuntur, *ſi teſtimonium aliorum verbis habet.* Item, *Dent teſtimonium qui eum audierint.* Item, *Teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debebunt:* Non aliter hoc canone moribundi, & muti baptiſari iubentur. *Si eum de Clero quiſquam agnouerit voluiſſe eſſe Chriſtianum, at teſtes aliqui extiterint fideles*, quorum ſcilicet fide & teſtimonio opus erat, ne inuito & non petenti, Chriſti ſacramenta præberentur.

Huic explicationi non minimum repugnare videntur hæc verba, *eo quod in vetere homine deliquiſſe videatur*: quid enim attinebat eius culpam minuere, cuius nullum tam graue facinus extare poterat, quod baptiſmi gratiam impediret? Sed quidquid tandem in hunc canonem dixeris, ea ipſa verba non minùs obſtare reperientur. Prætereà magnum erat inter Catechumenos & Gentiles diſcrimen, horum leuia ducebantur flagitia, illorum tametſi non omninò cenſerentur Chriſtiani, grauius puniebantur, quam Gentilium: neque aliunde id potuit . c idere

Digitized by Google

quod quidam dubitarent an eſſent baptiſandi, qui ciurata fide ad Idololatriam rurſus & Dierum cultum animum applicarant: neque ita ratio dubitandi aliena erat ab auſtera ſeueráque diſciplina temporis illius quo Concilium indictum eſt, nam cum iiſdem temporibus, & ob eaſdem cauſas abſolutio Apoſtatis qui immolarant in morte denegaretur, iiſdem iudiciis hos Apoſtatas Catechumenos feriẽdos eſſe, erant qui ſuſpicarentur: quod dubium tollitur hoc canone atque eodem docent Patres in Catechumenis Apoſtaſiam minus flagitioſam videri, quod non eſſent Chriſtiani, & errore atque ignorantia ducerentur, & peccarent.

Nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, deſierit eſſe Catechumenus.

Cognouerit eſſe Chriſtianum, voluiſſe eſſe Chriſtianum ita legendum ex vulgari lectione: hoc eſt ſi quiſquam audierit baptiſmum eum antequam obmuteſceret petiiſſe.

Eo quod in veterem hominem, vulgaris, *in vetere homine*, & melius: nam quidquid peccarant antequam ad fidem accederent, Chriſtúmque agnoſcerent Gentiles id in vetere homine, in Adamo, & in ſtatu ignorantiæ factum & admiſſum accipiebatur, atque adeò eorum peccata inuoluntaria vocabantur. His igitur, *vetus homo*, paganum deſignari putes. Ita loquuntur ſcriptura, Patres, Concilia. Tertullianus de pudicitia, *vtroque homine purgatus* pagano & hæretico: S. Leo epiſtola 91. *à conditione veteris hominis liberari*. Aiunt igitur Catechumenum qui per infinita

Digitized by Google

tempora militiam Chriſtianam tyrociniumque deſeruerit baptiſandum eſſe eiuſque Apoſtaſiæ peccatum à Gentili, non à fideli commiſſum cenſeri debere.

CANON XLVI.

De fidelibus ſi apoſtatauerint, quandiu pœniteant.

Si quis fidelis apoſtata, per infinita tempora, ad Eccleſiam non acceſſerit; ſi tamen aliquando fuerit reuerſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos[f]*, placuit communionem accipere.* f pla.cum Exc.

PRÆCEDENTI ſeu ſuperiori canone quid fieri agíque oporteat contra apoſtatas catechumenos, vt ita dicam, actum, & diſputatum: hoc autem quid contra apoſtatas fideles: atque hoc præcipuè vt decem annorum pœnitentiam facere cogantur, ſi non Diis immolarint: alioquin Concilium illis vel in ipſo exitu ſeu morte abſolutionis ſpem eripit.

Si tamen aliquando fuerit reuerſus, ante mortem ſcilicet, nam ſi in infirmitate & ſolo mortis metu veniam flagitarent, repellendi erant omninò canone vltimo Arelat. Concilij primi.

Nec fuerit idololatra, nam ſi ſcelus geminaſſet, vt loquuntur, ne in morte quidem erat in gratiam reſtituendus.

Digitized by Google

CANON XLVII.

De eo qui vxorem [g] habet, ſi ſæpius mœchatur.

[g] Habet, ſi ſæp. Exc.

Si quis fidelis habens vxorem, non ſemel, ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conueniendus: quod ſi promiſerit ceſſaturum, detur ei communio: ſi reſuſcitatus, rurſus fuerit mœchatus, placuit vlterius non [h] ludere eum de communione pacis.

[h] Edere Exc. non illudere alios de com. Burch.

D*ETVR ei communio*, abſoluatur..

Vlterius non ludere, abſolutio ei in morte deneganda. Ex iis liquet vnicam olim poſt baptiſmum fuiſſe pœnitentiam, & eum perpetua pœnitentia puniendum qui impetrata venia rurſus ad eadem relaberetur: idẽ Canone tertio.

Communione pacis, communio, communio pacis, communio fraternitatis, abſolutio, ſimplex reconciliatio, & ſimilia eiuſdem ſunt ſignificationis.

CANON LIV.

De parentibus qui fidem ſponſaliorum frangunt.

[k] Abſtineant ſe à communione. ſi Exc.

Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennij tempore [k] abſtineant ſe à communione. Si tamen ijdem ſponſus vel ſponſa [l] in illo graui crimine fuerint depræhenſi, ex-

Digitized by Google

cuſati erunt parentes: [m] *Si in eiſdem fuerit vitium & pol-luerint ſe* [n] *conſentiendo, ſuperior ſententia ſeruetur.*

Iuo.
l In illo graui Exc.
m Si vero in eodem.
ſ Vitio, & p. ſi conſentiendo Exc.
n Superioris. C. Al.

IN *illo graui crimine*, hæc lectio mihi magis arridet, quia magis conſentanea rationi: rationem quippe continet, quamobrem parentes omni culpa & crimine liberat, quia cum qui matrimonium contraxerant ſponſi & ſponſæ, fidem datam perfregerint, parentes & agnati omni culpa vacant.

CANON LV.

De ſacerdotibus Gentium, qui iam non ſacrificant.

Sacerdotes, qui tantum [a] *coronam portant, nec ſacrificant, nec de ſuis ſumptibus aliquid* [b] *ad idola præſtant, placuit poſt biennium accipere communionem.*

a Sacrificantium coronam. Exc. C. Al. coronas.
b idolis Exc.

S*ACERDOTES*, ſole meridiano clarius eſt de Chriſtianis, qui Paganorum ſacerdotes eſſent verba fieri: non autem vt quidam exiſtimant de iis qui antequam Chriſtianam fidem complexi eſſent, eo ſacerdotum officio fungerentur: vnde coniicias non obſcurè confirmari ea, quæ prioribus canonibus attulimus, in ijs de flaminibus diſputari, qui Chriſtiani eſſent: non autem qui fuiſſent, neque enim vnquam per Canones videas ea caſtigari peccata, quæ ante baptiſmum committerentur: quin neque Canon neque

Digitized by Google

locus vllus, neque auctoritas patrum afferri poteſt, quæ id probet. Plurima autem variaque erant idololatriæ genera apud Ethnicos: ideoquè præter Canones ſupra citatos Patres illi, genus aliud animaduerſionis aut pœnæ decreuerunt in ſacerdotes Paganorum, tametſi aliud nihil quam coronam geſtarent, neque vllos, quo Dijs honos perſolueretur, ſumptus facerent.

CANON LVI.

De Magiſtratibus &[c] duumuiratis.

c dominantibus.
d prohibere Exc.
e placet C. Al.

Magiſtratum vero vno anno, quo agit duumuiratum, [d] prohibendum [e] placuit, vt ſe ab Eccleſia cohibeat.

VNO *anno*, quod duumuiri, non vltra annum vnum magiſtratum protraherent.

CANON LVIII.

De his, qui communicatorias litteras portant, " vt de fide interrogentur. "

" " deſunt in Exc.

g vbicunque Exc.
h primæ cathedræ conſtitutus eſt epiſcopus. Exc.
i & ſuo teſt. comprobent Exc. & vnus manuſcript.

Placuit, [g] vbique & maxime in eo loco, in quo [h] prima cathedra conſtituta eſt Epiſcopatus, vt interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant; [i] ſuo teſtimonio comprobati.

SVSCIPI aut conſici peregrinationes, & itinera non poterãt ſine literis cõmunicatoriis, aliter iure hoſpitalitatis caruiſſent, quod à Chri-

Digitized by Google

ſtianis vſurpabatur: neque ad communionem admitti eos fas erat: hic autem mos inualuerat, vt Epiſcopi in iis literis, quas viatores Epiſcopis legendas offerebant, adſcriberent diem illum, quo illi diœceſim obiiſſent: & quemadmodum ſe in ea geſſiſſent: atque iſta ratio ſuſcipiendi viatores, agendíque cum illis eo pertinebat, ne cum peccatoribus commercio aliquo communicarent: quis enim non intelligit eos toto illo itinere perficiendo peccare, ſuóque congreſſu ac ſocietate in eãdem turpitudinem eos, qui nec opinantes, aut cogitantes, cùm iis verſati fuiſſent, potuiſſe pertrahere? Hoc autem ex hoc canone collige viatores literas communicatorias non ſolum Epiſcopis, ſed & Eccleſiarum rectoribus, aut quacumque tranſirent obtuliſſe; verùm ſimile tamen eſt ab aliis præterquam ab Epiſcopis, nil quicquam in ipſis literis adnotatum.

CANON LIX.

De fidelibus, ne ad Capitolium cauſa ſacrificandi aſcendant.

Prohibendum, ne quis Chriſtianus[k], *vt Gentilis ad idolum Capitolij cauſa ſacrificandi, aſcendat, & videat, quod ſi fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, poſt decem annos, acta pœnitentia, recipiatur.* k aut. Exc.

ARBITROR ita legendum eſſe *cauſa ſacrificij*, ſubintellige *videndi*, nam ſi animo ſacrificandi interfuiſſent, atrociori ſupplicio afficerentur, neque in

Digitized by Google

morte iis ad communionem aſpirare liceret.

Quod ſi fuerit, ſi ad Capitolium aſcenderit, vt ſacrificio intereſſet, neque tamen illud aſpicere, aut intueri ei licuerit, pari pœna ſupplicióque mulctetur, atque illud ſi oculis vſurpaſſet, cùm eius voluntas fuerit vt videret: neque verò ſenſus ſententiáque ita perſpicua manifeſtáque, ſi de iis ſermonem fieri dicamus, qui ſacrificandi cauſa eo pergerent, qui tamen non ſacrificarent, quique tantùm id à ſe viſum eſſe & ſpectatum lætarentur, quia nec in morte communione erant donandi, qui ſacrificarant, vt ex primo canone conſtat.

CANON LX.

De his qni deſtruentes idola, occiduntur.

[l] quia. Exc. [m] ab. Exc. Iuo. Bur. [n] in numerum. Exc.

Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus[l]*; quatenus in Euangelio ſcriptum non eſt, neque inuenitur*[m] *ſub Apoſtolis vnquam factum, placuit*[n] *in numero eum non recipi martyrum.*

I*N numero eum non recipi martyrum*, ex D. Cypriano colligitur annua die memoriá olim martyrum celebratam, nam actis publicis inſcribebatur quo quiſque die martyrium ſubierat: Ex hoc canone non ſolùm neminem poſt mortem in eorum relatum eſſe numerum niſi ex præſcripto & mandato Eccleſiæ, ſed eam etiam eoſdem martyres coluiſſe, & precibus proſecutam

cutam eſſe, quamobrem enim eorum cauſam habuiſſet, niſi vt falſi & pſeudomartyres non colerentur.

CANON LXI.

De his qui duabus ſororibus copulantur.

Si quis poſt obitum vxoris ſuæ, ſororem eius duxerit, & ipſa[a] *fuerit fidelis*[b], *quinquennium à communione placuit*[c] *abſtineri; niſi fortè dari pacem velocius, neceſſitas coëgerit infirmitatis.*

a ſit. Exc.
b quinquẽnio. Exc.
c abſtinere. Exc.

ET *ipſa fuerit fidelis*, quia ſi ea Gentilis fuiſſet, geminato ſcelere, legibus grauiores pœnas dediſſet.

CANON LXIII.

De vxoribus, quæ filios[h] *ex adulterio necant.*

h de adulteris. Exc.

Si qua[i] *per adulterium, abſente*[k] *marito, conceperit, idque poſt facinus, occiderit, placuit*[l], *neque in fine dandam eſſe communionem; eo quod geminauerit ſcelus.*

i ſi qua mulier. Exc.
k marito ſuo. C. Al.
l ei neque. Exc. ei vix in. Burch.

ZEPHERINI edicto, mœchia, paulò poſt homicidium, veniam poſt longam pœnitentiam impetrauere; ſed huiuſce Concilij tempore, qui vtriuſque huius criminis reus deprehendebatur, nec in fine paci Eccleſiæ reddebatur: ſceleris geminatio aut repetitio, vel in

Digitized by Google

extremo vitæ periculo communione indigna videbatur.

CANON LXV.

De adulteris vxoribus Clericorum.

[q] ſciat. Exc. [,,] deſunt ab. Excuſ.

Si cuius clerici vxor fuerit mœchata, & [q] ſcierit eam maritus tuus mœchari, & non eam ſtatim proiecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ conuerſationis eſſe debent [,,], ab eis [,,] videantur ſcelerum magiſteria procedere.

CLERICI, lectores ſcilicet Exorciſtæ, & eiuſmodi minorum ordinum Eccleſiaſtici, qui cum vxoribus vnâ manere poterant.

CANON LXVII.

De coniugio Catechumenæ fœminæ.

[a] comicos, aut viros ſcenicos habeat, quæ hoc fecerit à com. arceatur. Exc.

Prohibendum, ne qua fidelis, vel Catechumena, aut [a] comatos, aut viros cinerarios habeant. Quæcunque hoc fecerint à communione arceantur.

QVi tituli huiuſce canonis fidem & auctoritatem ſequeretur de maritis Catechumenarũ eum agere exiſtimaret, multumque ſollicitus eſſet quamobrem vetaret Catechumenas comatis & cinerariis nubere: puellis enim quæ eſſent in patria poteſtate id vitio aut fraudi verti non poterat, præterea & ſi genus

Digitized by Google

eſſet aliquod vitij aut peccati hiſce rebus nimium ſtudere, tam graue tamen videri non potuit, vt eiuſmodi hominum vxores alieni delicti pœnas darent. Ad hæc cum gentilibus non liceret filias locare, in maritos potius quam in vxores erat animaduertendum: ex quibus perſpicere licet de maritis Catechumenarum mentionem hic non eſſe, ſed de viris quos nonnullæ mulieres in delitiis haberent.

Comatos aut viros cinerarios, non immutanda hæc lectio, mulieres enim intemperantes & paganæ illarum maxime regionum quæ ſolis æſtu ardoreque torrentur, vt Hiſpaniæ, Africæ, Ægypti, & aliorum locorum euocare ad ſe ſolebant aut inter ſeruos habere externos vt Germanos & è Gallia petitos viros, quibus natura ipſa elegantiorem formā ſpeciemque cœli & ſolis clementia induxerat, quā ijs qui propius à vehementiſſimo calore abeſſent: atque ob eam cauſam maxime vt ad libidines explendas eorum opera abuterentur. Tertullianus ad vxorem libro ſecundo exprobrat viduis eaſque criminatur, quod paganos opibus affluentes eligere malint quam pauperes, & tenuis fortunæ Chriſtianos, quò facilius ſumptus faciendos ſuſtineant; *bonum exhibenda ſellæ & mulabus & cinerariis peregrinæ proceritatis*. Clemens Alexandrinus Catechumenorum inſtitutor ac doctor eam conſuetudinem vituperat. Canon igitur vetat ne Chriſtianæ aut Catechumenæ mulieres Ethnicorum morem æmularentur, ſeruoſque comatos haberent quæ Dominæ impudicitiam exprobrarent.

A communione arceantur, Catechumena à commu-

nione & à ſocietate fidelium non poterat arceri; ſed ab Eccleſia & à Catechumenatu.

CANON LXVIII.

De Cathecumena adultera, quæ filium necat.

b & conceptum necauerit, p. eam. Exc.

Catechumena ſi per adulterium conceperit[b] *& præfocauerit, placuit in fine baptiſari.*

PAVLO altius idem concilium communionem adimit vel in morte Chriſtianæ mulieri quæ in idem peccatum prolapſa fuerit; hic contra Catechumena non niſi prorogationem Catechumenatus pœnæ nomine ſuſtinet.

CANON LXIX.

De viris coniugatis, poſtea in adulterium lapſis.

c quinquennio agere debere pœ. Exe.

Si quis forte, habens vxorem, ſemel fuerit lapſus, placuit, eum[c] *quinquennium agere de ea re pœnitentiam, & ſic reconciliari; niſi neceſſitas infirmitatis coegerit, ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas obſeruandum.*

SVNT qui probant ex hoc canone *reconciliare*, nihil aliud olim fuiſſe quam communionem dare, & rectè, nam multa ſunt quę hanc explanationem comprobant: ſed cum aiunt, com-

Digitized by Google

munionem, Euchariſtiam ſignificare, vtereſq; ſacramentum reconciliationis cum ſacramento Euchariſtiæ ſemper coniunxiſſe, aut communione Euchariſtiam ſemper intelligi; errant meo iudicio atque huic opinioni ſubſcribere non poſſum: nam in tertio pœnitentiæ gradu pœnitentes & ſubſiſtentes communicabant, erantque reconciliati, qui Euchariſtiæ non participarent.

CANON LXXII.

De viduis mœchis, ſi eundem poſtea maritum duxerint.

Si qua vidua fuerit mœchata, & eundem poſtea & habuerit maritum, poſt quinquennij tempus, actâ legitimâ pœnitentiâ, placuit, eam [g] *communioni reconciliari: ſi alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam eſſe communionem: vel ſi fuerit ille fidelis, quem* [h] *accepit, communionem non accipiat, niſi* [i] *poſt decem annos, acta legitima pœnitentia;* [k] *niſi infirmitas coegerit velocius dare communionem.*

g communione. Exc. ad communionem. Grat.
h acceperit. Exc. accipit. C. A.
i per. C. A.
k vel ſi. C. A.

FVERIT *moechata*, vidua poteſt mœchari cum homine coniugato.

Acta legitima pœnitentia, illa vocabatur legitima quæ omnes pœnitentiæ gradus, vel tres ad minimum pertranſiret; & in vnoquoque bona fide & ex animo pœnitentium ritus & ærumnas pateretur.

Vel ſi fuerit fidelis ille quem acceperit, hoc ita intelligo, ſi relicto viro alium & fidelem duxerit, fidelis ille de-

Digitized by Google

cem annos communione priuetur. Hæc mulcta viro non mulieri imponitur;nam in minori non erat culpa ſi fideli quam gentili nupſiſſet.

Poſt decem annos, quibus rebus toto hoc tempore vacarent, aut quot eis annos in vnoquoque pœnitentiæ gradu ſtandum & morandum eſſet, non præſcribunt, quod ni fallor, id Epiſcopi arbitrio permitteretur, cuius partes eſſent animos pœnitentium obſeruare, & ita tractare vt ad exitum pœnitentiæ peruenirent, & graduum moras & diſcrimina præcipiti feſtinatione non confunderent.

CANON LXXIII.

De Delatoribus.

Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem eius[1] *aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit, eum*[a] *nec in fine, accipere communionem. Si leuior cauſa fuerit, intra quinquennium, accipere poterit communionem. Si Catechumenus fuerit,* [b] *poſt quinquennij tempora admittatur ad baptiſmum.*

[1] aliquis fidelium. f. Grat.
[a] alias non niſi in fine. in Exc. Burch. & Grat.
[b] poſt quinquennium. Grat. & Exc.

D*ELATOR*, qui ad iudices ſeculares Chriſtianos deferebat, quique eos eo nomine accuſabat; verba iſta *proſcriptus & interfectus*, aperte coarguunt, ita rem ſe habere: neque enim vnquam, quemquam Eccleſia aut proſcribit, aut morte mulctat: hoc propterea dixi quod cum de falſis teſtibus, aut delatoribus in canonibus agitatur, id de peccatis potius quam

Digitized by Google

de criminibus & de Eccleſiaſticis quam de Iudicibus & Magiſtratibus accipiendum ſit.

CANON LXXIV.

Secundum vulgatam editionem.

De falſis teſtibus.

Falſus teſtis prout crimen eſt abſtinebit: ſi tamen non fuerit mortis quod obiecit. Et ſi probauerit, quod diu tacuerit, bienniј tempore abſtinebit. Si autem non probauerit in conuentu Clericorum; placuit per quinquennium abſtinere.

VERE editio vulgaris multo melior, quã Garſiæ, neque enim ſententia vlla, aut ſenſus canonis illius ex eius editione elici poteſt: meo quidem iudicio, canone illo agi videmus de iis qui apud Epiſcopum, aut Clerum aliquos inſimulant peccati, aut flagitij alicuius admiſſi: vt verba illa, *non probauerit conuentui Clericorum, aut in conuentu Clericorum*, clariſſimè demonſtrant, primáque illa canonis eius parte diſſeri de modo quo puniendi ſunt, qui falſum crimen & peccatum innocentibus coram Eccleſiaſticis obtrudunt. In ſecunda quemadmodum ij caſtigandi ſunt, qui diutiùs accuſationem protulerint, quamuis accuſationis ſuæ crimina illata probent, quòd ſua illa dilatione ceu procraſtinatione forſan contigerit, vt peccati contagione ceu labe contaminatus aliquis, aliis fidelibus ſuo congreſſu labem intulerit, & cum eis communicauerit. In vltima

parte de iis qui non falſum teſtimonium quidem attulerunt, ſed cum aliquem deliquiſſe criminentur, id argumentis ſigniſque veriſſimis probare non poſſunt. Quo fit, vt tota iſta viuendi diſciplina ratióque accuratiùs multo ſolertiúſque alibi ſuo loco cum otio pertractanda videatur. Ideóque canone illo præcedenti delatores, *nec in fine accipiunt communionem*, & in ipſo, falſi teſtes ipſi leuiùs humaniúſque tractantur, quòd vno canone de iudicibus ſecularibus, altero de Eccleſiaſticis agatur.

Falſus teſtis, qui coram Epiſcopis & Eccleſiaſticis aliquem criminatur.

Prout eſt crimen, de minimis offenſis id accipiendum.

Abſtinebit, pauco tẽpore ab Euchariſtia remoueatur.

Si tamen non fuerit mortis, nam ſi graue & atrox aliquod facinus falſò obieciſſet, grauiori pœnitentia erat mulctandus, pœnitentia ſcilicet ad mortem, vt liquet ex Conciliis Arelatenſibus, canone 14. & 24.

Et ſi probauerit, ſi verò non ſit falſus teſtis; ſed diu reticuerit quod potuit probare, hoc eſt ſcelerũ reos & conſcios non detexerit, biennio abſtineat. Cùm ad ea animum aduerterem, ſuſpicari cœpi verba nõ eſſe de teſtibus, qui coram iudicibus ad accuſationem inſtruendam adducebantur, quos Eccleſia à teſtimonij dictione dimouiſſet, potius quam ad quenquam accuſandum inſtigaſſet.

Diu tacuerit, quòd Eccleſiæ aperire debuerat, vt à communione tabidæ & morbidæ oues extruderentur,

tur ne ceteras inficerent : ea eſt cauſa cur Clericis Chriſtianorum erant crimina detegenda : ſed laïcis iudicibus ex ſententia Eccleſiæ nunquam ſatis diù celari poterant.

Si autem non probauerit, teſtis etſi non eſſet falſus, aut redemptus, ſi nō probaſſet quod abiecerat, quinquennio abſtinebat.

In conuentu clericorum, nonnulli etiam ex Preſbyteris cum Epiſcopo iudices erant conſtituti ad fidelium crimina, quæ ab aliis docerentur, æſtimanda & examinanda : idcirco aiunt *in conuentu clericorum*, iiſdem enim criminum probationes erant exponēdæ, quibus eadem ipſa crimina iudicanda proponebantur. Tertullianus docet in Apologetico, Epiſcopis Preſbyteros adſediſſe, *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina, nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu, ſummúmq; futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.*

CANON LXXV.

De his, qui Sacerdotes "vel Miniſtros" accuſant, nec probant.

Si quis autem Epiſcopum, vel Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit[k], *nec in fine dandam ei communionem.*

"defunt in. Exc.

k hanc lectionē probat decretū Gregorianum, apud Adrianum, & Iuonem eſt: non niſi in fine dandam ei eſſe communionum.

Digitized by Google

HOC ipſum referri debet ad accuſationse, quæ coram Eccleſia diſceptantur.

Falſis, falſis & grauioribus.

Nec in fine, iis qui ceteris præſiderent crimen quamuis falſum affingere, grauis erat culpa, eáque ſeuerius vindicanda, quam ſi fidelem accuſaſſet.

CANON LXXVI.

l ſi. Exc. & A.C. m proben-tur. Exc.

De Diaconibus[l]*, qui, ante honorem, peccaſſe*[m] *probantur.*

Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſteà fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit, eum, acta legitima pœnitentia, poſt triennium, accipere communionem. Quòd ſi alius „ eum „ detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laïcam debere.

„ deeſt. Exc.

QVOD verò hoc Canone tractatur illud eſt, ſi Diaconus quadam ſua facilitate ſeu conſilio adductus, promoueri ſe ſiuerit ad Diaconatum peccati alicuius mortalis conſcius quod reticuerit cum examinãdum ſe ſe obtuliſſet, quo poſtea peccato contra ipſum prolato probatoque, aut ipſomet auctore confitente, quod conſcientia maleficij exanimaretur Diaconatu ipſo abdicet ſeſe, triumque aut quinque annorum pœnitentiam ſubeat, qua peracta in cœtum numerumque laïcorum

aggregetur, nec ampliùs è numero Eccleſiaſticorum cenſeatur.

Diaconum, de alijs minoribus ordinibus idem non fuiſſet iudicium.

Se permiſerit ordinari, nam lethaliter ſe peccaſſe, ſi confeſſus fuiſſet, laïcus remanſiſſet.

In crimine mortis, in graui & mortali culpa.

Quod aliquando commiſerit, ſi à baptiſmo ſemel tantum peccaſſet, indignus erat qui promoueretur.

Accipere communionem, laïcam ſcilicet, & in laïcorum numerum & ordinem detrudere: quicunque enim inter pœnitentes viſus eſſet & legitimam egerat pœnitentiam, is procul à clero relegabatur.

CANON LXXVII.

De Baptiſatis, qui nondum confirmati moriuntur.

Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptiſauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſeculo [n] *receſſerint, ſub fide,* [n] receſſerit. Exc. *qua quis crediderit, poterit eſſe iuſtus.*

QVIs tandem huius Canonis amabò vos ſenſus eſt, aut quid tandem in dubium reuocabant; nonne omnia baptiſmo deleri & exterminari peccata profitebantur? quod ſi expungerentur, quamobrem quæſo qui baptiſati abſque confirmationis Sacramento è vita deceſſiſſent, non iuſti habiti iudicatique fuiſ-

Digitized by Google

ſent? Ad extremum quid ſibi illa vox iuſti in illo vult Canone? quod ſi *iuſti* nomen ſignificatióque in illum non caderet, quorſum de ea re diſceptatio? Eccleſiæ nullum amplius cum illis erat commercium. Canonis huius ſenſus eſt, mens & intelligentia ſi oblationes admitti poſſunt, atque adeo communione coniungi cum illis poſſumus, qui ſine confirmatione & ſacroſancto ſacramento interierint: (hac enim ratione poſt mortem in communionem admittebantur) quod perfectionem Chriſtianorum non eſſent aſſecuti, atque adeo eo nomine *iuſti*, non dicerentur: Confirmatio namque extremam quaſi manum perfectioni addere videbatur, & tanquam faſtigium imponere, qua quis Chriſtiani nomine & Euchariſtiæ ſumptione dignus putaretur. Qui igitur non eſſet confirmatus, Euchariſtia non donabatur, quam qui nondum eſſet aſſecutus, neque ſanctus neque iuſtus, aut fidelis nominabatur, quod Euchariſtia extremus eſſet actus formáque Chriſtiani hominis, cuius quadam vi atque efficacia, ſanctitatis laude præſtans, & diuinitatis cuiuſdam particeps, Chriſtique domini membrum redderetur, quod eius ſacroſancta carne paſtus eſſet, Chriſtoque cum domino, quadam conſociatione coniungeretur. Primis quidem temporibus ſubdubitatio illa non defuit, vtrum admitterentur oblationes, cõmunioque Chriſtianis omnibus intercederet cum eo qui his omnibus quaſi præſidijs minus inſtructus cum eſſet perfecti veríque Chriſtiani hominis virtute ſpoliaretur: adeo incorrupta & omni

religione munita primorum patrum tempora dicebantur.

Dici & illud poteſt illam dubitationem non alienam à temporum illorum diſciplina; nam quamplurimi, quamuis omni vitiorum labe ac colluuione purgatos eos eſſe conſtaret, non ideò ad ſacram Synaxim accedebāt, neque eorum oblationes probabantur: vt eorum qui eſſent in quarto pœnitentiæ gradu, quorum exemplum quidam ſibi proponentes, facilè eo propellebantur, vt crederent eorum etiam oblationes repudiandas, qui ſacro pane non refecti, omnibus licet peccatorum maculis deterſis occidiſſent. Tanta cura tantáque animi prouiſione ac præcautione proſpiciebant, ne quid offenderent, aut titubarent in recipiendis, iiſque Deo repręſentandis alicuius oblationibus: neque verò cuiuſquam, niſi ſanctiſſimi iuſtiſſimíque viri oblationes æquo animo ferebant.

Id ita eſſe quod hoc canone conſtitutum eſt, cum huius verbi ſenſus, *iuſtus*, tum voces iſtæ, *poterit eſſe iuſtus*, eo me pertrahunt: Videtur quippe voces illæ inſinuare & ſonare aliquid quo poſito quis iuſtus & haberi & eſſe poterat, defunctíq; affinibus & agnatis permittere aliquid, quòd eius cauſa præſtent: vt oblationes offerre, adeò vt nomen, *iuſti*, defunctus ſibi vendicet: vt & ipſi Concilij huius canones omnes non aliò ſpectant, quàm vt certa quædam forma diſciplinæ præſcribatur iis in rebus, quæ ad praxim rediguntur: quo conſtituto credibile eſt, hunc canonem ad ea quæ geri tranſigíque poſſint reuo-

cari tantùm, vt ad oblationes defuncti recipiendas: neque verò eo Patres definire aut ſtatuere quenquam æternæ vitæ compotem, ſine confirmatione fieri poſſe. Sed certè id corroborare, oblationes eius, ſcilicet qui ſine confirmatione obiiſſet, tanquã hominis iuſti, ab Eccleſia non eſſe negligendas.

Sub fide, per fidem quam in baptiſmo adeptus eſt.

Poterit eſſe iuſtus, Sanctus & in communione Sanctorum recipi.

CANON LXXIX.

De his, qui[a] tabula ludunt.

a ſic &.C.A. b aleam, id eſt tabulam nummis. C.A. ,, deeſt in. Exc. c abſtinere. Exc. d communione. Exc.

Si quis fidelis [b] alea, id eſt, tabula luſerit,, nummos,, placuit eum [c] abſtineri: & ſi emendatus ceſſauerit, poſt annum poterit reconciliari [d] communioni.

De talis ni fallor Canon accipiendus quibus ludere nefas videbatur, quod ſpeciem quandam idololatriæ committeret, qui eos iactaret: Deorum enim gẽtilium effigies pro numeris habebant iique inuocabantur vt feliciſſimus eueniret iactus: Suetonius in Auguſto *quos tollebat vniuerſos qui Venerem iecerat.*

Digitized by Google

CANON LXXX.

De Libertis.

Prohibendum eſt, vt liberti, quorum Patroni in ſeculo fuerint, ad clerum non [e] *promoueantur.* [e] prouehãtur. Exc.

MERITÒ cauebant ne liberti quorum Patroni eſſent gentiles, ordinarentur: nam ab eis fabriles aut officiales operas exigere poterant Patroni, quas ſoliti erant ſtipulari cum eos libertate donarent: tenebanturque liberti non ſolum Patronis eas præſtare, ſed aliis etiam quibus eæ locatæ eſſent: At indignum prorſus, neque ferendum eiuſmodi operis pictoriis, putà aut fabrilibus, clericos diſtrahi & impediri; qui nullis aliis rebus, quàm ſacris vacare aut ſtudere deberent. Ob eandem cauſam, ab iiſdem ordinibus Curiales eliminabantur, quia a ſuis curiis, vt ait Innocentius, vt munia perſonalia aut patrimonialia præſtarent, poterant reuocari.

CANON LXXXI.

De fœminarum Epiſtolis.

Ne fœminæ ſuo potius, [f] *abſque maritorum nominibus, laïcis ſcribere audeant,* [g] *quæ fideles ſunt, vel litteras alicuius pacificas ad ſuum ſolum nomen ſcriptas accipiant.* [f] quam. Exc. [g] qui. Ex.

Digitized by Google

A Fœminis quas vitæ ſanctimonia commendaret, quæque eſſent Eccleſiaſticorum vxores, litteras nonnulli commendatitias & pacificas extorquebant; vt eorum quaſi beneficio & commendatione apud amicos aut Eccleſiaſticos, hoſpitalitatis iure fruerentur. Patres igitur hunc ipſum non ſatis piè & honeſtè inuectum morem carpunt hoc canone, prohibentque ne fœminæ clericorum eo nomine litteras communicatorias reſcribant aut accipiant: quod ea res penes ſit Epiſcopos, eorumque curæ ac ſollicitudini commiſſa: quod ſi hoc modo non obuiàm itum fuiſſet prauæ illi conſuetudini, ſceleratiſſimi ſanè & excommunicationis nota inuſti, perfacilem communicandi viam nacti, his litteris acceptis toto orbe communicantes vagati fuiſſent.

Fœminæ, clericorum: quæ conuerſæ dicebantur.

Laïcis ſcribere audeant, litteras communicatorias.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ IN QVOSDAM CANONES CONCILIORVM HISPANIÆ.

CANON VII. CONCILII CÆSARAVGVSTANI.

Vt doctoris ſibi nomen [h] *non imponat, cui conceſſum non eſt.*

h quis non. Exc.

Item lectum eſt, Ne quis doctoris ſibi nomen imponat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt; ſecundum quod ſcriptum eſt. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet.

D*OCTORIS nomen*, Doctores olim ab Epiſcopis inſtituebantur, atque inter ordines & dignitates Eccleſiæ, vti Archidiaconi, Pœnitentiarij, & ſimiles recenſebantur, & in canone Eccleſiæ inſcribebantur: A Tertulliano inter præcipuos Eccleſiæ miniſtros numerantur, de præſcriptionibus, *Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor*, cuius antiquæ diſciplinæ hæc veſtigia reſtant, quòd ab Epiſcopo aut certè ab eo qui eius vicem gerit benedictione confirmentur, vimque & poteſtatem legendi & docendi accipiant.

Digitized by Google

CANON II. CONCILII TOLETANI PRIMI.

Vt [a] pœnitentes, ſi neceßitas cogat, [b] lectores aut Oſtiarij fiant.

Item placuit,[c] vt de pœnitente non admittatur ad Clerum; niſi tantum ſi neceßitas, aut vſus exegerit, [d] inter lectores: ita vt Euangelium & Apoſtolum non [e] legat. Si qui autem ante ordinati ſunt Diacones, inter Subdiacones habeantur: ita vt [f] manum non imponant,[g] aut ſacra non contingant. [h] Pœnitente vero dicimus de eo, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, grauißimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub [i] cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.

a Pœnitens. Exc.
b Lector aut Oſtiarius fiat. Exc. C. A.
c Vt pœnitentes non admittantur. Exc & Grat
d Et tunc inter Oſtiarios deputentur Exc. Grat
e Legant. Exc.
f Manus. Exc.
g Nec ſac. contingant. Exc.
h Eum vero pœnitentem dicimus qui p. Exc. Grat.
i Concilio. Exc.

VEL inter lectores; ita tamen vt Euangelia & Apoſtolum non legat. Liquidò ex his conſtat lectores non Euangelium tantùm, ſed & lectiones pronunciaſſe.

Ita vt manum non imponant, quod aliàs attulimus, & docuimus impoſitis ab Epiſcopo manibus, vt ad ſacros ordines Preſbyteri promouerẽtur, omnes Eccleſiaſticos ſaltem Preſbyteros, hanc manuum impoſitionem eſſe proſecutos, ſic vt manus imponerent ſecundum Epiſcopum illi, cuius capiti primum Epiſcopus intendiſſet: in aliis rebus hoc canone cernimus vſurpatum fuiſſe. Neque ſolùm cum ordinibus ſacris initiarẽtur (cuius rei per-

ficiendæ conſuetudo ad nos vſque tranſlata eſt;)ſed etiam cum abſoluerentur, aut cum reconciliarentur, aut denique cum pœnitentia, ni fallor, imponeretur, aut baptiſarentur. Nam quæ tandem res eſſe poteſt, aut tempus aliud quo Subdiaconi ad alium finem manus imponerent, aut alterius rei perficiendæ cauſa pro poteſtate ſua, ac non potius delegato, aut tranſmiſſo alias imperio eas imponerent: neque vero difficile fuerit fortaſſis, reperiſſe aliquos Diaconos & Subdiaconos, qui impoſitione manuum, graui morbo correptos, imò & energumenos leuaſſent & curaſſent: Sed & aliquos item clericos, imò lectores & acolythos, qui eandem ſibi poteſtatem vindicarent: quæ poteſtas non clericorum tantum; ſed & Chriſtianorum laïcorum primis illis temporibus diceretur. Verum hoc loco de impoſitione manuum, quæ in Eccleſia publicè fieret, quæque ex Subdiaconi miniſterio dependeret, agitur. Iam vero nec illud admitti, nec extare poteſt, potuiſſe Diacones & Subdiacones in Eccleſia, niſi poſt Epiſcopum, manuum vti impoſitione.

CANON II. CONCILII BARCINONENSIS.

Vt benedictio in matutinis, fidelibus, ſicut in veſpera tribuatur.

IDem omninò, ſed pluribus verbis ſtatutum reperies in Cõcilio Agathenſi, canone 30. Quamobrem autem benedictionem in matutinis obmit-

mitterent, aut dubitarent: an ex vſu & more Eccleſiæ, id eſſet præſtandum, ea poteſt eſſe cauſa. Quod ſolùm benedicendi viderentur fideles, cum dimitterentur, & eis Chriſti benedictionem & pacem conſignandam, cum de domuitione cogitarent: quemadmodum eam Chriſtus cum cœlo reciperetur Eccleſiæ ſuæ reliquit. Matutinæ verò erant pars officij matutini, quibus peractis, iterum ad officium redeundum eſſet. Quapropter congruum quibuſdem, & ſatis conueniens videbatur, vt in Miſſa tantum, & Veſperis, populo benediceretur.

CANON VIII. CONCILII BARCINONENSIS.

De his qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à ſacerdote accipiunt, ſi poſteà conualuerint, vitam pœnitentium peragant; excepta manus impoſitione, ſegregati à communione, quandiu probabilem ſacerdos eorum adprobauerit vitam.

NISI aberrat animus, ſuſpicor ego hoc canone agi, de iis qui cum imminentis mortis metu percellerentur, pœnitentiam, quamuis nulla peccata digna tam atroci mulcta commiſiſſent, ſibi dari efflagitabant: quique ſtudio quodam potius diuini amoris incenſi, & quo exploratior & certior conſequendæ ſalutis ſpes eos erigeret: quàm in peccatorum remedium, habitum tonſurámque

pœnitentium depoſcebant; non ſecùs, atque videre licèt aliquos, qui cùm iis eſt ex hac vita decedendũ religioſarum familiarum veſtitum ſumunt, voto earum emiſſo. Olim autem pœnitentia, non peccatorum erat tantùm antidotum quoddam; verum etiam expreſſa quædam, non adumbrata modò vitæ religioſæ ſpecies ad imitandum propoſita, quàm ſe ſecuturos vouerent, ſuíſque eam votis peculiari quodam habitu legibúſque conſtringerent. Quidam igitur rati ſibi hanc vitam breui deſerendam, ea vota nuncupabant, qui periculo mortis liberati conualeſcebant: quid autem eos facere oporteret canone nono Gerundenſi. 53. Toletani 4. octauo, Toletani 6. & ſecundo Toletani duodecimi, præſcribitur atque edocetur: prȩſertim verò cernere eſt eos non alligari adſtringíque pœnitentiæ legibus, qui quò rectè factorum cõſcientia ſuſtentarentur, pœnitentiam expetebant, cum reuerà ſe nulla mortiferi peccati cogitatione percelli putarent. Exiſtimarim quoque canone iſto idem decerni, & tertio gradu pœnitentiæ non retineri oportere eos, qui pœnitentiæ remedium in morte oblatum cum tutò omittere poterant, non ſubterfugiſſent, quique nõ ob peccata commiſſa, ſed religionis cauſa pœnitentiam petierant. Verbáque iſta, *ſine manus impoſitione*, transferri poſſe & deriuari ad illas manuum impoſitiones, quæ frequentiſſimè fierent in tertio gradu, quæ ignominia tamen & probro non carerent: neque ad abſolutionem reuocarentur, aut de abſolutione dici, intelligíque poſſunt.

Digitized by Google

CANON IX. CONCILII BARCINONENSIS.

Iubemus verò in infirmitate poſitis beaticam benedictionem percipiant.

HIc ex præcedenti ſequitur, eiuſque ſenſus ab eo petendus: aiunt enim Patres, pœnitentes de quibus ſtatuerunt proximo capite reconciliandos eſſe altaribus & myſterijs, ſi ægrotare cœperint. Maior namque reconciliatio beatica vocatur, quod Euchariſtiæ ſumendæ poteſtatem faceret.

CANON IX. GERVNDENSIS CONSILII.

De his qui publicè pœnitentiam non accipiunt, ſed tantum Viaticum, vt in Clero promoueantur.

Is verò, qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & poſtmodum reconualeſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit; ſi prohibitis vitijs non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

IN hoc Canone ſermo eſt de ijſdem de quibus in præcedenti qui in ipſo diſcrimine mortis, quo exploratior ſalutis æternæ ſpes eos conſolaretur, pœnitentiam ſibi dari obnixè efflagitabant: quanquam nullam mortiferam noxam prudenter

Digitized by Google

ſe commiſiſſe, nec quicquam vnquam ſe præſtitiſſe arbitrarentur, quod vel leuiſſima pœnitentia mulctandum eſſet: eſt enim in fine canonis ita ſcriptum, *Si prohibitis vitijs non detinetur*, vnde id iudices ſentiaſque cauſam obeundæ pœnitentiæ, non aliam fuiſſe, quam quod mortis ipſius metu & terrore perfunderentur, cum tamen nulla peccata commiſiſſent; quod & fuſius etiam ex eodem Canone confirmari poteſt, quodque ipſo morbo, ſæuiente aut ingraueſcente, impoſita quædam eſſet pœnitentia, & quam ſe facturos recepiſſent, non eam proferre longiùs cogerentur; quod contra eos facere, aut perficere Canon adegiſſet, ſi peccati cuiuſdam lethalis eos conſcios eſſe deprehendiſſet. Idem omnino corroboratur decernitur que Can. 54. Concilij Toletani quarti, quo clariſſimam lucem huic Canoni intelligendo adferri videas.

Quia vero ſeuerè & rigidè ſatis prohibebatur, ne quis ad Clericatum admittatur, à quo pœnitentiam factam eſſe conſtaret: quærebatur vtrum qui eam peregiſſet, aut ſe eam peracturum in vltimo vitæ periculo conſtitutus vouiſſet, recuperata valetudine ad clericatum promoueri eum oporteret, aut deceret: Canonis quidem hæc eſt opinio ac ſententia, quanquam eam quiſpiam vouerit, tonſuramque & habitum præ ſe tulerit, ſi tamen morbo depulſo perſpicuum ſit, id timore eſſe factum, & maiore quadam cura ac ſollicitudine ſalutis æternæ conſequendæ impulſum pœnitentiam accepiſſe & vouiſſe, nulloque illum videri crimine aut flagitio,

Digitized by Google

quod expiandum ſit pœnitentia aſperſum, poſſe in numerum clericorum adſcribi: ſin autem vbi valetudinem recuperauerit, ſe voto exoluerit, impoſitionem illam manuum publicam, quæ pœnitentibus tertij gradus dabatur ſubierit, tum ob eam rem excluditur, quamuis nullius culpæ, aut criminis affinis fuerit, metúque aliquo conturbatus ad pœnitentiam voto ſe obligarit. Nam cum omnium ſe oculis ſeu toti Eccleſiæ conſpiciendum ſe dediſſet, atque adeò inter pœnitentes viſus fuiſſet, non mediocriter ſane perturbata fuiſſet, ſi inter præſidentes eum aſpexiſſet, qui cum aliquo pudore manuum impoſitionibus palàm & publicè purgatus eſſet.

Pœnitentiæ benedictionem per communionem acceperit, hoc eſt qui pœnitentiam per benedictionem ſimplicis reconciliationis acceperit: qua enim impoſitione manuum, aut benedictione, aut oratione, abſolutionem largiebantur morienti, qui excommunicatus eſſet; aut alij qui in morte peccatum lethale detegebat, eadem etiam pœnitentiam largiebantur, quæ ſeparatim & impoſitione manuum dabatur aliquando, cum nulla vrgeret neceſſitas; propterea canon ait per communionem, hoc eſt, per abſolutionem & ſimplicem reconciliationem; ideoque Canon iſte benedictionem pœnitentiæ viaticum vocat, cum ſola, niſi addatur abſolutio, neque communio, neque viaticum dici poſſit.

Viaticum, ſimplex reconciliatio & abſolutio morienti ſufficiens erat viaticum; quamuis Euchariſtia non donaretur.

Pœnitentiæ

Digitized by Google

Pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit. Hæc verba ad impoſitionem manuum tertij gradus pœnitentiæ referuntur, cum Patres omnes, Conciliaque omnia verbis prope ijſdem, aut ad eumdem ſenſum pertinentibus eadem dicant, & interpretantur, vt Papa Felix, alijque expoſuerunt, *Pœnitentiæ colla ſubdere*, docent igitur Patres ſi has manus impoſitiones quæ fierent in tertio gradu non ſubierit, eum poſſe inter clerum adſumi.

NOTÆ IN QVOSDAM CANONES CONCILIORVM ASIÆ.

CANON XI. CONCILII NICÆNI PRIMI.

De his qui ſponte lapſi ſunt, qualiter debeant pœnitere.

De his qui præuaricati ſunt ſine neceſſitate, aut facultatum ablatione, aut ſine periculo, aut aliquo eiuſmodi, quod factum eſt ſub tyrannide Licinij, viſum eſt Synodo, licet miſericordia indigni ſint, benignitate tamen in eos vti. Si quos ergo verè pœnitet, tribus annis, ſi tamen ſunt fideles, inter audientes habeantur, & ſe-

ptem annis iaceant: duobus autem ſine oblatione, populo communicent in orationibus.

VERBVM hoc, οἱ πιστοὶ, quod in hoc canone Græco habetur nonnullis temerè, & quaſi gratis poſitum videtur, nec ad canonis ſententiam vllo modo pertinere: alij arbitrantur ab iis cenſeri eos qui deliquerint, & peccatum in canone expreſſum commiſerint ea qua fideles pœna afficiendos, eoſdémque remittendos inter audientes, proptereáque vertunt Latinè verbum hoc Græcum, οἱ πιστοὶ, tanquam fideles, aut vt fideles. Contra autem iudico verbum hoc non ſine cauſa, & ratione additum, neque indicare, neque oportere reddi tanquam fideles; ſed, *ſi ſunt fideles*, imò non immutandam antiquam verſionem quæ ita habet, *ſi tamen ſunt fideles*, peccata namque fidelium, & eorum qui baptiſati eſſent, non eadem, qua Catechumenorum ratione puniebantur: verbi cauſa Catechumenus ob admiſſum adulterium non pœnitentiam perpetuã, aut annorum plurimorum, perinde atque ſi baptiſatus fuiſſet, ſuſtinebat: Eccleſia paulò eos humaniùs, quàm fideles tractare conſueuerat, vt alibi oſtendimus: Ideò patres, quotieſcumque pœnas aliquas de peccatis repetendas præſcribunt; ſemper cum illa exceptione, *ſi ſunt fideles* loquuntur, aut ſi id omittunt, ſubintelligi placet, quemadmodum Patres Concilij Eliberini canonibus 7. 9. 12. 41. 46. 47. 50. 51. 67. 73. 78. 79. Et cum eiuſmodi crimen

eſt; quòd pari pœna, tam in Catechumeno, quàm in fideli mulctandum videatur; vtriuſque meminerunt: vt canone 67. Eliberini, *Prohibendum ne qua fidelis vel Catechumena aut comatos, aut cinerarios viros habeant. Quæcumque hæc fecerit à communione arceatur.* Ita Patres Nicæni adiunxerunt verbum hoc οἱ πιστοὶ, ad ſecernendos à Catechumenis fideles, moneamúrque canonem vndecimum, decretúmque eorum quod in eo incluſum eſt, ad fideles tantum pertinere, non autem Catechumenorum cauſa eſſe factum: qui quanquam nulla impulſi, adactíque neceſſitate peccaſſent, non adeò ſeuerè in eos animaduertebatur: & certè Patres can. 14. ob idem crimen non niſi in pœnam triennium prorogaſſent, quò inter audientes verſarentur, *vt ij tribus annis inter audientes ſint*; ex quo clarè colligas verbum iſtud οἱ πιστοὶ, de induſtria conſultóque expreſſum, vt fideles à Catechumenis ſeparentur; atque aliter eſſe omninò de eorum ſtatu factíſque ſentiendum. Illi autem qui idem verbum Latino ſermone exprimunt, *Quicumque ergo verè pœnitent, tribus annis fideles inter audientes habeantur,* caliginem offundunt ſententiæ canonis, nec quod eſſet Patrum iudicium, aut diſtinctio allata, perſpexerunt: Nam qui inter audientes ſunt, non ſunt fideles, neque haberi fideles poſſunt, ſed ſunt aut pœnitentes, aut Catechumeni. Quare dici non poterant eſſe inter *audientes* vt fideles, neque enim vnquam fideles fuerunt inter audientes.

Digitized by Google

CANON XII. NICÆNI PRIMI.

De his qui abrenunciauerunt, & iterum ad ſæculum ſunt regreßi.

Quicunque vocati per gratiam, primum quidem ardorem, fidémve ſuam oſtenderunt, & cingulum militiæ depoſuerunt, poſteà verò vt canes ad ſuum vomitum reuerſi ſunt, ita vt aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis iaceant, poſt trienniј auditionis tempus. In his autē omnibus obſeruare oportet propoſitum & modum pœnitentiæ. Quicunque enim & timore, & lachrymis, & patientia, & bonis operibus, conuerſionem abſque ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum orationibus communicabunt, & poſteà licebit Epiſcopo, de his aliquid humaniùs cogitare: quicunque verò indifferenter tulerunt, & habitum Eccleſiam introeundi ſibi arbitrati ſunt ad conuerſionem ſufficere, hi definitum tempus omninò impleant.

MIHI omninò non placet ea explicatio, quàm ad euoluendum explicandúmq; canonem iſtum excogitarunt, & attulerunt interpretes; neque de militibus videtur vllum eſſe verbum, aut mentio facta, qui cum poſitis abiectíſque armis ad Martyrij lauream aduolaſſent, iidem poſteà à fide Deóque defecerant; pecuniæ vi ac magnitudine iterum ad

arma tractanda ſibi viam aperuerant, vt opinantur Zonaras & Balſamo. Primò quia canon nullo modo de Martyribus diſputat. Secundò quia canon iſte, & qui pręcedit nullo modo inter ſe diſcreparent, & ad idem planè crimen vtérque reuocaretur: quòd dici non poteſt. Quamobrem quęſo crimen ceu peccatum eorum, qui ſtudio Chriſtianæ religionis incenſi militiam deſeruerunt, quique poſteà Chriſtum Dominum eiurarant differre videtur ab ſcelere & perfidia illorum, qui cum nullam eis vim, vlla neceſſitas adferret, Chriſto nuntium remiſerant? Num ideò eorum crimen maius videbatur, quod militares Procurationes & honorum quoſdam gradus in bello coëmiſſent? Perinde quaſi Idololatræ & Apoſtatæ crimen vlla acceſſione grauiùs foret, quòd dignitatem quandam militarem redemiſſent? Quænam quæſo Chriſtianis in bello dignitas, criminis aut fraudi eſſe potuerit niſi ob ſacramentum quod ſub Imperatoribus falſorum Deorum nomine ſuſcipiebatur, quos ſuæ fidei militaris teſtes futuros proferebant? Quod tamen idololatriæ genus inter huiuſce criminis ſpecies minimum ducebatur, neque eius augere crimen poterat, qui palàm & publicè Chriſti fidem eſſet deteſtatus, & qui immaniore hoc ſe ſe Idololatriæ ſcelere & ſpecie obligaſſet. Præterea nunquam mihi probabunt decreto aliquo prohibitum fuiſſe ne Chriſtiani militatum abirent, quamuis non deſint, grauiſſimorum authorum teſtimonia, qui id conſilij dederint, ne ad bella proficiſce-

rentur Ethnicorum : quod cum atrociſſima quædam in Chriſtianos ſupplicia excogitarentur, vetendum eſſet, ne quandóque propoſitis tot ante oculos vitæ periculis in Idololatriam prolaberentur. Innumerabilia namque in antiquorũ Patrum monumentis exempla commemorantur, militum maximè qui in caſtris ad mortem graderentur Chriſti cauſa perferendam : velut eius militis egregium illud facinus, qui detracta ſibi corona, prodidit legiones abundaſſe eiuſmodi fortiſſimis viris. Quid quod nec ſileri illud poteſt, quod hiſtoriȩ teſtantur, Imperatores quandoque militum ſuorum quos Chriſtianos eſſe ſcirent auxilio vſos ad præſidia quædam impetranda : quæ potenti ac miraculi loco ducerentur, quæ omnia perſpicuè demonſtrant Eccleſiam non prohibuiſſe, ne ad militiã quis reuerteretur Poſtremò verba illa, *vt nonnulli etiam pecuniam profunderent & militiam beneficijs aſſequerentur* , adaugent accumulantque crimen illud, quod his verbis indicatur, *ad ſuum vomitum reuerſi ſunt*. Quæ ſi quo ſenſu ac ſententia exponunt Interpretes perpendas, hæc eſt Patrum ea de re interpretatio : qui non modo Chriſtum Dominum perfidioſe & abiecte pernegarunt, verùm etiam non pepercerunt pecuniæ, vt ſuos illos militiæ gradus honorum recuperarent : quȩ vna loquendi ratio, tam infirma & debilis fuiſſet, poſtremumque illud quod addiderunt augendi & exaggerandi primi criminis cauſa, ita leue nugatoriũque haberetur, vt nõ credibile ſit ita patres eſſe loquutos & ſenſiſſe. His ac-

Digitized by Google

cedit, quod ſi arma capere, & ad militiam ſeſe adſcribere tribus illis primis ſæculis non licuiſſet, tempore quidem Concilij Nicæni bellare poterant, decretumque illud reſciſſum erat canone. 3. Concilij Arelatenſis primi, quod multo ante concilium Nicænum viguerat, *ne arma proijciant in pace*, quamobrem non huius canonis ſenſus ad eos qui arma tractabant, aut qui cum ea reliquiſſent, ea repetere viderentur, traduci debet.

Mihi planè potius perſuaſum eſt canone iſto deſignari lapſos pœnitentes quos benedictione percepta, ſeculariũ ſumptóque habitu, poſthabitaque rerum omnium ac munerum militarium, & fori cura ac cogitatione, voti poſtea pœnituiſſet: idque quod profeſſi fuerant repetentes commutationis vitæ tædio quodam affecti, animum & cogitationem ad munera illa ſecularia rurſus adieciſſent.

Ab ea explicatione non aliena ſunt, neque omnino abhorrent illa verba, *vt nonnulli etiam*, quibus Patres eos inſimulant & criminantur, quod non modò ſui voti ac promiſſi cœpiſſet eos obliuio, verùm etiam largitione & pecunia ad ſua illa quæ deteſtati fuerant munera publica curationéſque adminiſtrandas ſeſe conuertiſſent, cum ea, pœnitentium habitum induentes, valere iuſſiſſent.

Vetere Patrum memoria illud commemorabile proditur, Pœnitentes eo animo fuiſſe, vt pœnitentiam nec ſe vnquam (pœnitentiæ tempore) depoſituros, nec habitum veſtitúmque qui communis ac peculiaris eſſet pœnitentium, vouerent, quo faci-

Digitized by Google

lius deplorandum ac miſerandum ſuæ conditionis ſtatum prætereuntium oculis ſubjcerent, comam ſeu capillitium alerent; à congreſſu & conſuetudine vxorum abſtinerent, à publicis ſe negotiis remouerent; neque in publicum facile è tenebris domeſticis emergerent, vt vno verbo complectar, nullam mercaturam exercerent, res ita plana & adeò canonibus agitata, vt diutius in earum rerum commentatione ac narratione; verſari putidum ſit. Idcircò canon Nicæni illos vehementiſſimè inſectatur & carpit, quod non ſolum munerum publicorum adminiſtrationem, quæ priùs ſtudio pœnitentiæ neglexerant, attigerint; verùm etiam ardétiſſimis animis ea conquiſierint, & ambitioſiùs pecuniæ vi maxima, rem vnam redemerint; quam oblatam repudiare, vt aduerſariam ac repugnantem voto quod emiſerant, debuiſſent.

Cæterum alia Concilia, & Patres qui eandem rem ſeu quæſtionem diremerunt poſt Concilium Nicænum, manifeſtè demonſtrant & edocent canone iſto notari & coargui illos, qui pœnitentiam intermiſerant: eadem quippe verba vſurpant: *redire ad vomitum & militiam deponere, & cingulum militiæ reſumere:* quibus verbis admonemur ne ſententiam horum verborum ad ſolam militiam vertamus: atque in eo canone non agi de militibus qui vacationem militiæ ſibi dari efflagitabant, vt ad Chriſtianiſmum tranſirent, ſed agi de pœnitentibus, qui relicta quam profeſſi erant pœnitentia, rurſus animum ad ſecularia negotia, aut ad militiam applicabant.

Digitized by Google

cabant. Nam ſi conſideremus & attendamus, hęc verba *militiæ cingulum* & *zonam*, generalem quendam loquendi modum eſſe, quo non ſolum militaria munera; ſed etiam forum , ſecularia negotia, mercatura ipſa, Eccleſiaſtica inſuper officia ſignificantur: Et verbũ hoc *militia*, & apud Patres & apud canones ad quatuor explicanda deſumi, ad bellum, mercaturam, iudicandi poteſtatem & ordines ſacros, in eundem ſenſum & ſententiam huiuſce canonis verba accipiemus.

Canone 5. Syricij Epiſt. ad Tarraconenſem Epiſcopum perſpicere licet explicationem iſtius duodecimi canonis Concilij Nicæni, in quo non modo eandem ſententiam ſenſúmque huiuſce canonis ſequitur Syricius, ſed & eadem verba retinuit: nam iiſdem omnino verbis vtitur *militiæ cingulum*, quibus munera Republicæ ſeu ſecularia deſignantur, non autem arma: & Canone. 1. Epiſt. 3. vox iſta *militare*, quàm ſæpè pro negotio curationéque Reipublicæ vſurpatur, *aut negotijs reipublicæ optauerunt militare*, Ad hunc eundem modum ſumi videas. Can. 3. Epiſtola 6. S. Innocentius ad Epiſcopum Rothomagenſem can. 2. in eandem ſententiam. D. Leo ad Ruſticum canonib. 10. & 12. cum eandem quæſtionem de pœnitentibus, qui votũ ſuum infringunt diſputat, eodem verbo vtitur *militia*: vbi agnoſcas & deprehendas militiæ cingulum, ad omnia illa, belli gerendi munera, officiáque Reipublicæ ſeu ſecularia vſurpari ſolere: nec abſimilis eſt ſenſus verborum illorum canone 18. 4. Concilij Toletani: Ad

O

Digitized by Google

extremum in Conciliis Ilerdenſi & Matiſconenſi, verbum *cingulum*, ad Eccleſiaſtica munera declaranda referri videtur.

CANON XIII. NICÆNI CONCILII.

De his, qui communionem tempore mortis expoſcunt.

De his qui vita excedunt, & canonica lex nunc quoque ſeruabitur, vt ſi quis vita excedat vltimo & neceſſario viatico minimè priuetur, ſi verò deſperatus & communionem aſſecutus ſuperuixerit, ſit inter eos qui communionem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito & Euchariſtiæ participationem petenti, Epiſcopus cum examinatione oblationem impertiat.

QVO facilius canon iſte intelligatur & omnes difficultates quæ occurrent euoluantur bipartitò diuidendus eſt: Prima quidem parte Patres id decernunt, ne cui in extrema mortis neceſſitate poſito vſura viatici vltimi & neceſſarij ſubtrahatur: in poſtrema, cum ad certum vitæ periculum adductus quiſpiam pœnitens, Euchariſtiæ ſacramentum requirit, Epiſcopum oportere totam eius vitæ rationem explorare & expendere; qua facta vitæ conquiſitione duriſſima, ſi dignum tanto beneficio iudicet, conferre poſſe. Quod autem medio canone ſancitur ſi ſum-

Digitized by Google

pto viatico meliuſculè habuerit nõ eſt opus dicere: nihil enim quod difficultatẽ pariat, ibi reperias. In prima enim parte quod obſcurum eſſe poteſt, vox iſta *viaticum*, id totũ ſuſtinet, nimirum quæ ſit eius ſignificatio & notio & quid per viaticum intelligi velint Patres. Zonaras & Balſamon Euchariſtiam deſignari putant, *Iiſdem nihilominus in extremo vitæ diſcrimine poſitis, quamuis mulctæ nomine communione interdictum ſit, ſacramenta impartiri, vt eo quaſi viatico inſtructi decedant, nec ea quæ ex illis efficitur ſanctitate priuentur, hoc canone Patres iubent.* Balſamon, *Iubet enim omnem, cui pœna impoſita eſt & ſacramentis eſt priuatus, præclaro ſanctæ participationis ſeu communionis viatico non priuari in extremo ſpiritu, cum examinatione Epiſcopi.* Quorum ſententiæ accedunt multi recentiores, atque inter hæreticos Caſaubonus in ſuis Exercitationibus. Alij mihi aſſentientur hoc verbo, *viaticum*, Euchariſtiam videlicet non declarari: ſed ſimplicem tantum communionem & ius communicandi, quod pœnitentibus tali præſertim tempore, vel abſolutione peccatorum, vel priuata quadam manuum impoſitione concedebatur. Non me quidem fugit, & id illis largior, verbo hoc aliquoties indicari ſanctiſſimum ſacramentum, vocémque quandam generatim ſumptam, qua quid. quid morientibus prodeſſe magnopere poſſit intelligimus, cuius vis & gratia ipſa ad aliam vſque vitam proſequi & comitari eos poſſit, vt alio quodam loco demonſtrabitur, atque inter cætera viatica nobiliſſimum occupare & ſibi vendicare locum Eu-

Digitized by Google

chariſtiam, eſſeque potentiſſimum. Sed antequam noſtræ ſententiæ ſeu explicationis percenſeantur rationes & argumenta nemini dubium eſſe poteſt, quin hoc canone diſputetur de pœnitentibus, aut de iis qui extra Ecclesiæ communionem ſunt, quique in eo vitæ ſtatu accedente morte è medio tolluntur: Nam canon ait, ſi morbo releuabuntur ijs ad pœnitentiam quam inſtituerant perficiendam, reuertendum; quod non niſi de pœnitentibus, aut de ijs qui peccati lethalis conſcij fuerint dici poteſt. Præterea interpretes qui hoc verbũ, Euchariſtiam, quod eſt in ſecunda parte, communionem reddunt, vt in variis editionibus videre eſt, decipi omnino & labi magnopere, nec eſt ab antiqua verſione facillimè diſcedendum in qua Euchariſtiam legas. Nam quamuis Euchariſtia ſit quoddam genus communionis auguſtiſſimum ſanè & multo perfectiſſimum, tamen plurimi ſunt communionis modi, qui non ſunt Euchariſtia, nec erit difficile oſtendere olim apud maiores noſtros, pœnitentes ad Eccleſiæ corpus adiungi ſolere, & ad ſocietates fidelium reduci aliis omnino viis atque modis, quàm per Euchariſtiam adeo vt qui vbi paſſim legunt Euchariſtiam, ibi reponunt communionem, pari in errore verſantur atque ij, qui hîc communionem collocarunt ad indicandam vocem hanc Euchariſtiam, genus pro ſpecie, vt alij ſpeciem loco generis poſuerunt.

Id autem planum fiet explicatione totius canonis: Rationes afferãtur. Decepti vt ego ſuſpicor fue-

Digitized by Google

runt interpretes, quod crediderint verbum hoc, *viaticum*, aliud nihil ſonare in primis illis temporibus quàm Euchariſtiam, vti hodie nihil aliud ſonat, ſolúmque hoc fuiſſe ſacramentum quod vicem viatici ſubiret ijs maximè qui morerentur: & tamen alibi oſtendimus Baptiſmum, abſolutionem peccatorum, ſimplicem manuum impoſitionem, qua communionem fidelium pœnitentes recuperabant, impoſitionem manuum reconciliatricem potuiſſe æquè ac Euchariſtiam loco viatici præberi, quamtumuis Euchariſtia potentiſſima & perfectiſſima diceretur.

Verbum hoc *neceſſarium*, perpendi debet in huius canonis explicatione, nam cum iſto canone pateat Euchariſtiam non eſſe viaticum neceſſitate abſoluta, argumento erit in prima parte verbum hoc *viaticum*, non ſumi debere pro Euchariſtia; quandoquidem patres de viatico neceſſario in eo diſſerant; & verè neceſſitate abſoluta non eſt neceſſaria Euchariſtia, quo pœnitens de ſua ſalute æterna certus fiat & flammas nunquam deſituras euadat; cui periculo ac diſcrimini Patres hoc canone proſpicere & prouidere voluerunt, nec aliud in prima parte ſanxerunt, quàm id quod omnino neceſſarium videatur, vt ſempiterni exitij metu liberi redderentur. Non eò hæc à me dicuntur, quod non multis partibus abſolutione præſtet Euchariſtia, aut viaticum eius aliis omnibus non antecellat, aut quod pœnitenti optanda non videatur; ideóque quidpiam de eius dignitate ac præſtantia detrahi ac eripi poſſit:

Digitized by Google

ſed quemadmodum mille aurei nummi neceſſitate abſoluta non ſunt neceſſarij ei, qui Romã proficiſci velit; tamen præponderantur & præualent minori ſummæ, quæ abſolutè neceſſaria eſt peregrinanti aut iter facienti. Ita ex eo quod pœnitenti licet morienti & vitiis carenti non daretur olim Euchariſtia, huius ſacramenti dignitas admirabilis corporiſque Chriſti præſentia certiſſima non minuitur.

Omnes autem interpretes ſic vt nullus diſſentiat confitẽtur poſtrema parte canonis iſtius de Euchariſtia verba fieri: imò ij qui communionẽ loco Euchariſtiæ ſubſtituunt. Age verò, videamus vtrum quod de Euchariſtia decretum eſt in poſteriori, & cum eo conuenire, & ad id referri poſſit, quod de viatico in prima parte definitum eſt. Nam ſi hęc inter ſe decreta diſcrepant, quódque de vno aſſeritur in alterum non cadat, facilè erit diiudicare, verbum hoc *viaticum* non habere vim & ſignificationem Euchariſtiæ. Neque enim facilè quis perſuaſerit, eodem in Concilio Canone eodem, quinque aut ſex lineis, Patres aliqua inter ſe contraria & pugnantia decreuiſſe. Et quo commodiùs quod in fine canonis dictum eſt conferatur cum eo quod in principio: Obſeruandum eſt quandoquidẽ *viaticum*, iſtud neceſſarium vocabatur, neceſſariò item fuiſſe porrigendum; ideóque qui illud largiri poterant, vt Sacerdotes, ſine vlla mora ac tergiuerſatione non explorato Epiſcopi conſenſu, aut voluntate dare debuiſſe: Aliter pœnitens, eo quo neceſſariò indigebat caruiſſet; aut ſanè viaticum iſtud quod non-

Digitized by Google

niſi permittẽte Epiſcopo præbere potuiſſent, abſolutè neceſſarium non fuiſſet.

His ita diſcuſſis in ſecunda & vltima parte canonis definitè ſtatuitur, in ipſo exitu ſeu morte Euchariſtiam inconſulto, aut inuito Epiſcopo non eſſe miniſtrandam, inquiſiturúmque Epiſcopum in vitam moréſque poſtulantis Euchariſtiam, eiúſque arbitrio atque nutu poſt exactam conquiſitionem dandam aut negandam. Id autẽ quadrare ne, aut conuenire poteſt in *viaticum* neceſſarium? Si Euchariſtia ſignificatur & intelligitur verbo iſto, *viaticum*, quòd in principio canonis eſt, ſanè *viaticum* omninò neceſſarium eſt. At ſi eſt neceſſarium quid cauſæ eſſe poteſt, cur in fine canonis ſtatuant illam non ſine Epiſcopi authoritate ac iudicio conferendam, & faciant eam, non neceſſarium viaticum? Quomodo illá retineri aut negari poteſt? Quamobrem examinandi pernoſcendíque mores eius qui petit, ſi neceſſariò illam præberi oporteat? Res vna ad ſalutem omninò neceſſaria non dilatio nem ferre poteſt, non tempus, non conſilium, aut inueſtigationem vitæ morúmque momentũ punctúmque temporis, indicium aliquod, vox vna, aut ſignum voluntatis, vultúſque ſatis valent ad extorquendam à presbytero abſolutionem & viaticum neceſſarium tali in periculo: tantùm abeſt vt ad Epiſcopum confugere aut concurrere quemquam deceat, aut eius qui ex hac vita ad aliam proficiſcatur examinandi mores ſint & conquirendi. Vnde perſpicias verbum hoc, *viaticum*, non pro Eucha-

Digitized by Google

riſtia ſumi initio huiuſce canonis, cùm hæc duo decreta inter ſe pugnarent & confligerent, quódque de Euchariſtia dictum eſt, non poſſit viatico neceſſario conuenire, de quo initio facta eſt mentio.

Illuſtrabit & illud explicationem noſtrã, ſi conſideremus potuiſſe accidere, vt pœnitens, aut quiuis alius, quem noxa lethifera fœdaſſet, in remotiſſimis locis ac regionibus ab Epiſcopi dominatione, terra maríque in periculũ incideret mortis, cui viatico neceſſario carendum eſſet, ſi Euchariſtia pro viatico neceſſario haberetur, ſi ad hunc modum in ipſo canone legeretur, aut exponeretur: nam multò antequàm Epiſcopus conſuleretur, ægrotíque mores cognitos & perſpectos haberet, huius lucis vſura priuatus fuiſſet. Vnde quod canonis initio ſancitum eſt, ad ſacramentum traduci non poteſt; cùm in poſtrema parte id totum ad Epiſcopi poteſtatem cognitionémque pertineat & transferatur.

Si antiquæ diſciplinæ rationem habueris, quòd ad eos ſpectat qui tempore pœnitentiæ fato quodam ſuo è medio tolluntur, aut Euchariſtiam perpenderis, quanta animi prouiſione aut cautione iiſdem pœnitentibus porrigi debeat, explicationẽ noſtram, vt veram & rationi conſentaneam comprobabis. Nam Patres poſt tertium ſeculũ cenſent nemini, vt liceat ſine illo viatico neceſſario mori. *Nemo enim vinctus anathemate mihi moriatur:* ait Syneſius, *Nemo decedat vacuus communione*, ait Concilium Arelatenſe: & ſanctus Innocentius aſſerit dandum eſſe, vt à perpetuo exitio vindicentur, omnéſ-

que

que canones qui de pœnitentibus morientibus agunt neceſſariò ſubminiſtrandũ docent. Sed quando de iiſdem pœnitentibus differunt, vtrum ſit eis Euchariſtia concedenda, omnes fatentur nõ niſi facta ab Epiſcopo poteſtate, licere. Quartus canon 2. Concilij Carthag. 7. Concilij Græci Carthaginenſ. idem affirmant: qua ex re vbiuis locorum ſemper Eccleſia id retinuit, abſolutionem quæ inſtar erat viatici neceſſarij, neceſſario fuiſſe impertiendam: quod ad Euchariſtiam vero attinet, tametſi pœnitens propius à morte abfuiſſet, eámque obnixè efflagitaret denegandam omninò, donec compertũ fuerit, elapſis ante diebus, nihil ſe ea indignũ præbuiſſe, Epiſcopúmque ei communicandæ poteſtatem feciſſe. Ea enim religione Eccleſia ſemper fuit obſtricta & obligata, vt nemini niſi integerrimo & innocentiſſimo Euchariſtiam cõdonaret, cùm eam ne in morte quidem prę beret, atque hæc mea explicatio, cùm non à præſcripto canonum aberret, eiuſque rei praxis quædam & vſus tot annorum curriculo inualuerit, mihi videor clarè oſtendiſſe verbum hoc, *viaticum*, in hoc canone abſolutioné non Euchariſtiam nominandum.

Sententia ergo huius canonis hæc eſt, in morte pœnitenti abſolutionem negari non debere. Quòd ſi præter abſolutionem, copiam ſibi fieri Euchariſtiæ poſtulet, Epiſcopi eſſe examinare & veſtigare eius mores, quibus probè ſcientérque cognitis, ſententiam ferat. Eam ergo canonis ſententiam &, Patrum mentem, & intelligentiam, qui eius authores

Digitized by Google

fuerunt puto fuiſſe; quo autem res illuſtrior fiat, exempli appoſitione illuſtrabo. Nam vt diximus totus ille canon, prima & vltima parte de pœnitentibus loquitur, qui pœnitentiæ tempus non terminarant, exempli cauſa, qui triginta annorum ſpatio, aut ipſa morte definitam pœnitentiam pœnæ nomine ſubiiſſet, is ſi in morbum lethalem, primo anno pœnitentiæ incurriſſet, beneficij aut gratiæ loco Eccleſia abſolutionem peccatorum largiebatur, eúmque in gregem fidelium adſciſcebat impoſitione manuum: ſed quia eius peccata grauia cum eſſent, non ei illa expiare, propter rationem breuitatis ac tempotis licuerat, Eccleſia illi Euchariſtiam negabat, quo veteris Eccleſiæ diſciplina nõ relaxaretur, néve ſacroſancta Communio, aut corporis Chriſti liberatoris noſtri auguſtiſſimus cibus, certis quibuſdam proponeretur, qui nequaquam ea vitæ ſanctitate quæ requirebatur, præſtarent, quanquam ſceleris omnes & flagitij expertes eſſent. Vt autem nullus dubitationi locus relinquatur, conſiderandum anno Domini 572. Martinum Epiſcopum Bracarenſem in Hiſpania natione Græcum, quoſdam collegiſſe & coaceruaſſe canones conciliorum Græcorum ex eorum numero, quos maximè vtiles & accommodatos ad diſciplinam Eccleſiaſticam in Hiſpania fore cenſebat, eoſque in latinum ſermonem tranſtulit: è quibus 13. canon iiſdem planè verbis reperitur. *Si quis de corpore exiens nouiſsimum, & neceſſarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod ſi in deſperatione poſitus, poſt*

perceptam communionem iterum ſanus fuerit factus, tantum orationis particeps ſit : nam non accipiat ſacramentum, donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis ſunt, & deſiderant accipere ſacramentum, cum conſideratione, & probatione Epiſcopi accipere debeant. In quo videas verbum, *Viaticum*, exponi communionem, hoc eſt abſolutionem & verbum *Euchariſtiam*, ſacramentum, quo modo noſtra explicatione expoſuimus, in eoque canone diſtingui ac ſecerni viaticum ab Euchariſtia, nam verbum ἐφόδιον, verbo cõmunionis & abſolutionis explicat, & Euchariſtiam verbo ſacramenti. Denique his legibus veterem illam diſciplinam viguiſſe, Euchariſtiámque pœnitentibus quandoq; denegaſſe etiamſi eam fermè morientes peterent, canone quarto Concilij Carthag. ſecundi confirmatur. *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare*, quo canone manifeſtum fit, non niſi Epiſcopi iuſſu morientibus pœnitentibus conceſſam fuiſſe Euchariſtiam.

CANON XIX. NICÆNI CONCILII.

De Paulianiſtis & Cataphrygis rebaptiſandis.

De Paulianiſtis, qui deinde ad Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, vt ij omninò rebaptiſentur. Si qui verò tempore præterito in clericorum numero erant, ſi quidem à

culpa & reprehenſione alieni viſi fuerint, rebaptiſati ordinentur à Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si verò examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem & de Diaconiſsis, & omninò de omnibus, qui inter clericos annumerantur, eadem forma ſeruabitur. Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec vllam habent manuum impoſitionem, vt omninò inter laicas ipſæ annumerentur.

D*IACONISSARVM autẽ meminimus*, quæſitum à me plerúmque quid verba illa Concilij Niceni ſibi vellent. Nã Zonaræ & Balſamonis explicatio, multis cum argumẽtis refelli poſſet; ſed omniũ ingenio iudicióque cõmitto. An quiſquã ex eorũ explicatione lucem aliquã, aut veriſimilitudinis auram aucupari poſſit. *Ex earũ numero opportuno tempore, cùm videlicet quadrageſimũ annum impleuiſſent Diaconiſſæ ſufficiebãtur: verùm hæ mulieres quinto & vigeſimo ætatis anno certum quendam habitum ab Epiſcopis accipiebant, vt decimo ſexto allatæ Synodi videre eſt. Eas ergo virgines Diaconiſſarum nomine quæ habitu cenſerentur, manuum vero impoſitione ſacratæ non eſſent Synodus intelligit, ac hæreſim ſuam confitentes laicis ordinibus adnumerandas eſſe decernit.* Non benè ex his quæ diù poſt magnam Synodum ſtabilita, & in Eccleſiam inducta ſunt, formam aliquam aliis ante actis rebus præſcribes: Eccleſia enim perturbationibus expedita, vbi cœpit reſpirare multa ritibus & ceremoniis addidit, & in melius formauit, quæ difficillimis illis tempori-

Digitized by Google

buſ conſultò ſeponebat : quapropter non eſt ex Concilio Carthaginienſi quærenda interpretatio huiuſce canonis Concilij Nicæni, ſed ex ritibus qui tum in Eccleſia obſeruabantur, quas huic explicationi omninò contrarias inuenies. Virgines enim ad Diaconatum nunquam eligebantur; ſed viduæ quæ ſexageſimum annum, aut ampliusimpleſſent. Tertullianus de virginibus velandis, *Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm vniuiræ, id eſt nuptæ, aliquando eliguntur; ſed matres & quidem educatrices filiorum, ſcilicet vt experimentis omnium affectuum ſtructæ; facilè norint cæteras, & conſilio & ſolatio iuuare.* Non ſolum virgines ab hoc munere; ſed etiam mulieres quæ nunquam pepererant, arcebantur; imò monſtrum ait virginem in hoc gradu conſtitutam eſſe, *Planè ſcio alicubi virginem in viduatu*, id eſt in Diaconatu, *ab annis nondum viginti collocatam: cui ſi quid refrigerij debuerat Epiſcopus, aliter vtique ſaluo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monſtrum in Eccleſia monſtretur: virgo vidua hoc quidem portentuoſior, quòd nec qua vidua caput texit, vtrumque ſe negans & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur.* Deinde ob quam cauſam ſacra Synodus, has virgines quæ Deo conſecratæ eſſent, perpetuæque virginitati ante Diaconatum ſeſe obligaſſent, (quamuis extra ordinem & abſque vlla manus impoſitione ad Diaconatum ſeſe extulerant) vtroque hoc honore ſpoliaſſet, & eas inter plebem relegaſſet? Adeóne graue earum erat peccatum, vt ea animaduerſione pu-

Digitized by Google

nirentur, & non ſolùm indignæ hoc gradu iudicarentur; ſed etiam quæ votum, quo nuptiis in perpetuum renunciarant perſequerentur? Quis magis probet ſententiam C. Baronij anno Chriſti 34. numero 283. qui ex hoc canone Diaconiſſas aliquo ritu, aut manus impoſitione initiatas, aut conſecratas fuiſſe negat, atque ob hanc cauſam in hac Synodo eas inter laïcas annumeratas fuiſſe. *Quantumlibet prędictæ Diaconiſſæ curarent, non tamen erant eiuſmodi, vt ſicut Diaconi manus impoſitionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiatæ eſſent. Nam ſacroſancta Nicęna Synodus ea ex cauſa eaſdem inter laïcos adnumerat.* Multa poſſem argumentari, quæ eius ſententiam infirmant: in poſterioribus Conciliis de earũ conſecratione, & initiatione decreta multa inueniri: nonniſi multò poſt hanc Synodum de Eccleſia eas ſublatas eſſe. Eas denique poſt eandem Synodum rebus Eccleſiaſticis, matrimoniis putà, & lauacris ſeruiiſſe, & in inſtruendis & docendis fœminis Catechumenis operam, & ſtudium conſumpſiſſe; ſed ex hoc ipſo loco perſpicuum eſt, eas non ſolùm in clericorum numero, ſed etiam initiatas & conſecratas fuiſſe. Nam cum Synodus quaſdam quæ minùs rectè, & extra ordinem inſtitutæ eſſent inter laïcas deputandas eſſe cenſet: ſubintelligendum profectò relinquit, quaſdam fuiſſe, quæ ritè & ordine conſecratæ eſſent. Denique quid toto canone ſtatuitur? Quid præcipitur? quæ eſt eius ſententia? Si ab hęreſi redeuntes Diaconiſſas, eundem iubet apud Orthodoxos honoris locum retinere, quem inter

Digitized by Google

hæreticos obtinuerant, nónne ſequitur quaſdam fuiſſe quæ initiatæ & conſecratæ eſſent?

Venio nunc ad huiuſce loci explicationem quæ facilis eſt, ſi ex totius canonis ſententia hauriatur: Priore enim parte dixerat ſancta Synodus, eas (vti cæteros) in clero eſſe retinendas, quæ manus impoſitione hoc munus adeptæ eſſent, ſi modò eo honore dignæ inuenirentur, & modeſtiæ & pietatis exẽplum inter hæreticos dediſſent. Poſtrema vero hac parte addit, ne quidem eas pro Diaconiſſis habendas, quæ praua licentia hanc dignitatem & habitum Diaconiſſarum, ſine manuum impoſitione ſibi adrogaſſent, & in clerum, nullo authore, nullisve ſacris & ritibus irrepſiſſent. Quamobrem autem habitum Diaconiſſarum ſine manus impoſitione, & ſolitis ritibus hæ mulieres potius induiſſent apud hæreticos, quàm cæteri ex clero, neſcio equidem niſi quod mulieres hæreticæ, vt ait Tertullianus, maximè ſint procaces, aut quod licentia quadam, cum nulla ſit apud hæreticos diſciplina, *hodie Presbyter, qui cras laïcus*, id factum eſſet. Cæterum quod olim Diaconiſſæ peculiari quodam habitu ornatæ & diſtinctæ eſſent à cæteris, nemini dubium eſſe puto, qui meminerit, cæteris mulieribus in Eccleſia & alibi eas præfectas eſſe, viduaſque, quæ non eſſent ordinatæ ex canone 27. Concilij Arauſicani veſte propria & peculiari indutas fuiſſe. Denique in canone 104. Concilij quarti Carthaginenſis hæc verba habentur, *& veſte laïca abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint*, & in canone quin-

quagesimo quinto Toletani quarti. *Duo ſunt genera viduarum, ſeculares & ſanctimoniales, ſanctimoniales ſunt quæ iam mutato habitu ſeculari ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis & Eccleſiæ apparuerunt.*

CANON XI. CONCILII CHALCEDONENSIS.

Egenis Epiſtola tribui debet, honeſtioribus formata.

Omnes pauperes & qui auxilio indigent cum examinatione, cum epiſtolis ſeu pacificis Eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum commendatitijs: Quoniam litteras commendatitias ijs ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ præberi oportet.

MVLTIPLEX huiuſce canonis difficultas ſcaturit ex vnico vocabulo ὑπόληψις, varii enim interpretes cum variam ei ſignificationem aſſignent, vtra ſit verior non facilè expedieris, ſuſtinẽdum ergo iudicium eſt, nam quoquo te verteris, præſtò eſt veterum interpretum authoritas, quæ in ſcriptis eorum venerabilis, in animis noſtris ſacra eſſe debet. Duæ ſunt verſiones latinæ veteres quæ interpretantur τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει, perſonis honoratioribus. Antiquitas harum verſionum magni ponderis eſſe debet, vt pote quæ Zonaræ & Balſamonis & Mathęi Blaſtaris verſiones longo interuallo antecedat,

tecedat, & ſi coniecturę res ſit, credendum ab hominibus linguæ Grecæ & vetuſtatis cognitionem callentibus proficiſci, necnon Concilij Chalcedonenſis proximis. Eſt & alia interpretatio ipſorum Neotericorum Græcorum τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει perſonis ſuſpectis vt Zonaræ, Balſamonis atque vt fertur Mathæi Blaſtaris. Qua in re in ſuſtinendo iudicio lectoris mira prudentia eſſe debet. Quis enim crederet viros tantos, ratione Græcos; in politia Eccleſiaſtica verſatiſſimos in patria peregrinari, & vocabulum græcum non intelligere? cum maximè ex Latinis Græca non fecerint, ſed Concilium vt erat græcè conſcriptum, græcè ſint interpretati. Zonaras in hunc canonem vndecimum, *Commendatitiæ vero ſunt quæ ſegregatis antea clericis, aut laïcis, aut omnino ignotis hominibus in aliam vrbem migrantibus duodecimi, aut trigeſimi tertij canonis Apoſtolici decreto tradi conſueuere, quæ uel eos pœnis ſolutos, vel in numero fidelium habendos eſſe demonſtrent: proindeque illos vrbis eius ad quem proficiſcuntur Epiſcopo commendant, atque conciliant. Accipiunt ij quoque commendatitias qui vocati in iudicium, ſe à culpa immunes oſtenderint, quibus & ei ad quem miſsi ſunt Epiſcopo commendentur, ex falſa delatione ipſorum innocentiam tentatam fuiſſe, teſtatum fiat*, Balſamo ibidem, *commendatoriæ ſcripturæ dicuntur quæ dantur clericis, ab ijs qui illos ordinarunt, dicuntur etiam & eæ quæ dantur Epiſcopis, vel clericis ſegregatis, & qui alioqui fuerunt in non bona exiſtimatione.*

Cum hi duo interpretes de perſonis ſuſpectis interpretati ſint, occaſionem dederunt conſimilis in-

Digitized by Google

terpretationis Herueto & Bernardino Ferrario qui librum ſcripſit de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere, cuius verba magnam partem ex Blaſtare qui nobis nunc ad manus non eſt, deſumpta referam, *Omnino tres ob cauſas commendatitiæ tribuebantur. Primò peregrinationis quibuſcumque clericis ſiue laïcis, vt eiuſmodi litteris tanquam hoſpitalitatis teſſera muniti, vbique terrarum ab æquè Catholicis benigne exciperentur hoſpitio. Deinde clericis ad eorum ordinationem comprobandam. Poſtremò ignotis hominibus aut ſuſpectis, vt eos vel notos redderent, vel iniuſtè accuſatos crimineve ſolutos, vel pœnis tandem liberatos oſtenderent.*

In hac varietate opinionum lectori fieri non poteſt ſatis, niſi aut à vera intelligentia litterarum pacificarum & commendatitiarum, aut ab inueſtigatione ſignificationis huius vocis ὑπόληψις, qua vſi ſunt authores proximiores Concilio Chalcedonēſi. Ad primum quod attinet non tam facilè percipi poteſt, quid fuerint commendatitiæ litteræ; cui enim exploratus eſſet earum vſus, nulla ſuboriretur difficultas in ſenſu huiuſce canonis, nec in ſignificatione ὑπολήψεως. Zonaras ad hunc canonem ſcribit tria hominum genera commendatitias accipere conſueuiſſe. Tradebantur enim ſegregatis clericis, aut laïcis in aliam vrbem migrantibus; aut omninò ignotis hominibus, vocatis etiam in iudicium ſi ſe culpa immunes probauiſſent, idem ferè habet Balſamon.

Bernardinus Ferrarius tribus de cauſis dari ſolitas ſcribit, Cuiacius Nouel. 6. Zonaræ & Balſamoni

Digitized by Google

aſtipulatur. Pluribus in locis commendatitiarum litterarum fit mentio, non magna tamen lux affulget ſcire cupientibus, qua in re à pacificis, canonicis, communicatoriis, formatis, dimiſſoriis diſcreparent, aut quem vſum haberent peculiarem. Plurimi ſiquidem canones ſtatuunt clericos minime admittendos eſſe, aut peregrinari debere, ſine commendatitiis, can. 12. & 33. Apoſtolorum, 9. Sardicen. 11. & 13. Chalcedon. 28. Carthag. 3. can. 3. & 8. Agden. can. 12. Turonico primo & 5. Anglicano, 2. Andegauenſ. iiſdem de cauſis alij canones ſtatuunt etiam clericos accipere debere formatas, & ſine illis vetant admitti, vt 28. Carthag. 3. 50. & 51. Meldenſis, quadrageſimo primo Laodicenſis. Plurimi etiã canones præcipiunt clericis, vt accipiant ab Epiſcopis ſuis, litteras, vt quinto & ſeptimo Carthaginenſis; neque addunt canonicas, formatas aut commendatitias: vnde colligi poſſet nomine tenus differentiam conſtituiſſe: & in omnibus illis canonibus non facilè deprehendes litteras commendatitias datas fuiſſe presbyteris ſuſpectis, aut criminũ poſtulatis. Qui verò ita interpretantur, non tam canonum authoritate quam ambiguitate huius vocis ὑπόληψις, nituntur, quàm fortè perperam reddunt, & inuita ſententia: ſi enim huiuſmodi litteræ ſuſpectis dabantur, cur nullibi earum fit mentio? Cur frequentiùs clericis quàm laicis dabantur?

Scribit prętercà Balſamon ad hunc canonem: qui volunt in aliis regionibus ſacra celebrare, debét non ſolùm commendatitias epiſtolas afferre; ſed

Digitized by Google

etiam pacificas, quod ſecùs ſe habere videtur. Nam clerici nunquam pacificas, aut communicatorias litteras accipiebant, ſed ſoli laïci: Cùm enim pacificæ, dimiſſoriæ non eſſent; ſed tantùm fidem facientes qui eas reddebat, excommunicatum nõ eſſe, ſed inter fideles recenſeri, cui vſui potuiſſent eſſe clericis? qui vt hoſpites exciperentur, & ſacris altaribus admouerentur, qua illis tranſeundum eſſet, non ſolùm docendum erat ſe eſſe in ſocietate fidelium; verumetiam aliquo ordine & honore inſignitos. Quapropter dimiſſoriis vtebantur clerici, aut commendatitiis, quibus vtrúmque teſtatum foret.

Itaque qui communicatorias & pacificas à commendatitiis non diſcriminant, falli videntur. Pacificæ ſiquidem ſolum laïcis dabantur peregrinantibus, vt ad communionem admitterentur & hoſpitalitatis iure gauderent. Dimiſſoriæ autem ſolis duntaxat clericis; vt facultatem haberent manendi in alia Diœceſi & miniſtrandi, quas ſi non haberent eliminarentur: de his intelligendus venit canon 17. in Trullo, 15. Apoſtolorum.

Sed quod ad commendatitias attinet, eæ videntur eſſe, quæ in commendationem laïcorum & clericorum ab Epiſcopis & Metropolitanis ſcribebantur, quarum fide & authoritate quà incedendum eſſet, non ſolum in negotiis ab omnibus adiuuabantur: ſed etiam lautiùs excipiebantur. Non enim concedebantur niſi dignioribus & alicuius exiſtimationis, vnde inter has & communicatorias & dimiſſorias (de cæteris taceo quod ad tria iſta capita omnes

reuocentur) id intereſſe videtur quod aliæ communionem, hæ gratiam & fauorem conciliarent.

Cæterum ad veram & Germanam huius vocis ὑπόληψις ſignificationem, appoſitius conuenit prima latinorum verſio, Balſamone & Zonara licet Græcis origine repugnantibus; Princeps enim omnis eruditionis Ariſtoteles, ἐν τοῖς τόποις. Εἰ ὑπόληψις ἐστὶ ψευδὴς ἢ ἀληθὴς, εἴη ἂν καὶ δόξα; εἶδος γὰρ ὑπολήψεως ἡ δόξα. Si exiſtimatio eſt falſa, aut vera, opinio erit huiuſmodi, ſpecies enim exiſtimationis eſt opinio, τῶν δὲ ἀρχόντων κατεγίνωσκε ῥαθυμίαν ὡς οὐ φροντιζόντων τῆς αὐτοῦ ὑπολήψεως. Principum autem ſocordiam condemnabat, quod ſuæ exiſtimationis nullam rationem haberēt. Quod Ariſtoteles, δόξαν, Polybius Ariſtotelem imitatus διάληψιν, pro δόξα vſurpauit. Non vt voluit Caſaubonus διάληψιν appellauit, quam vulgò alij authores ὑπόληψιν, certam opinionem de aliquo conceptam. Appoſitè verò citat Caſaubonus Iuſtiniani Nouellam 123. ὅν πάντες οἱ μοναχοὶ ἢ οἱ καλλίονος ὑπολήψεως ὄντες ἐπιλέξωνται, & felicius interpretatur quam in editione latina habetur. Citat etiam ex Nouella 90. teſtes, εὐυπολήπτους, integræ famæ. Hoc non ingenuè quod Cuiacium diſſimulauerit ſcribentem ad cap. 5. de clericis non reſidentibus: *Non eſt omittendum quod Chalc. Synodi proditum eſt cap. 11. à commendatitijs litteris ſiue ſyſtaticis, εἰρηνικὰς ſeparari, quaſi hæ dentur humilioribus, illæ honeſtioribus*, τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει, *qui ſont en reputation.*

Cum hæc ita ſe habeant ſecundum primam verſionem quæ interpretatur ὑπόληψιν perſonas hono-

Digitized by Google

ratiores(quo verbo vtitur Concilium Matiſconenſe primum canone vndecimo) duas explicationes hic canon admittere poteſt, quia nimirum commendatitiæ duabus de cauſis dabantur. Docuit nos iam ante Concilium Sardicenſe, litteras commendatitias ſcriptas fuiſſe ab Epiſcopo, aut Metropolitano in gratiam clerici, aut laïci negotiorum cauſa ad Imperatorem, aut in caſtra proficiſcētis, vt commendatione Metropolitani, aut Epiſcopi, qui in aula erant Epiſcopi, curam ſibi aſſumerent nomine Eccleſiæ, negotiorum eius qui commendabatur. Hoc ſenſu poſſumus litteras commendatitias accipere, & hūc canonem enodare, ſi dixerimus cōſentaneum nō fuiſſe proletario cuilibet, egeno nimirū & acciſis opibus, aut ſentētiam paſſo, in exilium vel ad metella, aut Cæſarem appellante commēdatitias indulgere: Nam ſi Eccleſia promiſcuè & indifferēter quaruncumque perſonarū tutelam ſuſcepiſſet, hæc paſſiuitas Eccleſiæ dignitatem apud principes & quoſuis magiſtratus non minimùm imminuiſſet. Quod ſi cauſa pauperum, orphanorum, viduarum, aut ad triremes damnatorum æquitate nitebatur, & ea ratione patrocinium Eccleſiæ deſiderabat, eo caſu ſequēdus erat nonus Can. Sardic. qui ſtatuit Diaconum deſtinari ad Fratres & Coëpiſcopos; qui illo tempore in his regionibus & vrbibus morabantur, in quibus felix & beatus Auguſtus rempub. gubernabat, & ei negotium dandum eſſe, vt hoſce pauperes quantum poſſet Eccleſiæ nomine adiuuaret. At commēdatitias dare quibus-vis pauperibus,

Digitized by Google

orphanis, viduis aut ſententiam paſſis, Concilium Chalcedonenſe, Sardicenſe inſequendo æquum non putauit. Præterea hæ litterę ſortiebantur alium effectum, ſecundum quem poſſumus hunc etiam canonem explicare. Nam qui cum his litteris iter aggrediebantur, ſumptibus Eccleſiæ alebantur, & longè lautius ac curioſiùs exhibebantur cum commendatitiis litteris, præ his qui tantùm pacificas, aut communicatorias adferebant, (neque hic neceſſitas incumbit probandi hoſpitalitatē hanc ſumptibus Eccleſiarum exerceri ſolitam fuiſſe plerique omnes canones id teſtantur) canone ergo hoc vndecimo ſtatuitur diſcrimen perſonarum adhibendum eſſe, pauperibus nimirùm abundè eſſe, ſi litteras pacificas & communicatorias accipiant, quibus fulti tanquam Chriſtiani ijs rebus quæ peregrinantibus ad vitam ſunt neceſſariæ procurabantur; commendatitias autem non accipient, vt dignationis perſonarum habeatur ratio & ſumptuum, quemadmodum cauetur canone ſecundo Concilij Carthag. tertij *minuſque ſumptuoſi hoſpitibus exiſtant*. Nec abnuendum nonnullos repertos, qui abuterētur commendatitiis, ſortem ſuam & dignitatem circumforaneorum more, mentientes.

Quærerem libenter ex ijs qui Zonaram ſequuntur, num contra ius & fas, pauperes nonnunquam inter reos deferrentur, & num iuxta diuites ſuſpecti eſſe poſſent, quod nemo vt arbitror negabit. Magnum enim pauperies opprobrium iubet quoduis perficere & pati, at pauperibus priori parte canonis

commendatitiæ concedi non poterant, ſuſpectis vero ſecunda parte, aut in ius vocatis poterant; non congruit ergo eorum explicatio, quia pauperibus poterat concedi quod ſuſpecti eſſe poſſent, vt omnes concedent: aliunde vero non poterant concedi, quia id in canone prohibetur. Deinde ſi opinioni eorum ſtemus, dabâtur hæ litteræ ſepatatis communione, ignotis, ſuſpectis, reis, poſtulatis: At tantummodo canon dicit οὖσι ἐν ὑπολήψει, non ergo canonis ſenſum, nec commendatitiarum vim aſſequuntur, quia non ſolis ſuſpectis eas volunt dari, ſed multis aliis qui non poſſunt ſignificari per hanc vocem ὑπολήψει. Ediſſerant denique quid tandem cauſæ fuerit, vt dixi, cur pauperibus omni miſericordia digniſſimis denegarentur, ſuſpectis nihilominus concederentur.

CANON XVII. CONCILII ANCYRANI.

De his qui in pecudes vel in maſculos, aut olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt.

Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leproſi ſunt, vel fuerunt, iuſsit ſancta Synodus inter hyemantes orare.

QVID eſt in hoc Ancyrano concilio & canone *inter hyemantes orare*, ita enim in vulgari verſione legitur, non enim vt opinor eos intelligit

qui

Digitized by Google

qui ſpiritu immundo afflati, aut correpti, neque eos qui imminuta mente furioſi eſſent: nam vtriſque vt rectè interpretes animaduerterunt, ſi lucidis gauderent interuallis Euchariſtia præberi poterat ex Timothei Alexandrini can. 3. Hos verò de quibus in hoc canone eſt mentio, in alicuius rei putà Euchariſtiæ, aut orationum participationem admittere nefas erat, nam proximo canone & præcedenti in eoſdem graues pœnæ inſtitutæ ſunt. Neque propterea Balſamonis mihi probatur ſentẽtia, qui hyemantes eos eſſe dicit, qui ſub ferula diuinas litteras audiebant, id eſt pœnitentes qui de integro, tanquam rudes & Catechumeni erudiendi tradebãtur. Nam ex eius explicatione quid grauius ſtatuitur, in hos peccatores quam in eos de quibus præcedenti canone refertur? Nihilominus manifeſtum eſt Synodum grauiorem in hos, quam in alios pœnã inſtituere voluiſſe. At vero ſi nihil aliud hoc canone iubetur, quam vtróſque diuinis concionibus intereſſe poſſe, quomodo horum delictorum genera diſtincta, aut diſpares pœnas eſſe reperies? Deinde omnes omninò pœnitentes ante ſubſtrationem, ſcripturas cum cathecumenis audiebant: auditio enim ſecundus erat gradus pœnitentiæ quem decurrere, & per quem ad exitum pœnitentiæ peruenire omnes omnino tenerentur pœnitentes. Can. 22. Epiſt. 3. D. Baſilij. *Deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad auditionem admitti: tertio ad pœnitentiam: quarto ad congregationem; deinde ad boni communionem.* Can. 11. D. Gregor. Taum. *fletus, auditio, ſubſtratio,*

Digitized by Google

conſiſtentia, participatio. Can. 11. Concil. Nicæni: canonibus 4.5.6.7.8.9. Concil. Ancyrani: quare nihil opus erat ab hac Synodo decerni vt inter audientes remanerent, quia pœnitentiam, vt dixi, nequaquam explere potuiſſent eiuſmodi impudici, quin denuò Scripturas ſacras audiſſent. Cæterùm non magis rationi conſentaneum eſt audientes vocari hyemantes, quam flentes, aut ſubſtratos: imò hoc nomine citiùs flentes intelligerentur quam audientes, quod pro foribus templi manerent, ibíque cõtinuis lachrymis veniam deprecarentur; audientibus verò fores Eccleſiæ paterent cum Scripturæ legerentur. Denique veriſimile eſt his verbis, *inter hyemantes orare*, iudicium Synodi pœnámque integram, non verò partem pœnæ contineri: at Auditio erat pars pœnæ & iudicij, quòd pœnitentes ſubirent. Quid? Concilij Eliberini, can. 71. perpetua pœnitentia puniuntur ſtupratores puerorum, quãto grauiori digni ſunt animaduerſione qui hoc canone recenſentur. Melius certè & magis ingenuè reſpondet Ioan. Zonaras cum fatetur ſe non percipere quid ſit inter hyemantes orare.

Quamobrem aliud quidpiam excogitandum eſt vt horum ſenſus enucleetur. Qui ob grauia delicta verbi gratia fornicationis aut adulterij pœnitentiá agebant, aut eam petebant; certùm eſt ſub quodam tectulo pro templi foribus eos ritus pœnitentiæ, & exomologeſim peregiſſe, id eſt presbyteris aduolutos, caris Dei & martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos eſſe, cęteros denique fratres, vt ſibi de-

Digitized by Google

precatores eſſent, oraſſe: verùm qui grauiora delicta, vt ſunt ea quæ hiſce canonibus commemorantur, commiſerant, quique perpetuam agerent pœnitentiam, non ſolùm ab Eccleſia, ſed ab illo tectulo arcebantur, quos hic hyemātes vocari exiſtimo, & inter eos, hos impudicos leproſos orare iuberi: hyemantes autem dici videntur, vel quia ab hoc tectulo ſemoti, ſub dio orare, & pœnitentiam agere cogerentur, vel certè quia in Eccleſiæ portum nunquam reciperentur, vt ait Balſamo. Tertulliani verba de Pudicitia totam hanc rem & locum illuſtrant: *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus, vltra ius naturæ non modo limine, verùm omni Eccceſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta; ſed mōſtra.* Quid ſit cauſæ quamobrem hi leproſi grauius puniantur quam alij non inuenio, niſi quod hi pecudes & cętera animalia, quæ ad victum mactantur contagione inficere poterant.

Eſt & alia explicatio ſi quis hanc faſtidiat, quæ à Martino Bracarenſi affertur, *Quòd ſi & hanc menſuram aliquis tranſgreſſus fuerit, Sacramentum nec in exitu conſequatur, oportet enim tales inter dæmonioſos ordinare.* Hyemantes intelligit eos qui immundis ſpiritibus agitantur, quibus cum quidam in Eccleſia locus, à fidelibus, catechumenis, pœnitentibus procul ſemotus adſignaretur, in quo cum non vexarentur orare poſſent: hoc canone inter eoſdem eiuſmodi ſcelerati & perditi homines tanquam impuriſſimi relegantur; & idem in Eccleſia locus, ſi precibus Dei iram mollire cuperent, pręſcribitur: inter hyeman-

Digitized by Google

tes igitur orare eſt inter Energumenos & eodem loco orare poſſe quemadmodum pœnitentes inter Catechumenos orare; quæ loquendi formula frequentius occurrit in canonibus, quâque nihil aliud ſignificatur, quam pœnitentibus poteſtatem fieri ſtandi in Eccleſia cum Catechumenis, atque eodem loco & tempore orare poſſe, ita hos ordinari & orare inter Energumenos, nihil aliud eſt quam eis licere eodem loco preces ſuas offerre & orare.

CANON VI. CONCILII NEOCÆSARIENSIS.

De prægnantibus baptiſandis.

De ea, quæ vterum gerit, quod eam oporteat illuminari quando velit, neque enim eam quæ parit, cum fœtu qui paritur, ea in re habet aliquid commune, quod propriũ vniuſcuiuſque inſtitutum ac propoſitum in confeßione oſtenditur.

QVIA *proprium vniuſcuiuſque propoſitum*, de fide interrogabantur Catechumeni antequam baptiſarentur: neque aliter ad fontem lauari admiſſos reperies, niſi eius rationem aliquam reddidiſſent, *interrogant eos noſtræ fidei ſacerdotes, & ſi præuiderint in Patre & Filio, & Spiritu ſancto eos baptiſatos.* Arelatenſe primum cano. 8. Præterea paulò antequam mergerentur, baptimum ſe optare, ſe baptiſari velle magna voce conteſta-

Digitized by Google

bantur: quæ cum ab ijs qui parentum vtero includerentur non poſſent fieri, ad eoſdem baptiſmi vis & gratia peruenire & penetrare non poterat: hunc ipſum canonem ita interpretatur Martinus Bracarenſis, *nam nihil in hoc participat mater infanti qui naſcitur; propterea quod vnicuique propria voluntas in confeſſione monſtretur.*

CANON XII. CONCILII NEOCÆSARIENSIS.

De his qui in ægritudine ſunt baptiſati.

Si quis ægrotans fuerit illuminatus, non poteſt in preſbyterum euehi, fides enim eius non eſt ex inſtituto, ſed ex neceßitate, niſi forte propter conſequens eius ſtudium & fidem, hominumque raritatem.

DE huius canonis ſententia dubitari video, & eam aliter à quibuſdam accipi, quam à Patribus concepta ſit: nimirũ hoc canone à Sacerdotio eos penitus arceri, qui in obitum vſq; baptiſmum prorogaſſent, quod inſania quadam notarentur; verum hallucinantur egregiè; nam in hoc canone non agitur de his qui in mortem baptiſmum diſtuliſſent, ſed de his, quos mors in ipſo catechumenatu & antequam ad eius temporis exitum potuiſſent peruenire, occupaſſet. Neque à ſacerdotio propterea arcentur, quod ea de cauſa eſſent infames, aut

Digitized by Google

malè audirent, ſed ordinari nequaquam poterant, (vt in quodam canone habetur) quod docere, fidei arcana tradere, exponere, & cætera Sacerdotij officia implere non poſſe viderentur, quos valetudo prima fidei elementa non ſiuiſſet ediſcere, & rerum omnium ignaros & rudes baptiſari coëgiſſet. Hæc eſt ratio quamobrem ad ordines non adlegerentur.

Fides enim eius non eſt ex propoſito, metu mortis potius, quam quod fidei ſuæ rationem reddere poſſit, profitetur ſe in Deum & Chriſtum credere.

CANON II. CONCILII ANTIOCHENI.

Non licere communionem Eccleſiæ contemnere, aut excommunicatis communicare.

Omnes qui in Eccleſiam ingrediuntur, & ſacras ſcripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam auerſantur, eos ab Eccleſia expelli, donec, poſtquam confeſſi fuerint, fructúſque pænitentiæ oſtenderint, & implorauerint, veniam aſſequi poſſint. Non licere autem communicare cum excommunicatis, neque in domibus conuenientes orare pro iis, qui in Eccleſia non communicant: neque in alia Eccleſia recipi, qui in alia Eccleſia non conueniunt. Si quem autem ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quemuis ex canone excommunicatis, communicare apparuerit, eum

Digitized by Google

quoque eſſe excommunicatum, vt qui canonem Eccleſiæ confundat.

V*EL quemuis ex canone*, hoc eſt, qui inter clericos recenſetur, & qui ſocietate & cõmunione Eccleſiaſtica fruitur; per canoné enim hoc loco intelligo chartam illam, qua omnium clericorum nomina, ordines, dignitates, & gradus, omnis denique Eccleſiaſticus Senatus, & conuentus inſcriptus legebatur: & ita accipiendum cenſeo, quod in decimo-ſexto & ſeptimo Nicœni reperitur, *qui in canone recenſetur*, item, *quicunque omnino in canone recenſentur*, Item quod habetur in hiſtoria Nectari τῷ κανόνι προστεθῆναι: non vt quidam malè interpretantur, Pœnitentiarũ illum aliquo decreto, & canone Eccleſiæ in odium Nouatianorum adiunctum: Canoni enim adijcere, eſt nouum illum Pœnitẽtiarij gradum & dignitatem inſtituere, de nouo hunc gradum cæteris ordinibus adijcere. In poteſtate enim Epiſcoporum erat nouos gradus, nouaſque vt vocant, dignitates adijcere & ſtabilire, & certam eiſdem prout Eccleſiæ ſtatus poſtularet, poteſtatem permittere; quemadmodum eorumdem arbitrio, & auctoritate nonnullos ex antiquis illis gradibus, & dignitatibus antiquatos videmus.

Digitized by Google

CANON II. CONCILII LAODICENSIS.

De his, qui pro diuerſis erratis pœnitudinem ferueutiùs exegerunt.

De his qui diuerſis facinoribus peccauerunt, & perſeuerantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ, conuerſionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concœdatur.

EX HOC canone nonnihil probationis pro ſacramentali confeſſione elici poſſe inficias non iuerim. Quo enim modò præſcribi potuiſſet pœnitentia adæquata peccatis, niſi peccata perſpecta fuiſſent ei qui pœnitentiam imponebat. Quapropter ſectarios deficere debet obtrectatio; fateri ſiquidem coguntur tempore huiuſce canonis confeſſionem in vſu fuiſſe: Non tamen abnuerim hæc verba, *perſeuerantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ*, ad confeſſionem ſacramentalem non pertinere, adductus rationibus quæ ſequuntur, vbi quæ ad intelligentiam huius canonis faciunt expoſuero. Si quis ſit ponendi callidiſſimus, huius canonis Hypotheſin eſſe fatebitur, conſtare debere vtrum pœnitentia & communio dandæ ſint eis qui permulta capitalia ſcelera admiſerint. Ratio dubitandi hæc erat quod qui plurimis criminibus

Digitized by Google

criminibus vrgeretur indignus erat omnino gratia & pœnitentia : cùm videlicet, qui ſolum crimen conceperat, & fecerat per viginti quinque aut triginta annos in pœnitentia deliteſcere cogeretur, ſi illud eſſet capitale, vt patet in Concilio Eliberino. Qui peccatum maximum admiſit irrogatur pœnitentia; ſi plura, denegatur. Deciſio tamen Patrum vult, quod ſi in efflagitãda pœnitentia perſeuerent, afflictationibúſque corporis teſtentur, ingenti dolore Deum offendiſſe remorderi, indulgeatur illis pœnitentia, tum demùm communio.

Amplius notandum vt perſpectior ſit ſenſus canonis, quòd qui confiterentur, aut ſtatim abſolutos fuiſſe, aut eis ſtatim conceſſam fuiſſe pœnitentiam ſi meruiſſent; aut excommunicatos, ſi reatus eorum excommunicationem merebatur. Ad hæc tria genera confeſſionis, & non vltrà vſurpabãtur. Qui poſt confeſſionem excommunicabantur ſi cura ſuæ ſalutis eos tangeret, in ſqualore & miſeriis limina Eccleſiarum pererrabant, cum lachrymis & ſingultibus conabantur à prætereuntibus miſericordiam extorquere, oſtentantes quanta ægritudine, quantis ærumnis diſcruciarentur propter commiſſa, proſternebant ſe humi ante Epiſcopos, aduolebant ſe genibus preſbyterorum, veſtigia fidelium adorabant. Quibus frequenter repetitis miſericordiam alliciebant, & tum demùm pœnitentia eis concedebatur. De his canon, vt mea fert ſententia, eſt intelligendus. Nam de iis non loquitur qui abſolutionẽ conſecuti erant, excommunicati enim

Digitized by Google

non erant, neque pœnitentia indigebant. Pœnitentia enim antiquitùs ante abſolutionem peragebatur. Nec etiam loquitur de iis qui in inſtanti veſtigio confeſſionis ſuæ ad pœnitentiã admiſſi fuerant. Non enim obſcurum eſt loqui de iis qui pœnitentiam exuta malignitate exigebant, ſed nondum erant adepti. Non poteſt ergo accipi niſi de viris confitentibus atrocia ſcelera, & ob ea excommunicatis: & ſanè omnia canonis verba huic explicationi mirificè congruunt. Nam per hæc, *Perſeuerantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ*, intelligendæ veniunt lachrymæ & afflictationes, quas longo tempore ſufferre & perpeti debebant, vt tandem pœnitentiæ gratiam mererētur. Hæc námque conditio neceſſaria apponitur à Patribus in ſuis deciſionibus, quæ conuenire non poteſt in abſolutionem conſecutos, aut eos quibus conceſſa erat pœnitentia. Ad extremum nullus mihi videtur dubitandi locus, cùm canon apertiſſimè dicat, eos petiiſſe pœnitentiam & excommunicatos fuiſſe; non ergò abſolutionem conſecuti erant, nec erat eis conceſſa pœnitentia. Si ergo intelligendus venit canon de excommunicatis, et ſi in eo quæritur vtrum danda ſit pœnitentia iis quorum animus in nequitia peregrinatus non eſt, ſed habitauit, vnde anathemate icti ſunt, & qui perſeuerant in omni humilitate & auſteritate, vt mereantur pœnitentiæ gratiam, proculdubio hæc verba, *perſeuerantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ*, referri non poſſunt ad confeſſionem ſacramentalem, vt potè quæ excommu-

Digitized by Google

nicationem præcederet. Adde quod quorum hîc mentio fit, confeſſi fuerant cum excommunicati ſunt, & quanto tempore in limine Eccleſiarum volutabantur, vt lachrymis pœnitentiæ gratiam promererentur non confitebantur. Demùm hæc verba, *perſeuerantes in oratione confeßionis*, conditio eſt qua voluerunt Patres pœnitentiam eis concedi. At qui tam enixè efflagitabat inſuper habuiſſet confeſſionem detrectare. Sed quoniá plurimi qui pœnitentiam poſtulabant, non ſat euidenter probabant ſe verè & ex animo dolere & angi quod Deum offendiſſent: Idcircò conditio quæ ſub horum verborum inuolucris latet, confeſſio non eſt, ſed actus externi pœnitétiæ quos veteres exomologeſim appellabant. Denique nunquá Patres confeſſionem ſacramentalem orationem appellauerunt, neque pœnitentem in confeſſione perſeuerare debere reperiemus, ſufficit ſemel confiteri: Hoc tamen frequenter occurrit, pœnitentes teſtari debere actibus externis quam acriter commiſſorum dolore angátur, quod vocatur exomologeſis. Hinc Tertullianus ſcribit, *Daniel ieiunus in ſacco & cinere exomologeſim Deo ageret:* Similiter D. Cyprianus, *Azarias aperuit os ſuum, & exomologeſim faciebat Deo ſuo; Daniel exomologeſim faciens dolenter, ac dicens, Domine Deus magnus peccauimus, facinus admiſimus, impij fuimus, tranſgreßi ſumus, ac deſeruimus præcepta tua.* Eadem ratione Patres orationem exomologeſeos appellant, quando pœnitens in limine Eccleſiæ proſtratus ſuſpiriis & gemitibus fatebatur ſeſe peccatorũ omniũ

miſerrimum nec pœnam deprecari. Omnis enim actus externus, ſiue verba, ſiue ieiunium, ſiue lachrymæ, ſiue quid tandem quo teſtamur nos Deum offendiſſe, appellatur exomologeſis. Finem faciam, vbi monuero lectorem in hoc canone hoc verbum, *Pœnitentia* repeti: Primò enim ponitur pro morſu interiori, quo cui dolet Deum offendiſſe; deinde pro afflictatione quæ ab Eccleſia præſcribebatur ad ſatisfactionem.

NOTÆ IN CAPVT SECVNDVM EPISTOLÆ TERTIÆ SANCTI INNOCENTII ad Exuperium.

De his qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus ſunt dediti, & in vltimo pœnitentiam poſcunt.

Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſeruari debeat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſeruatio prior, durior: poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliation ſecuros non re-

Digitized by Google

uocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit iam depulſo terrore communionem dári abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, ne Nouatiani hæritici negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiuſmodi vel in ſupremis ſuis, permittente Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur.

CANON iſte multorum interpretum ingenium exercuit, & ſollicitum habuit, quod ingenuè fateri videatur Sanctus Innocentius Euchariſtiæ non ſolum, ſed etiam reconciliationis ac pacis (quæ apud nos abſolutio vocatur) gratiam moribundis olim denegatam fuiſſe, priorumque ſæculorum diſciplinam & conſuetudinem obtinuiſſe, vt excommunicati ex hac vita ad Dei miſericordiam abſque vllo Eccleſiæ auxilio prætorquam pœnitentiæ remitterentur: Quæ res non mediocriter eos conturbat, quod moribus noſtris ac diſciplinis, quæ tunc obſeruantur, repugnat; ac in Nouatianorum hæreſim inclinare videatur, quo factum eſt vt varias huic canoni ſententias affingerent: ita nonnulli per communionem de qua hic eſt métio Euchariſtiam, ac per pœnitentiam, abſolutionem intelligunt, vt horum verborum explicationem & ſenſum à Nouatianorum hæreſi procul reijciant, qui grauiorum

criminum reis pacem, vel in exitu vitæ, non concedebant. Cæteri de lapſis, hic agi exiſtimant, verbaque illa, *prior conſtitutio durior*, ad Eliberini concilij Patres pertinere, eorumque leges, & decreta ab Innocentio, tanquam ſeuera & acerba, damnari. Ego hos omnes à vero huiuſce canonis ſenſu aberrare cenſeo, vt ex ſequentibus manifeſtum fiet.

Nam quāobrem quæſo tam varias & tam diuerſas ei excogitant explicationes? Cum nihil tam planum ſit quam id vnum hoc ipſo canone agitari, & quæri, quonam modo animaduertendum ſit, vel potius an recipiendi ſint, in fidelium communionem, qui ob noxas ſuas, (quæcumque tandem illæ fuerint) ſacris interdicti, ad mortem vſque nullo ſalutis, aut cenſuræ metu, remanerent, pœnitentiamque niſi morientes non poſtularēt. Hæc eſt Exuperij quæſtio, quæ cum perſpicua & clara ſit admodum, quorſum quæſo de aliis peccatis reſpondiſſet Innocentius? Hi ergo hallucinantur egregiè, qui ad alia peccata hoc reſponſum pertinere putant: De lapſis vero, quamuis Exuperius de his nihil percunctetur, mentionem meritò feciſſe videtur: cum enim priorum temporum conſuetudinem in memoriam reuocet; & quid olim Eccleſia in eiuſmodi homines excommunicatos ſtatuerit (quod ad ea tempora quæ inter Cornelium & Nicænum concilium fluxerunt, referendum puto) non potuit quin de lapſis ageret; quandoquidem plerique omnes qui ea ætate Exomologeſim in mortem differebāt, ij omnes ferè eſſent lapſi: nam cum omnibus aliis

Digitized by Google

peccatis venia longe facilius quam idololatriæ indulgeretur, leuiúſque multò, breuioríque pœnitentia caſtigarentur; veriſimile eſt multos ex lapſis à pœnitentia his malis deterritos, eam in mortem diſtuliſſe; quod inſinuat Cyprianus his verbis. *Et idcirco frater cariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum, toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communionis & pacis: ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari, quia rogare eos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum*, & Concilium Arelatenſe primum, cum de his hominibus qui tardiores eſſent ad quærendam pœnitentiam loquitur, eos Apoſtatas vocat, quod pro coniectura eſt, lapſos, quod vulneris curationem formidarent, pœnitentiam non niſi mortalitatis metu, deſideraſſe; atque ea eſt cauſa cur de lapſis verba fecerit; & de libidinoſis rogatus de idololatris reſponderit Innocentius, quod ſcilicet ex his multi prioribus illis ſæculis nec Dei, nec ſalutis metuentes, non criminum dolore, ſed timore mortis, ad vltimum illud remedium cõfugerent. Ex quibus liquet neque hypotheſim ad theſim, vt quidam volunt, tranſtuliſſe Innocentium: neque alia criminum genera, aut quidquam aliud, ſuo complexum eſſe reſponſo, quam de quo rogatus erat: nám eadem erat cauſa lapſorum qui in extremum vitæ tempus pœnitentiam diſtulerant, & eorum libidinoſorum & libertinorũ, de quibus interrogat Exu-

perius; iiſdemque omnino iudiciis vtriq; coërcendi eſſe videbantur; quapropter appoſitè & accommodatè ad quæſtionem propoſitam, antiqua Eccleſiæ ſtatuta, & conſuetudinem de tardioribus lapſis recipiendis, repetit.

Quod ad eorum coniecturam attinet, qui ad decreta Concil. Eliberini Innocentium reſpexiſſe ſuſpicantur, cum priorem diſciplinam duram & acerbam fuiſſe dicit, non magis ea probabilis eſt, quam illorum explicatio: Nam in eos de quibus interrogatur & reſpondet Innocentius, nil grauius quidquam cæteris Conciliis ſtatuerunt: immò ſi de ea quæſtione interrogati fuiſſent Patres Eliberini neſcio ſi non mitius reſpondiſſent, quam Concilium Arelatenſe, cum cano. 46. & 47. Catechumenos & Apoſtatas, qui per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerant, ad Baptiſmum & ad communionem poſt aliquam pœnitentiam admittant; & quamuis in eo cano. 46. non agatur de Apoſtatis aut lapſis qui mortis metu ad pœnitentiam recurrere adigebantur; ſed de iis qui paulò antè mortem reſipuerant: tamen cum hæc verba in eodem canone habeantur, *Per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit*, Patres huiuſce Concilij ſatis oſtẽdunt, quo animo fuiſſent in eos, ſi eorum cauſa agitata fuiſſet.

Sunt & alia in illo Innocentij decreto ſatis obſcura, quæ aliud ſignificant quam quod oſtendunt; aut ab interpretibus perſpiciatur, quapropter ſingula quæque à nobis ſunt breuiſſime & minutatim euoluenda: ac primum notandum eſt de fidelibus

excom-

Digitized by Google

excommunicatis & à communione non ſolum Euchariſtiæ, ſed fidelium pulſis mentionem eſſe: nam pœnitentia ab ijs ſolis peti poterat.

Omni tempore, qui nunquam aut Epiſcopum, aut Eccleſiam obtinendæ pœnitentiæ cauſa adierant: eadem ferè loquendi formula vtuntur Patres Eliberini & Arelatenſis Concil. *per infinita tempora*, item, *antequam ad Eccleſiam ſeſe repræſentet*.

Pœnitentiam ſimul & reconciliationem, in ipſa morte vel etiam cum vi morbi vox intercluſa eſſet, pœnitentiam ſibi impertiri cupiebant; nullúſque olim communioni & paci Eccleſiæ reſtitutus fuit, quamuis animam penè efflaret, quin ei pœnitentia ante abſolutionem impertiretur: quid autem fuerit illa pœnitentia, aut quomodò à noſtra differat, aut qua ratione eis potuerit dari, quibus ob morbum nullus eſſet vocis aut rationis vſus, in Obſeruatione de Pœnitentia fidelium dicemus.

Reconciliationem, hoc eſt minimam reconciliationem, eámque quæ ius ad corpus fidelium redderet, non autem maximam, quæ daret ius ad Euchariſtiã & ad oblationes: propterea quod, vtrum digni cenſerentur aliqua reconciliatione cum dubitarent, perfacile eſt coniicere minimam fuiſſe, quæ illis concederetur.

Obſeruatio prior, quam ad obſeruationem, aut ad quod concilium aut ſęculum, aut tempus verba iſta ſupra allata reuocanda cenſeantur? Ad ea opinor tempora, quæ Concilium Nicænum antecedunt. Nam in Concilio Arelatenſi primo, vltimo in ca-

Digitized by Google

none legimus abſolutionem Apoſtatis, quorum cauſa ab his, de quibus in hoc capite agitur ſeparata non fuit, negari: ideóque verbum illud, *prior*, mea ſententia ad ea tempora, & ad ea Concilia reiiciendum videtur, quæ proximè à Nicæno abſunt.

Poſterior, nulla ni fallor ante Innocentium de his recipiendis lex ſancita reperitur: ſed veriſimile eſt reſtituta Eccleſiæ pace, & poſt Concilium Nicænũ, ſeueritatem illam qua eiuſmodi homines vltimo canone Arelatenſi puniuntur, paululùm mitigatam, & in communionem morte inſtante eos receptos fuiſſe.

Concederetur pœnitentia, cùm quibuſdam peccatoribus pœnitentia concederetur ſine abſolutione, anathemate eoſdem liberatos & abſolutos ni fallor volebant: Prętereà eis donum pœnitentiæ concedebant: ad extremum eis pollicebantur, & adpromittebant, & quaſi cum eis tranſigebant (nam poterant ligare & ſoluere) ſi perpetua pœnitentia Deo facerent ſatis, illúmque placarent, Deum ipſum peccata penitùs ex animo, quæ altè inſederant, vt ita loquar, deleturum: atque hoc modo pœnitentiam, ſine abſolutione largiebantur; & ea eſt cauſa cur pœnitentiam ſæpenumerò expeterent, ſine abſolutione: vide Obſeruationem de fidelium Pœnitentia.

Sed communio negaretur, quibus pœnitentiam ſine communione concederent, eis à Deo expectādam abſolutionem affirmabant, & ſatis eis videbatur grauiorum criminum reos, eo in ſtatu quaſi

Digitized by Google

conſtituere, quo per ſe diuinum placare Numen poterant: quod autem ad abſolutionem & communionem, eam omnino non laxabant, veteris diſciplinæ retinendæ cauſa, & quodam quaſi metu ſalutari eos coercendi.

Ne communionis conceſſa facilitas, communio, hoc loco abſolutionis, non autẽ Euchariſtiæ vim notionémque habet: verba namque quæ ſequuntur declarant hoc canone communionem, reconciliationem, & remiſſionem pro eadem re ſumi.

Non reuocaret à lapſu. Hoc eſt ſi ijs lapſis qui idololatriæ ſuæ medelam per pœnitentiam, ante obitum non quæſierant, pax olim & cõmunio in morte relaxata fuiſſet, cæteri hac ſpe veniæ quaſi ſecuri, tardiores fuiſſent ad eandem pœnitentiam obeundam, & in mortem eius labores & lachrymas diſtuliſſent, & ita numerus Apoſtatarum in immenſum creuiſſet, nullúſque planè perſecutionũ temporibus fuiſſet, qui idololatriæ ſuæ ſcelus, lachrymis & Exomologeſi confiteri voluiſſet. Quibus de cauſis Eccleſia conſultò eiuſmodi lapſis, qui ad pœnitentiæ remedium ante obitum non confugerent, abſolutionem & communionem licet morientibus, denegabat. Hæc verba ſi ita accipiantur, quæ in hoc canone explicando difficultas ſeſe ſtatim oſtendit, euaneſcet: Nam ex iis potiſſimum oriebatur, cum interpretes ſatis conijcere aut diuinare non poſſent, quamobrem de libidinoſis interrogatus, de lapſis reſpondeat Innocentius.

Ne totum penitùs negaretur, cum ſola pœnitentia

Digitized by Google

vel ſine abſolutione moribundo concedebatur aliquid quod ad ſalutem multum prodeſſet, conſequebatur: Nam benedictione pœnitentiæ, donum primùm pœnitẽdi infundebatur, anathematis peccatum tollebatur, denique pœnitẽtia vel citra ſpem abſolutionis peccata quaſi æſtimabantur, & hoc pretio, ſi plenè & fideliter illud perſoluerent, venia & diuina miſericordia adpromittebatur: quocirca rectè ait Innocentius *ne totum penitùs negaretur.*

Communionem dari obeuntibus, ex his verbis intelligi poteſt, quamuis Eccleſia decreuiſſet, contra quã Nouatiani opinantur, pœnitentiæ aſylum non eſſe ſubſtrahendum, lapſiſque demum ignoſci oportere, alijſque grauiſſimis peccatis, tamen id ea lege conceſſum, vt longior pœnitentia protraheretur.

Quaſi viaticum perfectum, hoc loco perſpici poteſt verbum *viaticum*, pro abſolutione tantum non autem pro Euchariſtia ſumi; neque enim in hoc canone niſi de abſolutione, non autem de Euchariſtia diſſeritur, *& viaticum*, idem eſt quod *communio, reconciliatio & remiſſio*, quæ cum ad ſignificandam abſolutionem & ſimplicem communionem vſurpentur, *viaticum* eiuſdem notionis & ſignificationis eſſe videtur.

Et ne Nouatiani, & quanquam ſanctus Innocentius dicat, ſi in morte abſolutio negetur, id videri propiùs accedere ad Nouatianorum errorem & ſententiam, non propterea quiſpiam inde ratiocinari iure poterit, nunquam ab Eccleſia eam fuiſſe negatam, cum dubium non ſit, idque probari poſ-

ſit, vel ex ipſo Innocentio hoc loco poſt Nouatianos errore conuictos, eam ab Eccleſia interdum denegatam.

Verùm id ita accipiendum eſt, quod ſi abſolutè & præcisè in perpetuum, atrociſſimis illis flagitiis negaretur, hoc facto eóque nomine videri nos in errorem Nouatianorum incurrere: Sed nec illud dici poteſt, quin Innocentij tempore alicui moribundo abſolutio grauiſſima de cauſa retineri potuerit, nullo tamen Nouatianorum exemplo. Nouatiani namque iuris & facti duplici errore tenebātur: eripiebant enim eam Eccleſiæ poteſtatem; ideóque atrociſſimo cuique peccato ius abſolutionis adimebant, réque ipſa, quod profitebantur, præſtabant. Eccleſia autem ea ſe poteſtate præditam ſciebat, & pro arbitrio ſibi licere myſteria diſpenſare, & veniam moribundis & petentibus denegare poſſe, ſed iuſtiſſimis de cauſis rarò hac animaduerſione vtebatur.

A perpetuo exitio, id autem dicit quia reuera, eorum quibus abſolutio dabatur, in periculum non ita ſalus vocaretur, vt illorum quibus tantùm pœnitentia tribuebatur; ſed tamen non propterea eos in damnatorum numerum reiiciebat Eccleſia.

Digitized by Google

NOTÆ IN QVOSDAM CANONES CONCILIORVM GALLIÆ

CANON III. CONCILII PRIMI ARELATENSIS.

Vt qui in pace arma proiiciunt excommunicentur.

De his qui arma proiiciunt in pace, placuit abſtinere eos á communione.

METAPHORICῶs, ſeu tranſlatione quadam ſumpta non exiſtimarim, vt quibuſdam placet interpretibus verbum hoc *arma* poni, ſed vt imperatoria Cõſtantini beneuolentia cõciliaretur, qui fortè conquerebatur plurimos ſpecie, ſeu obtentu religionis militiam ſubterfugere, & ab armis capiendis reuocari. Nam non pauci difficillimis illis ante Conſtantinum temporibus quibus Eccleſia diuexaretur militiam deſerebant, eámque vt odioſam auerſabantur & detrectabant, quod penè impoſſibile eſſet extra noxam militare, & militibus ſatis vnquam cauere quin in aliquam Idololatriæ ſpe-

Digitized by Google

ciem impingerēt, cum militiæ munia & officia fungerentur: Vt igitur à contemptu belli armiſque fugiendis reddita Eccleſiæ pace abducerentur Chriſtiani, Patres proſpexerunt tempore pacis Eccleſiæ & Imperatorum Chriſtianorum ne militare deſinerent: quando illæſa fide ſtipendia in caſtris Chriſtianorum Imperatorum merere poſſent. Id etiam ſtatuerunt Patres vt inde intelligerent & coniecturam facerent Imperatores fore, vt ſi crudeliùs in Eccleſiam ſæuirent ipſorum edicto, in bellis gerendis milites non obtemperaturos. Itaque Patres hoc canone vt Imperatori Chriſtiano obſequerentur, & non ſolum ab Eccleſia, ea quæ ad animę ſalutem, ſed etiam ad Imperium ſtabilēdum attinerent, conſequeretur, omnia illa reſciderunt decreta, quibus Chriſtiani à militia reuocabantur.

In pace, Eccleſiæ ſcilicet, & poſitis perſecutionum procellis.

Abſtinere à communione, pauco tempore à ſocietate fidelium abſtineant: leuis caſtigatio intelligitur, cum eius modus & tempus non apponuntur.

CANON VI.

Vt in infirmitate conuerſi, manus impoſitionem accipiant.

De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

BAPTISATI in infirmitate confirmandi ſunt de huius canonis explicatione plura dicuntur in canone trigeſimo nono Concilij Eliberini.

Digitized by Google

CANON VII.

De Præſidibus, vt cum conſcientia Epiſcopi ſui communicent.

De Præſidibus, qui fideles ad præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit, vt cum promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias, ita tamen, vt in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo eiuſdem loci cura de illis agatur, at cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui rempublicam agere volunt.

NONNVLLI hunc canonem de Schiſmaticis & hæreticis interpretantur, eóque ſtatutum putant, vt à Reipublicæ adminiſtratione excludantur, quorum explicationi etſi auctoritate ſua plurimum apud me valeant, ſubſcribere nequeo; quòd ne verbo quidem de Schiſmaticis & hæreticis illo in canone agatur, aut quidquam aliud quod probabilem huiuſce ſenſus inducat ſuſpicionem reperiatur. Deinde ſi quis ea tempora velit conſulere, atque animo repetere, quo anno Conſtantini, quibuſve Conſulibus hæc lex ſit lata, nondum annos quinque aut ſex fuiſſe, cum ipſe Conſtantinus à falſa Deorum religione receſſiſſet: ab Ethnicis & Gentilibus Pręſidibus non ſolùm ſub Conſtantino; ſed etiam multo poſt eundem Conſtantinum à Proconſulibus

conſulibus Ethnicis Rempublicam, & Prouincias ipſas eſſe adminiſtratas, ſatis erit, vt ab eiuſmodi explicatione deſciſcat. Poſtremò quæro quam veriſimile ſit Patres qui in illa aderant Prouinciali Synodo ſuffragiis ſuis aliquid ſanxiſſe, cuius obſeruatio in eorum non eſſet; ſed in Principis poteſtate. Ne quis Schiſmaticus aut hæreticus quamuis eſſet Prouinciæ Præſes cæterorum communioni ſociaretur, decernere quidem & meritò poterant; ſed eo quod quiſpiam eſſet hæreticus, vt à Reipublicæ adminiſtratione remoueretur, Principis non Eccleſiæ erat iudicium: illius profectò erat imperium Præſidibus abrogare, non Eccleſiæ.

Quod verò rem cauſámque huiuſce canonis continet, eſt quod Eccleſiam noſtri maiores tam prudenti conſilio temperabant, vt nullus omninò proficiſci poſſet extra ſuam diœceſim ſine litteris communicatoriis, ne fieret communio paſſiua, & qui in vna diœceſi eſſent excommunicati, in alia communionem adſecuti, Chriſti corpus & gregem inficerent. *Statuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſque clericus vel laïcus, non communicet in aliena plebe, ſine litteris Epiſcopi ſui. Gratus Epiſcopus dixit, niſi hoc obſeruatum fuerit communio fiet paſſiua.* Canone 41. Concilij Laodicenſis, *Non oportet miniſtrum altaris, vel etiam laicum ſine canonicis litteris, id eſt formata alicubi proficiſci.* Canone ſeptimo Antiocheni, canone 52. Agathenſis, canone 58. Concilij Eliberini. Quod cum ita ſit ſuſpicari neceſſe eſt nobiles & potentes viros, poſtquam alicui Prouinciæ pręfecti (nam patriæ ſuæ

Digitized by Google

præeſſe prefecturámque adſequi nemini concedebatur) eámque adepti eſſent non ſolùm hanc de communicatoriis litteris legem; ſed etiam Epiſcoporum, in quorum diœceſi ſita eſſet vrbs precipua Prouinciæ, authoritatem ſpreuiſſe. In quos hoc canone animaduertitur, iubentúrque cum eiuſmodi litteris in Prouinciã proficiſci, & Epiſcopo Prouinciæ morem gerere: ſed hec huiuſce canonis verba breui illuſtratione lubet perſtringere.

Qui ad præſidatum impetu proſiliunt, Chriſtiani quamuis genere inſignes & optimis eſſent familiis nati, à cuiuſlibet magiſtratus, aut muneris publici petitione abhorrebant, credo propterea quod Prouinciæ ſibi impoſitæ, atque officio ſatisfacere vix potuiſſent illis temporibus, quin ſeſe idolorum ritibus Paganorúmque ceremoniis inquinaſſent, aut in aliquod idololatriæ negotiũ impegiſſent. Quomodo enim fidem per Deos, pérque Ceſarum ſalutem, ipſis Ceſaribus obſtringere, ſacris Deorum intereſſe, ludos dare, ſpectacula edere, militiæ preeſſe & ceteris, quibus ne Prouinciæ & muneri deeſſe viderentur defungi tenebantur inuiolata & incorrupta fide & religione Chriſtiana potuiſſent? Tertullianus de Idololat. cap. 17. *Hinc proximè diſputatio ſuborta eſt, an ſeruus Dei, alicuius dignitatis aut poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie idololatriæ intactum ſe aut gratia, aut aſtutia etiam præſtare poſſit: ſecundum quod & Ioſeph & Daniel mundi ab Idololatria, & dignitatem & poteſtatem adminiſtrauerunt, in ornamento & purpura extitere totius Ægypti, ſiue Baby-*

loniæ. Credamus itaque ſuccedere alicui poſſe, vt in quoquo honore, vt in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque ſacrificijs authoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit: nihil ſolemne pronunciet vel edicat, ne iuret quidem. Iam verò quæ ſunt poteſtatis, neque iudicet de capite alicuius vel pudore (feras enim de pecunia) neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat aut torqueat; ſi hæc credibile eſt fieri poſſe. Item, *Nam dæmonia magiſtratus ſunt ſæculi huius, vnius collegij inſignia faſces & purpuras geſtant.* Item, *Tu ſi Diaboli pompam eieraſti, quicquid ex ea attigeris id ſcias eſſe idololatriam, vel hoc te commonefacias, omnes huius ſæculi poteſtates & dignitates non ſolum alienas, verùm & inimicas Dei eſſe, quod per illas aduerſus Dei ſeruos ſupplicia conſulta ſunt, per illas & pœnæ ad impios paratæ ignorantur.* Eodem Concilij Eliberini canones referendi ſunt 2.3.4.55.56. *Magiſtratum verò anno quo agit Duumuiratum prohibere placet, vt ſe ab Eccleſia prohibeat*; quia ſcilicet Chriſtiani Pręſides vel Sacerdotes, etſi ſub imperio Conſtantini à ſacrificiis & ſolemnitatibus publicis ſeſe abſtinere poſſent, nihilominùs officium ſuum nequaquam adimplere poterant, quin idololatriæ inſeruirent aut fauerent: Innocentius primus epiſtola 3. canone 11. *Præterea frequenter quidam ex fratribus noſtris curiales, vel quibuſlibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt, quibus poſteà maior triſtitia, quum de reuocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gra-*

Digitized by Google

tiæ naſcitur de accito. Conſtat enim eos in ipſis munijs etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inuentas eſſe non dubium eſt, & ludorum vel munerum apparatibus, aut præeſſe aut forſitan intereſſe. Sit certè in exemplum & ſolicitudo & triſtitia fratrum, quam ſæpe protulimus, Imperatore præſente cum pro his ſæpiùs rogaremus, quàm ipſe nobiſcum poſitus cognouiſti, ex quibus non ſolùm inferiores clerici ex curialibus; verum etiam in Sacerdotio conſtituti ingens moleſtia, vt redderentur, inſtabat. Ob hanc cauſam, in illos conſtitutum eſt hoc iudicium canonis 56. Quæ cum perſpicua facta ſint, redeo nunc ad explicationem canonis noſtri. Quidam igitur ambitione adducti, aut imperitandi gloria obcæcati, nulla religionis habita ratione Magiſtratum petebant & prenſabant; hunc eſſe ſenſum horum *ad Præſidatum impetu proſilire*, præter ea quæ adduximus quæ ſequuntur plurimum vt credam efficiunt, *Vt cùm cœperint contra diſciplinam publicam agere*, quaſi velit dicere eos impetu, & contra diſciplinam Chriſtianam prouinciā petiiſſe, quod in eius adminiſtratione, ita ſe ſe gerere non poſſent, quod aduerſus diſciplinam publicam aliquid facerent: ita tamen qui peregrinabantur ſi litteris communicatoriis, quaſi fidei teſſeram & Symbolum oſtenderent, vt fratres & fideles quocumque tranſirent, excipiebantur, nihilominus à nullo poterant corrigi, aut abſolui, & ſi in peregrinatione quicquam animaduerſione dignum commiſerant, ad proprium remittebantur Epiſcopum, propterea aiunt Patres hoc canone, *ita tamen*, id eſt, ſi litteras

Digitized by Google

deferant communicatorias; tamen quia diutius in prouincia remanere debent, Epiſcopis locorum ſubiecti ſunto.

Verum aliam inſtitui apud me horum verborum, *de Præſidibus qui fideles ad præſidatum impetu proſiliunt*, ſententiam quærere: quia hæc non ſatis mihi commoda videbatur. Hæc igitur verba ad canonis titulū non ad ipſum canonē, pertinēt; atque hunc, vti opinor, ſenſum habere deprehendētur, De Præſidibus qui contra regulam Eccleſiaſticam, non acceptis à ſuo Epiſcopo, vt mos erat, litteris communicatoriis, impetu quodam ad præfecturas proficiſcuntur. Hæc enim verba *impetu proſiliunt*, ſic intelligo per ſaltum, non habita diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratione; quemadmodum hodie dicimus eos per ſaltū ad ordines promotos eſſe, qui omiſſa tonſura, quam vocant, ad ſuperiores gradus adlecti ſunt.

Qui fideles, hoc eſt, ſi ſunt fideles, quia ſi eſſent Catechumeni, aliter erant puniendi.

CANON IX. CONC. AREL. I.

Vt qui confeſſorum litteras portant, alias accipiant.

De his qui confeſſorum litteras offerunt, placuit vt ſublatis eis litteris, alias accipiant communicatorias.

DE his litteris in canone vigeſimo quinto Illiberrino ſatis diſputatum eſt.

CANON XIII. CONC. AREL. I.

Vt falſi accuſatores fratrum, vel vaſorum, ſeu ſcripturarum, cum verberibus deponantur.

De his qui ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, vt quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine cleri amoueatur.

Nam ſi ijdem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi & de his, quos ordinauerunt, ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio: Et quoniam multi ſunt, qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemptos putant ſe ad accuſationem admitti debere, qui omninò non admittantur, niſi (vt ſupra diximus) actis publicis docuerint omni ſe ſuſpicione carere.

CANON hic tripartitò diuidendus eſt, vt eius ſententia perſpiciatur, & quid eo tandem ſtatuatur expiſcari poſſimus. Prima parte docent Patres qui perſecutionum temporibus vaſa ſacra aut ſcripturas ſanctas tradiderant, vel Chriſtianos traduxerant, vt ait Tertullianus, & ad Magiſtratus & Præſides detulerant, à gradu & Eccleſia deturbãdos eſſe; ſi actis publicis non teſtimoniis ad eoſdem hæc ipſa crimina pertinere dignoſcantur. Altera à traditoribus eiuſmodi Epiſcopis, etſi quidam eſſent ordinati, ordinationem tamen valere ſi nihil aliud comme-

ruiſſent. Tertiò, admittendum eſſe neminem ad aliquem accuſandum, niſi actis publicis non teſtibus doceret vera eſſe quæ intentaret: quomodo autem docere poſſet actis publicis, accuſationem ſuam omni ſuſpicione vacare, dicetur poſtea.

Omnis Africa duplici malo & calamitate eodem penè temporis puncto peruaſtata & dilacerata fuit, vix enim perſecutiones deſierant, redditáque pace fruebatur, cum repente Schiſmatis rabies & diſcordia ſucceſſit, quæ eam non minus quam lapſorum & proſtratorum acerui afflictauit & oppreſſit: Optatus lib. 1. *& quoniam traditionis reos principes veſtros fuiſſe monſtratum eſt; conſequens eſt eoſdem fuiſſe autores Schiſmatis*: ita Africæ Eccleſia in duas factiones diſceſſit, & quoniam tanta contentione & partium libidine in ſeſe inuicem inueherentur, ſtatuerunt Patres Arelatenſes, vt nemo deponeretur ob ea crimina quæ dum agitaretur Eccleſia, & in eam ſæuirent Imperatores, facta dicebantur, niſi ea actis publicis (ne ſcilicet falſis teſtibus locus daretur) probarentur.

Scripturas ſanctas, Optatus, *inſtrumenta diuinæ legis impiè tradiderunt ex actis publicis*, delationes libellis & actis publicis Præſidum inſerebantur: ex quibus Patres probationem eorum quæ obijciebantur petendam eſſe volunt, non verò ex teſtibus: vel acta publica ea poſſunt intelligi, non ſolum quæ à iudicibus, ſed etiam quæ ab Eccleſia componebantur: de quibus loquitur Optatus. *Sicut ſcripta Nundinarij tunc Diaconi teſtantur, & vetuſtas membranarum te-*

Digitized by Google

ſtimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus.

Non verbis nudis, non nudis teſtimoniis.

Si ijdem, Epiſcopi qui perſecutionum tempore fratres tradiderant.

Ratio ſubſiſtit, nihil aliud contra eos qui ordinati ſunt afferantur, quam ordinantis peccatum.

Non obſit illis ordinatio, non illis obſit, quod à traditore aut lapſo ordinati ſunt, maneant in gradu & officio.

Contra regulam Eccleſiaſticam, teſtes ſubornant, quod prohibitum eſſet.

Actis publicis docuerint omni ſe ſuſpicione carere. Hoc eſt, probauerint per acta publica, eum quem accuſarent crimen admiſiſſe, quod obijceretur, puta vaſa dominica, ſcripturas, aut fratres tradidiſſe (ad ea enim quę in perſecutionibus euenerant totus canon eſt referendus) non enim aliter is qui accuſaret actis publicis à ſuſpicione ſe procul eſſe poterat docere, niſi ijſdem actis reum eum faceret, quem criminaretur, puta proferendo ipſa acta publica Eccleſiæ aut Præſidum, quæ teſtarentur, criminis poſtulatum fratres olim tradidiſſe & detuliſſe.

CANON XVII. CONC. AREL. I.

Vt nullus Epiſcoporum, alium Epiſcopũ conculcet.

CONCVLCARE in hoc canone meo quidem iudicio idem planè eſt atque id quod dicitur, can. 10. concil. Carthag. primi, *Ne quis tranſcendat*

Epiſcopum

Epiſcopum collegam ſuum, hoc eſt inuolare in vicini ſui diœceſim, eique parœcias præripere, quod vndecimo canone Carthag. ſecundi, *Pulſare diœceſim & plebes alterius*. Et canon 20. tertij Carthag. *Supergrediatur in diœceſi collegam ſuum.*

CANON XXIII. CONC. AREL. I.

Vt Apoſtatæ qui tardiùs reuertuntur, niſi per dignam pœnitentiam non recipiantur.

De iis qui apoſtatant & antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſteà infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reualuerint & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

APOSTATÆ qui nullo metu mortis ad Eccleſiam reuertuntur, poſt decem annos ea ætate ad communionem admittebantur, can. 46. Concilij Eliberini, qui verò futuri iudicij timore potiùs quam peccatorum dolore eam peterent, ne quidem in morte ex hoc canone reconciliabantur.

CANON III. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

De pœnitentibus qui de corpore exeunt.

Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit

Digitized by Google

ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum diffinitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt. Quod ſi ſuperuixerint ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariјs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

QVÆ in hoc canone quæſtio pertractatur, ea niſi me fallit animus, vnà eſt ſi pœnitenti, quem dum pœnitentiæ quaſi curſum propoſitum definitúmque percurrit, & antequam confecerit, mors opprimit, Euchariſtia qua ei aditus ad communionem in poſterum pateat, porrigi debeat: propterea quod non deerant, qui exiſtimarent Euchariſtiam illi eſſe tribuendam, nec tali beneficio illum priuãdum, atque ob id Patres ſimplicem reconciliationem prætermiſſa illa maxima, eáque quæ *altario & myſterijs* reconciliabat ad ſalutem ſatis præſidij ac virium habere ſanxerunt: hoc eſt ſine Euchariſtia, nec enim vnquã maximæ recõciliationis fuit vſus, quin eodem tempore Euchariſtiæ fuerit conceſſa perceptio: imò qui reconciliabatur *Altario & myſteriis*, ius ad ſumendam Euchariſtiam acquirebat.

Reconciliatoria manus, duplex erat reconciliatio, de maiori hic loquuntur Patres:

Placuit eòs communicare, id eſt iubemus eos admitti in communionem fidelium & abſolui per ſim-

plicem reconciliationem eíſque reddi ſimplicem communionem, non autem communionem altaribus, myſteriis & Euchariſtiæ.

Qui eiuſmodi communionem, id eſt ſimplicem illam reconciliationem & communionem.

Congruenter viaticum nominauerunt, id eſt exiſtimarunt illam ſufficere ſaluti eorum, qui in pœnitentia moriuntur, quamuis neque maximam reconciliationem, neque Euchariſtiam recipiant.

Legitimam communionem, aut Euchariſtiam intelligas, aut ſimplicem communionem quæ dabatur expleta & finita pœnitentia quæ dicitur magis legitima, quàm quæ dabatur in caſu neceſſitatis, & non abſolutâ pœnitentiâ; quia pœnitentes pœnitentiá peregerant, qua pro peccatis ſatisfecerant, & communionis participes meritiſſimò fuerant.

Cum reconciliatoria, cum reconciliatione myſteriis & altaribus.

Denique canon iſte, vt ego quidem ſentio, conſentit cum canone 13. Concil. Nicæn. & 1. Concil. Carth. quorum decretis illud ratum, non dari poſſe Euchariſtiam pœnitenti moribundo, niſi permiſerit expenderítque Epiſcopus.

Sunt qui exiſtimarent totum hunc canonem ita concipiendum, moribundis, excommunicatis ſatis ad ſalutem eſſe, ſi pœnitentia ſine ſimplici communione concedatur, quia ea ſufficiens eſt viaticũ: ſi verò ſuperuixerint peracta pœnitentia, vtrámque communionem & reconciliationem conſequãtur: huic ſenſui priſca illa diſciplina ſubſcribere poſſet,

ni à canone & decreto Innocentij diſſentiret, quod hos Patres latuiſſe non eſt veriſimile.

CANON IV. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

De Clericis pœnitentiam volentibus.

Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam.

NVM ſatis verba iſta indicant duas olim fuiſſe pœnitentias? Nam cum ea quæ ob merita imponeretur clericis infamiæ notam aliquam aſpergeret, eóſque gradus honore & officio indignos redderet, veriſimile mihi non ſit id ab ipſis deſideratũ & efflagitatúm quo impetrato, tam multa mala patiebantur, quóque expleto inter laïcos recenſebantur: ſed erat quid ampliùs: recuſantes ad eam vltrò compellebantur, & ita attenta inuigilabat Eccleſia, ne quis in culpa hæreret diù, vt nihil opus eſſet eam petere: cùm compertũ eſſet quempiã peccaſſe, volens nolénſq; ad ſatisfactionis remediũ adigebatur. Quapropter mihi incidit ſuſpicio quæ nõ vana eſt de pœnitẽtia conciliũ loquutũ, quæ pietatis cauſa & quadam religione vouebatur: ea enim ætate qua habitum eſt hoc concilium, tametſi omnem extra noxam nonnulli eſſent, nulláque ſatis vehemens eſſet cauſa ad pœnitentiam ſubeundam, ta-

Digitized by Google

men pœnitẽtium modo & ritu ætatem aut aliquod ſe tempus acturos profitebantur, ſolemnitérque hanc religionem atque hoc votum vouebant. De hac igitur religioſa pœnitentia, vt ita dicam, hunc canonem intelligo, quam clericis eo magis concedere verebantur, quo rebus ſacris, ea accepta & profeſſa, minus idonei fieri videbantur.

CANON XII. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

De his qui ſubitò obmuteſcunt, quod & baptiſmum & pœnitentiam accipere poſſunt.

Subitò obmuteſcens pro vt ſtatutum eſt baptiſari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis prӕteritӕ teſtimonium aliorum verbis habet, aut prӕſentis in ſuo nutu.

NIHIL magnopere difficile eſt in hoc canone qui de Gentilibus eſt accipiendus, non verò de Catechumenis; quibus, etſi nullum voluntatis ſuæ teſtimonium haberent, baptiſmus eſſet conferendus.

Pœnitentiam accipere poteſt, Excommunicatus obmuteſcens ſubitò non ſolum pœnitentiã, ſed etiam reconciliationem: canone ſeptuageſimo ſexto Carthag. Concilij quarti.

Digitized by Google

CANON XIIII. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

De Energumenis Baptiſatis.

Energumeni iam baptiſati ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini clericorum tradant monitiſque obtemperent, omnimodè communicent: ſacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi quorum oſtenditur iam vita purgatior.

S*I de purgatione ſua curent*, ſi ad Eccleſiam crebrò ſeſe repræſentent vt exorciſentur.

Omnimodè communicent, non ſolum primam communionem accipiant, ſed etiam maiorem & abſolutiſſimam; Euchariſtiam ſcilicet: de Energumenis id accipiendum qui non perpetuò vexarentur.

Vel purgandi, Euchariſtia Dæmones fugari ſatis compertum eſt.

Vita purgatior, peccata omnia in Baptiſmo excuſſerant.

CANON XVIII. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

Et Euangelia Catechumeni non audiant.

Placuit Catechumenis non legi Euangelium in Eccleſia.

Digitized by Google

Aliàs.

Euangelia placuit deinceps catechumenis legi apud omnes prouinciarum noſtrarum Eccleſias.

EVANGELIA olim catechumenorum ſacris peractis, iiſque ſemotis, legebantur. Ita eſſe ex Conſtitutionibus Clementis liquet: poſteà verò melius viſum eſt ſi ad lectiones & explicationes ſcripturarum admitterentur, Valentinum Hiſpaniæ, *vt ſacroſancta Euangelia, ante munerum illationem, in Miſſa catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel ſermonem ſacerdotis, non ſolum fideles, ſed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex diuerſò ſunt, audire licitum habeant.* Ex his etiam verbis *norunt fideles*, quæ in ſermonibus Patrum reperiuntur, ſciri poteſt aut nuſquam catechumenos ijſdem ſermonibus & Euangeliorum expoſitíonibus interfuiſſe: iis enim abſentibus nihil vereri poterant, illud quidquid eſſet exponere. Ex iis igitur vtraque lectio retineri poteſt aut reſpui.

Legi, non ſolum legi, ſed etiam explicari & Epiſcoporum expoſitiones & ſermones exaudire.

CANON XX. CONCILII ARAVSICANI PRIMI.

Vt catechumeni, cum fidelibus benedictionem non accipiant.

Segregandi informandique ſunt catechumeni, vt ſe reuocent, & ſignandos, vel benedicendos ſemotim offerant eos fideles.

Aliàs.

Ad fidelium benedictionem, etiam inter domeſticas orationes, in quantum caueri poteſt, ſegregandi informandique ſunt, vt ſe reuocent: Ad ſignandos ſe, ſemotè offerant.

IN matutinis, in Miſſa, in Veſperis fidelibus benedictio ab Epiſcopo tribuebatur: Hoc igitur canone iubetur ne eandem benedictionem neque eodem tempore percipiant catechumeni: non eandem, quia aliis verbis alioque ritu fidelium benedictio concipiebatur & celebrabatur, quam catechumenorum: non eodem tempore, quia ſiue in ſacris fidelibus benedictio eſſet impertienda, ab iis ſegregandi erant catechumeni; ſiue in Veſperis & Matutinis, paululùm ſubmoueri debebant, ne ad eos fidelium benedictio pertinere videretur; ſed ſi Epiſcopi benedictionem optarent, ſemotim & ſeparatim eam accipere debebant.

Vt ſe reuocent, vt recedant.

CANON XXVI. CONCILII ARAVSICANI PIRIMI.

De Diaconibus non ordinandis.

Diaconiſſæ omnimodè non ordinandæ: ſi quæ iam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur capita ſubmittant.

EPISCOPVS

Digitized by Google

EPiſcopus ſacris peractis clero primum, ſubinde laïcis ſuam benedictionem impertiebatur. Hoc igitur Diaconiſſæ quod non amplius inter cleros numerarentur iubentur, non primæ, ſed ſecundæ benedictioni capita ſubmittere, hoc eſt recipere.

CANON II. CONCILII VASENSIS PRIMI.

De pœnitentibus ſubitò mortuis, vt oblationes eorum recipiantur.

Horum qui pœnitentia accepta, in bono vitæ curſu ſatiſfactoria compunctione viuentes, ſine communione, inopinato nonnunquam tranſitu, in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam; Eccleſiaſtico affectu proſequendam: quia nefas eſt, eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſterijs iudicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque ſacramentorum viatico intercipiantur, quibus fortaſſe, nec abſolutiſſimam reconciliationem ſacerdos denegandam putaſſet.

DE ijs, in hoc canone mentio fit, qui cum pœnitentiam agerent, ante vitam deſererent, quam eam perfeciſſent, quíque ante peccatorum relaxationem, aut condonationem, accedente mortis

neceſſitate intercepti, è vita demigrarẽt, pro quorũ ſalute dubitaret Eccleſia admitterentur ne oblationes parentum, precéſq; eorum cauſa funderentur: non quod ſempiterno quidem eos exitio addictos exiſtimarent; ſed quod eorum oblationes admittere, eoſdémque nominatim publicis deprecationibus Eccleſiæ appellare, aliud nihil eſſet, quam ad communionem fidelium mortuũ adſciſcere. Ideóque id non facilè concedebatur, ne a vetere Eccleſiæ diſciplina deſciſceretur, quæ hoc cauebat, proſpiciebatque, ne communione aut ſocietate eorum quis familiariùs vteretur, quos non omni fæce & colluuione vitiorum perpurgatos eſſe conſtaret: idem Arelatenſi concilio canone 12. & 14. reſponſo Timothei.

Pœnitentia accepta, quam non abſoluerant, cuius neque communionem, neque abſolutionem accepiſſent.

Bono vitæ curſu, ſi pœnitentiam probè peragerent, alioquin non fuiſſent in bono vitæ curſu, ſi eam neglexiſſent.

Sine communione, ſine abſolutione.

Oblationem, quam eorum cauſa parentes & agnati offerrent.

Fideli affectu, ardore quodam pœnitentiæ, æquo, patienti & forti animo, omnes eius acerbitates perferendo.

Diutiùs reos ſtatuunt, dum longiorem volunt protrahere pœnitentiam, qua poſita acceptáque reos ſe eſſe coarguebant, ſed necdum abſolutos.

Digitized by Google

Dum purgatiores, dum dant operam, vt crebra impoſitione manuum expiētur, orationibúſque tertij gradus pœnitentiū: quæ propriè purgabant, & vt ita loquar, pœnitentes exorciſmis non ſecus ac energumenos diuexabant & emundabant.

Nec abſolutiſſimam reconciliationem, duplicem fuiſſe reconciliationem conuincit, minimam & maximam. Id enim eò ſpectat, vt aſſerere videantur, ſi præſens adfuiſſet Epiſcopus morienti, non potuiſſe denegari altario & myſterijs reconciliationem: ac fortè potuiſſet fieri, vt cum illum nactus eſſet, verè & ex animo pœnitentem, illi non abſolutionem noxarum modo & ſimplicem reconciliationē cum grege fidelium; verum etiam altario & myſteriis impertijſſet: multò magis eius oblationes ſuſcipiendæ fuiſſent; precatiónéſque pronunciandæ; atque hic eſt horum verborum ſenſus.

Sacerdos, hoc eſt Epiſcopus, ita omnino reddendum & explicandum, quod ſolus eſſet Epiſcopus, qui qua autoritate & poteſtate eſt, pœnitentibus Euchariſtiam præbere poſſet morientibus. Cum igitur de *abſolutiſſima reconciliatione* loquatur, quæ verba non niſi Euchariſtiæ perceptionem ſonant, loquitur de eo, qui eius omnino dandæ poteſtatem haberet, non de ſimplici ſacerdote.

CANON VIII. CONCILII VASENSIS PRIMI.

Vt Epiſcopus alienum clericum redarguat peccantem.

Quod ſi tantùm Epiſcopus alieni ſceleris ſe conſcium nouit, quandiù probare non poteſt, nil proferat, ſed cum ipſo, ad compunctionem eius, ſecretis correptionibus elaboret. Quòd ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicè ingeſſerit, etiamſi Epiſcopus, in redarguendo illo, quem reum, iudicat, probatione deficiat, indemnatus licet ab his, qui nihil ſciunt, ſecedere ad tempus pro perſona maioris auctoritatis iubeatur, illo quandiù probari nihil poteſt, in communione omnium, præterquàm eius, qui eum reum iudicat, permanente.

MAIOR in Gallia Epiſcopis reuerentia, quam in Africa; nam hic ſecedere, in Africa remanere iubetur: Canon 5. Concil. 7. Carthag. Quid autem ſit & quomodo intelligendum, quod eodé tempore ſecedit, & in communione permanet: à ſacris & Euchariſtia aliquo tempore remouebatur, & Epiſcopi conſpectum vitabat; hoc eſt ſecedere, cæteris tamen fidelibus prçterquàm Epiſcopo communicabat, & Chriſtiana communione & ſocietate fruebatur: quomodo autem aliquis ſocietatis & pacis Chriſtianæ particeps eſſe poſſet, qui tamen

cum aliquo fidelium non communicaret, aliàs dicendi locus. Cęterùm non mirum ſi huiuſce canonis titulus cum ſenſu non congruat, nam plerique omnes ab aliis quam ab auctoribus & Patribus Cōciliorum inſcripti ſunt.

CANON II. CONCILII ARELATENSIS SECVNDI.

Qualiter coniugati ad ſacerdotium prouehantur.

Aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio.

P*Romiſſa conuerſio*, niſi eius vxor caſtitatem quoque vouiſſet, nam ni fallor conuerſio, conuerſa, conuertere, hanc habent in canonibus ſignificationem, Arauſicanum concilium canone 22.

CANON IX. CONCILII ARELATENSIS SECVNDI.

Vt Nouatiani in communionem non recipiantur.

Nouatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuſcepta pœnitentia incredulitatis, præteritum damnet errorem.

N*Iſi ſuſcepta pænitentia incredulitatis*, niſi confiteātur ſoluendorum peccatorum, quamuis atrociſſima videantur, in Eccleſiam tranſmiſſam eſſe

Digitized by Google

poteſtatem; quod pernegarent Nouatiani: hæc eſt illa incredulitas.

CANON X. CONCILII ARELATENSIS II.

De his, qui in perſecutione præuaricati ſunt.

De his, qui in perſecutione præuaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, vt quinque annos inter Catechumenos exigant, & duos inter diſcommunicantes, ita vt communionem inter pœnitentes non præſumant. In poteſtate tamen vel arbitrio ſit Epiſcopi, vt ſi eos ex animo errorem deflere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.*

* fideles

ILLVD mirum eſt Patres iſtius Concilij in medium proferre Concilium Nicænum, ſed omninò aliter eſt, affirmaréque lapſos & idololatras volūtarios, de conſilio, ſententiáque eiuſdē Concilij condemnandos, & tamen non ab iis condemnari iuxta canonem Concilij Nicæni. Canō quippe Nicænus duodecim annorum pœnitentiam imponit: hi autem Patres non niſi ſeptem annorum præſcribunt; & prçterquàm quod rationem temporis non obſeruant, non vt Patres Nicæni partiuntur & diuidunt, qui *tres annos inter audientes, & duos inter communicantes ſolis orationibus* deſignant: Hi au-

tem *quinque* inter Catechumenos & duos inter *diſcommunicantes*. Ad hæc quantum ego coniicio aliud opponi non poteſt, niſi quod Rufini verſionem ſequuti ſunt, nullóſque latinè ſcriptos canones Concilij Nicæni in manibus habuerint, præterquàm Rufini, qui exponit vertítque canonem vndecimũ Nicæni, quem Patres Arelatenſes proferunt eodem ſenſu, ſignificatione eadem, iiſdémque verbis, *quinque annos inter Catechumenos faciant, & duobus annis poſthoc fidelibus tantùm in oratione iungantur.*

Nycæna Synodus, canone duodecimo.

Inter Catechumenos, Audiẽtes ſcilicet, non autem inter alios.

Inter diſcommunicantes, hoc eſt pœnitentes quarti gradus qui non niſi precum participes eſſent; diſcommunicantes vero vocantur, quod ijs Euchariſtiam percipere non liceret: neque oblationes offerre, neque plano iure communionis cum fidelibus vterentur.

Communionem inter pœnitentes, non vidi huius Cõcilij manuſcriptos codices, ſed aliqui tamen extant, in quibus, non *pœnitentes*; ſed *fideles*, legitur; quemadmodum accepimus a Iacobo Sirmondo viro omni liberali eruditione penitùs imbuto, & meritò certè ita legendum cenſet alioquin Canonis ſenſus non cohæreret, neque cõueniret cum antiqua illa diſciplina, quæ pœnitentes à communione longè ſegregabat. Senſus igitur eſt, quamuis inter fideles & ad ſimplicem communionem, hoc eſt ad communionem precum admittatur, non tamen præſumat ſumere Euchariſtiam.

Digitized by Google

CANON XII. CONCILII ARELATENSIS SECVNDI.

De his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt.

De his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honorauit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.

HINC dices, quamobrem tantopere oblationes offerre, & in oblationibus communicare deſiderarent, quod ſcilicet in intimam & perfectam ſocietatem & partem corporis Chriſti aduocarentur, quorum oblationes acceptas haberet Eccleſia, eáſque ſuo nomine Deo offerret: genus namque & ſpecies erat communionis, quam pluris facerent quam ipſam communionem, & reconciliationem ſimplicem. Vides præterea communionis ius illud mortuis reddi poſſe, quod fruſtrà reddidiſſent, nihil inde ſolatij aut auxilij accepturis.

Vitam exceſſerant, abſque abſolutione.

Communione, verbum hoc, non pro Euchariſtia ſumi poteſt; de eo namque qui interiiſſet loquitur, ſed pro communione in corpore fidelium.

CANON

Digitized by Google

CANON XXVII. CONCILII ARELATENSIS SECVNDI.

Profeſſas viduas ſi in cohibenda perſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas.

SI *in cohibenda*, aut legendum *in incontinentia*, quemadmodum in quinto Carthaginenſi canone tertio: aut ſupplendum in cohibenda conuerſatione: aut denique *cohabitando* cum quibuſdam exemplaribus, reponendum.

CANON XXXVI. CONCILII ARELATENSIS SECVNDI.

De ſecularibus hominibus.

Si quis ſecularium, amore religionis ſe ad quemcunqne Sacerdotum crediderit conferendum, ipſe ſibi eum, quem erudiendi gratia ſuſcepit, vindicabit.

EX aliena Diœceſi quemquam ordinare leges vetabant, iiſdémque legibus ordinati, à propriis Epiſcopis repeti & vindicari poterant: ne igitur vi & authoritate illorum canonum religioſi reuocari poſſe viderentur, ſtatuunt Patres in hoc Concilio, Monachum & religioſum ſub cuiuſlibet Epiſcopi poteſtate, vitam poſſe ducere religioſam, ſi ex eius prçceptis & inſtitutis, hanc piam viuendi rationem inſtituiſſet: cuius ſtatuti ea cauſa eſſe videtur, quod Religioſi

Digitized by Google

tunc temporis eſſent laïci, & inter laïcos haberentur.

CANON III. CONCILII VALENTINI GALLIÆ.

Qualis pœnitentia iis, qui ſe poſt vnum & ſanctum lauacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lauatione polluerunt, ſtatuenda.

Circa eorum verò perſonas qui ſe poſt vnum & ſanctũ lauacrum, vel profanis ſacrificijs dæmonum, vel inceſta lauatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſeruandam; vt his iuxta Synodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lachrymis, vel ſolatij ianua deſperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam vſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diues miſericordia eſt, vt nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

MIRVM quibuſdam videtur, cùm Nicænus canon vndecimus eorundem reos ſcelerũ duodecim annis ſatisfacere iubeat, atque ita reconciliari; Valentinos Patres qui ſe Nicænam Synodum ſequi profitentur tantò rigidiores ac ſeueriores fuiſſe. Mirùm quoque eis videri debebat Felicem Summum Pontificem ſecundo capite, qui

Digitized by Google

in eadem eſſent culpa, perpetua damnaſſe pœnitentia, qui capite tertio & quarto ſeruari iubet tenorem huiuſce vndecimi Nicæni canonis.

Nicæni Patres ex acerrimi ſubitò benigniſſimi facti ſunt in eos qui ſponte fidem eiurarant: duplici namque beneficio & gratia eodem eos tempore affecerunt; non ſolùm duritiam illam detrahentes, qua ante Nicænum vel perpetuò à pœnitentia arcerentur, vel ea niſi in mortis diſcrimine non donarentur, ſed etiam poſt aliquot annos, duodecim ſcilicet, (exiguum ſpatium ſi eorum temporum diſciplinam ſpectes) pœnitentiæ modum & finem impoſuerunt. Valentini igitur Patres, benedictus Felix, ceteríque qui ex hoc canone in idololatras ſpõtaneos animaduertunt, Nicænam Synodum ſequũtur, non cum eoſdem dedunt in perpetuam pœnitentiam (pœnarum enim modus tempus aut gratia vel ex eodem Concilio Nicæno, canone duodecimo Epiſcoporum permittebatur arbitrio) ſed cum ad pœnitentiam ſinunt accedere, cuius ſpes ante Nicænum eos ſemper eſſet fruſtrata.

CANON VLTIMVS CONCILII EPAVNENSIS.

De illis qui excommunicati moriuntur.

Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus qui iam ſit confeſſus & teſtimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, ſed præoccupauit eum mors in Hic canon tranſcriptus eſt ex Burchard. & Grat.

Digitized by Google

domo, aut in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

IN hoc canone de excommunicatis, quibus mors ante obeunda eſt, quàm pœnitentiam obtinuerint, agitur: Excommunicationes autẽ primis temporibus frequentiſſimæ fuerunt, ob eam rem maximè, vt antiqua illa vitæ ſanctimonia & Eccleſiæ diſciplina conſeruaretur, maioríque & ardentiori quodam ſtudio metúque peccatorum raperẽtur ad reſtitutionem ſeu priſtinum illum ſtatum, vnde deiecti excidiſſent recuperandum, vno verbo vt ad meliorem vitæ frugem, & morum commutationem inflammarentur.

Si dum vitiis flagitioſæ vitæ valere iuſſis, ad ſaniorem mentem reuocari ſtudebant, extremum vitæ diem obire compellerentur, tum decretum, vti oblationes eorum comprobarentur, modò tamen intimi doloris indicia cum peccatorum deteſtatione præbuerint, ſacerdotémque à quo abſoluerentur, efflagitarint. Quæ me cauſa, ratióque mouet, vt verba iſta putem, *qui iam ſit confeſſus*, non aliter accipienda, & explicanda, quàm quomodo accipiuntur & exponuntur illa Canonis Arauſicani Concilij, *ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*, aut illa canon. 76. conci. 4. Carthagin. *dent teſtimonium*, aut poſtremo illa cano. 31. 3. Conc. Carthag. *voluntatis teſtimonium dixerint*, quod canones illi non niſi ob euentus eiuſmodi, qui ſæpè

Digitized by Google

contingerent, in lucem prodierunt. Vt igitur canones illi abſolutionem eſſe dandam, ſi quidem eius impetrandæ ſignificationem aliquam oſtenderint, loquuntur, & ſentiunt: ita canon iſte, ſi excommunicatorum de abſolutione impetranda, poſtulatio certa, perſpicuáque fuerit etiam ſi è vita euolarint, oblationes recipiendas teſtatur, tametſi abſolutione caruerint; ibique verbum illud, *confeſſus*, ſumitur, accipiturque, vt apud non paucos Patres, *confiteri pœnitentiam*, pro triſtitia & angore quodam, qui ex peccatorum admiſſione contrahitur, aut pro exomologeſi; non autem pro confeſſione ſacramentali. Ad eam ſignificationem Tertullianus trãſtulit c. 3. Præſcriptionũ, *pœnitentiam confeſſus*. Item, & illud dici poteſt, aut illic agi de confeſſione, quam excommunicati in certiſſimum vitæ periculum adducti, feciſſent: aut certè, quam ijdem, cum illis ſacris interdiceretur pręſtitiſſent, qua facta, peccatũ ab illis commiſſum, in omnium oculos auréſque incurriſſet, fuiſſetque anathemate ipſo plectendum. Primum illud fieri non poteſt: eſt enim ſermo de quibuſdam, qui excommunicati mortui ſunt; neque cum vitam ipſam naturæ debitam redderent, ſua peccata confeſſione recognouerunt. Hoc addo ſi abſoluti confeſſique fuiſſent antequam vi morbi extinguerentur: nõ contemnẽdas eorũ oblationes duxiſſet Eccleſia, fruſtraque canon tanquam obex quidam opponeretur. Sed nec de illa confeſſione eſt mentio quam fecerãt cum excommunicati fuerant, quia nulla erat dubitatio, quin eam feciſſent:

Digitized by Google

At verò canon loquitur de Confeſſione de qua poterat dubitari. Igitur in eo canone de confeſſione illa non agitur, quam, cum excommunicarētur, feciſſent, cum illa ſatis Eccleſiæ nota explorataque eſſet, quippè qui eo nomine, quod confeſſi eſſent, excommunicationem ſubijſſent, haberentúrque pro excommunicatis; neque de confeſſione quam moribundi fecerāt, quia canon ponit eos mortuos eſſe in Excommunicatione. Quapropter neceſſe eſt dicamus illîc agi de Exomologeſi de qua Cyprianus, *apud Diaconum Exomologeſim facere*, quæ erat aliqua peccatorum deteſtatio, quaque pœnitentes dolorem de peccatis commiſſis maximum ſe concepiſſe oſtenderent.

Adde, quod non ſatis fuerat, quo excommunicati (ſed ſine abſolutione, vita functi) oblationes probarentur, aſſerere, cum aliquando fuiſſe confeſſum, vel olim peccata ſua detexiſſe. Nam longo poſt interuallo, ſi pœnitentiam pro nihilo habuiſſet, ſi anathematis liberationem ſolutionemque neglexiſſet, ſibique in templum ingreſſum liberum non ſtudioſè concedi curaſſet, ſi denique non ſe ſtetiſſet Epiſcopo, quo ab eo pœnitentiæ locus daretur, eius poſt obitū oblationes repudiabantur. Hoc affirmāt canones, eaque de re diſputant D. Leo Epiſt. 6. ad Ruſticum, ex quo conſtat, tametſi teſtimonio certo aliquo, ſed firmo ac religioſo, cōfeſſio prima niteretur, nihil ſanè, id ad oblationes excommunicatorum Deo repræſentendas valuiſſe: ideóque nullam omnino de confeſſione ſacramentali in eo canone

factam mentionem: Ita verba *iam ſit confeſſus*, indicant, ſi de ſacerdote, à quo abſoluerentur conquirendo cogitarint, ſi triſtitiæ doloriſque, ob grauiſſimas noxas ſigna, argumentáque clariſſima addiderint: Si Deum ſibi vt ignoſceret, precati ſint: ſi denique illuſtria ad eam rem confirmandã teſtimonia non deſiderentur: illud autem eſt, quod D. Cyprianus vocat *Examologeſim facere.*

NOTÆ IN QVOSDAM CANONES CONCILIORVM CARTHAGINENSIVM.

CANON III. CONCILII CARTHAGINENSIS SECVNDI.

Vt chriſma & benedictio puellarum, & reconciliatio pænitentium à preſbyteris non fiant.

Fortunatus Epiſcopus dixit ſi iubet ſanctitas veſtra, ſuggero: nam memini præterito concilio fuiſſe ſtatutum, vt chriſma, vel reconciliatio pænitentium, nec non & puellarum conſecratio, à presbyteris nõ fiant. Si quis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo ſtatuendum ſit? Aurelius Epiſcopus dixit: Audiuit dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris & Coepiſcopi noſtri fortunati. Quid ad hæc dicitis? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Chriſmatis confectio,,

& puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant, vel reconciliare quenquam in publica miſſa, presbytero non licere, hoc omnibus placet.

R*Econciliatio pœnitentium*, recõciliare pœnitentem nihil aliud eſt, quam pœnitenti abſolutionem tribuere, aut ad fidelium, aut ad Euchariſtiæ communionem adſciſcere : quæ reconciliationes fiebant, aut in Eccleſia, exacto pœnitentiæ ſpatio, aut domi, ſeu intra priuatos parietes nondum abſoluto, cum pœnitentes in apertũ vitæ diſcrimen adducerentur. Canon iſte vetat præcisè, & diſertè ne cui liceat ſacerdoti, in Eccleſia reconciliare pœnitentem, quod poteſtas quædam eſſet iuriſdictionis, quæ penes Epiſcopum erat, non autem ſacerdoté, qui intra Eccleſiam, eam non poterat, niſi permittente & concedente Epiſcopo ſibi arrogare.

In miſſa publica, canon addidit, *in miſſa publica*, quod per ſacerdotes pœnitens extra ſepta Eccleſiæ, vrgente neceſſitate in gratiam redire poſſet, vt plurima canonum teſtimonia clarè indicant. Hoc eſt, abſolui poterat, ſed nòn reconciliari altario, & ſanctiſſimo ſacramento, huius ipſius reconciliationis faciendæ poteſtate illis erepta, ſiue intra aut extra Eccleſiam, vel nulla, vel aliqua neceſſitate cogente.

CANON

Digitized by Google

CANON IV. CONCILII CARTH. II.

Vt preſbyter pœnitentem iuſſus ab Epiſcopo ſuo reconciliet.

Aurelius Epiſcopus dixit, ſi quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique preſbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare: Quam rem debemus ſalubri concilio corroborare. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet quod ſanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.

CANON iſte de pœnitentibus diſputat, qui dum in pœnitentia peragenda verſarentur, morbo conflictabantur, ipſoque nondum pœnitentiæ conſumpto ſpatio, cum non procul à morte abeſſent, non modo abſolui ſe, ſed & Euchariſtiæ vſuram reſtitui, ſibique ad altare ac myſterium aditum obſtrui ne paterentur, obſecrabant. Qua de re conſulti Patres decernunt, per preſbyterum non poſſe altario reconciliari, nec Euchariſtiam porrigi, quod id ab Epiſcopo expectandum ſit, cuius, cum eiuſmodi occaſiones occurrunt, voluntas pertentanda & pertractanda; & à Preſbytero cum ea pœnitentis poſtulatio fuerit, Epiſcopum conſuli oportere, quodque Epiſcopus cēſuerit, aut Euchariſtiam dandam, aut negandam.

Digitized by Google

De pœnitente autem in eo canone verba fieri, non eſt quod dubites, quia cæteri fideles inconſulto Epiſcopo nullo negotio Euchariſtiam ſumere poterant. Adde quod hęc verba, *reconciliari diuinis altaribus*, oſtendunt & declarant, de quodam agi, qui nec altario, nec ſacramento reconciliatus eſſet: hoc eſt de pœnitente, non verò de fideli, qui ius haberet plenæ communionis.

In periculo conſtitutus, tantum in eo ſubdubitatio eſſe potuit, vtrum tali in caſu, euentúque Euchariſtia dari potuerit pœnitenti à ſacerdote. Extra namque mortis periculum, oportuit pœnitentem, non alio quam vſitato pœnitentiæ remedio vti, Euchariſtiaque ſe reficere per manus Epiſcopi: ídque non niſi poſt quartum pœnitentiæ gradum abſolutum: omnia autem illa quæ gerebantur publicè, non à presbyteris, ſed ab Epiſcopo adminiſtrabantur.

Si Epiſcopus abſens fuerit, hoc eſt, etiamſi Epiſcopus abſens fuerit, presbyterum, quantumuis pœnitens morte abſumi extinguique videatur, non debere Euchariſtiam præbere.

Reconciliari diuinis altaribus, maximam reconciliationem eſſe exiſtimandum, quæ reconciliatio altario dicitur, hoc eſt Sanctiſſimo Sacramento, quod omnes teſtantur canones. Quod enim attinet ad minimam reconciliationem, id eſt ad ſimplicem abſolutionem & communionem, eam omnes Presbyteri inconſulto Epiſcopo in neceſſitate conferre poterant: maximam verò, quæ in ſubminiſtranda Euchariſtia poſita erat, vel in neceſſitate, ſolus Epiſcopus.

Digitized by Google

Conſulere Epiſcopum, hoc eſt preſbyteri eſſe has partes & officium, vt pœnitentis qui Euchariſtiam efflagitat, mentem & animum quo affectus ſit aperiat Epiſcopo, quo in gradu pœnitentiæ conſiſtat: quot annorũ illi impoſita, quaſi inſtar pœnæ, mulcta: quo dolore de peccatis commiſſis tangatur, quo denique ſenſu ac ſtudio pietatis Euchariſtiam concupiſcat.

CANON II. CONCILII CARTHAG. TERTII.

M*INVSQVE hoſpitibus ſumptuoſi exiſtãt*, quacunque incedebant hoſpites habebantur ab aliis Epiſcopis; qui ne in faciendis ſumptibus nimiũ grauarentur, cauetur hoc canone.

CANON IV. CONCILII CARTHAG. TERTII.

Vt Leuitæ & virgines ante viginti quinque annos non conſecrentur.

Item placuit, vt ante viginti quinque annos ætatis, nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur. Et vt lectores populum non ſalutent.

VETVS ille mos inualuerat, vt non Diaconi, ſed lectores Epiſtolas & Euangelia in ſolemni Miſſæ ſacrificio pronuntiarent: id autem patet ex can. 8. Carthag. 4. epiſt. 5. lib. 2. S. Cypria-

Digitized by Google

ni, editionis antiquæ, *Ab officio lectionis incipiat, quia & nihil magis congruum voci, quæ dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quàm celebrandis diuinis lectionibus perſonare poſt verba ſublimia, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt: Euangelium Chriſti legere vnde martyres fiunt.* Et conſtitutionibus, quæ S. Clementis eſſe dicuntur, cap. 22. lib. 8. *Cui Scripturæ ſanctæ ad legendas eas populo ſuo committuntur.* Item canon 2. Tolet. 1. *Vel inter lectores ita vt Euangelia & Apoſtolum non legat*, antequam autem Euangelij pronuntiandi initium faceret olim lector, elata voce proferebat, *Pax vobis*, perinde atque hodierno die Diaconus dicit, *Dominus vobiſcum*. Hoc idem epiſtola D. Cypriani iiſdem verbis probatur, *Interim vobis hoc die auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem*, quibus D. Cyprianus verbis alloquutum & ſalutatum populum ait Aurelium, cùm primo ei Euangelij recitandi poteſtas eſſet facta, & pacem & benedictionem Chriſti Domini fidelibus condonaſſe: lingua autẽ Tertulliani & apud Cyprianũ *dedicare* eſt adire, ſeu inchoare. Antiquos verò Patres cæteróſque auctores de diuinis officiis, hanc ceremoniam ſeu vſum dicendi, *Pax vobis*, vocaſſe diuinam ſalutationem, & ab Eccleſia vſurpatam, ad pacem Chriſti populo impertiendam, nemini dubium eſſe poteſt, cùm in Patribus frequens ſit, & tota Eccleſia peruulgatum; Innocentius epiſtola octuageſima ſexta in fine: *Non licet Presbyteris coram Epiſcopo populum benedicere aut ſalutare*, & ab Optato id liquidò etiam confirmatur lib. 1. Patribus ergo viſum eſt placere, iſto

Digitized by Google

canone, ne ampliùs lectores populum ſalutent: hoc eſt ex pronunciatione Euangelij, *Pax vobis*, poſthac non vſurpent nec offerant.

Ratio quæ mouit Patres vt illud mutarent, & lectoribus poteſtatem illam quam hactenus retinuerant, adimerent; hæc fuit, quòd illa amplior & maior eſſet, quam vt lectoribus cōcedi eam oporteret: Et verè poſt illud Concilium tanti fuit, ea frui, vt eam à Diaconis & preſbyteris eodē Concilio poſtea eripuerint; quin experientia vſúſque docuit eos nō poſſe nec ſolere dicere, *Pax vobis*, tantúmque Epiſcopum videri omnino dignum cui cum Miſſæ ſacrificium offert pronunciare liceat: Optatus Mileuitanus inter præcipua Epiſcoporum officia & munia hanc poteſtatem ſalutandi populum adnumerat libro 1. circa finem.

Huc accedit quod antiquitùs ſolus Epiſcopus donorum Chriſti domini, eorumque quæ ab eo ad Eccleſiam tranſmiſſa eſſent diſpenſator diceretur: Propterea voluerunt pacem illam quam Chriſtus dominus pronunciauit. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, tribui & reſtaurari ab Epiſcopo fidelibus, cuius legitimus eſſet diſpenſator; non autem lector. Præterea id contingit, quod primis ſeculis perrarò ab Epiſcopo pax illa, niſi cum magni beneficij ac priuilegij cauſa id fieret, dari conſueuit: eius rei, credo, cauſa, benedictio illa auctoritáſque Epiſcopo reſeruata fuit: ſed addi poteſt, nomine pacis, aliud nihil portendi, quàm Chriſti domini cum ſuo populo conſociationem, vnitatem, ſocietatem,

Digitized by Google

& quandam communitatẽ, cumq; cui hæc imperti-tur pax, corporis Chriſti membrum eſſe quoddam cum eo quàm coniunctiſſimum: adeò vt cum diceretur *Pax vobis*, id ita accipiendum, vt in quos conferretur pax & benedictio, ij eſſe in vera communione cenſerentur: id autem ius & poteſtas, in ſolum cadebat Epiſcopũ, eiuſque erat cura & negotiũ quã ſolertiſſimè diſpiciendi, cui pacem illam tribueret: Qui igitur a communione atque cœtu ſeiunctus eſſet, modo ab Epiſcopo ſibi dici audiret *Pax tibi*, in gregem mox fidelium reſtituebatur, quod factum cum ſingularis eſſet poteſtatis, ad ſolum Epiſcopum trãsferebatur, & lectori ipſi eripiebatur. Quod ſi ante illum editum canonem quis cõtẽdat id auctoritatis lectori permiſſum; idcireóq; primis temporibus ritum illum, modumque vſurpandi *Pax vobis*, non tantam vim auctoritatemque complecti ſolere: Ad id facilis reſponſio, lectores ipſos priuſquam in ſuggeſtum, aut pulpitum conſcenderent, ab Epiſcopo id iuris impetraſſe, tamẽ poſtea, quamuis de nutu arbitrióque Epiſcopi penderet, aliquanto amplius atque maius quã vt Lectoribus, Subdiaconis, Diaconis & Sacerdotibus concedi placeret, iudicatum eſt: Omninoque mihi perſuadeo, non dicam Lectorem, ſed ne Epiſcopum quidem vllum auſum fuiſſe, neque excommnnicato, neque Pagano, neque Catechumeno dicere pax tibi, quod ijs verbis ad Chriſti corpus aggregari dicerentur. Tædet me pigétque tam ſæpè explicationem græcorum vellicare, qui hunc canonem in farragine græ-

Digitized by Google

ca, ita explicant *Prohibitum eſt autem lectoribus ne dum miniſterio ſuo funguntur ad populum conuertantur & adorent, vt qui ſolos tunc debent ſacerdotes & Antiſtites adorare & non laïcos qui in Eccleſia congregantur; ipſi enim ſunt ſacrati, populus, verò procul eſt a ſacerdotio & conſecratione, ac ipſe potius lectores adorare deberet propter miniſterium eorum*, quæ quomodo poſſint ſenſui ſatisfacere iudicabit lector.

CANON V. CONCILII CARTHAGINENSIS TERTII.

Vt ſacramentum Catechumenis non præbeatur.

Item placuit vt etiam per ſolemniſſimos paſchales dies ſacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies ſacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

NEMINI dubium eſſe poteſt Catechumenis ſal fuiſſe datum, non in baptiſmo, & in baptiſmi cæremoniis, ſed & ex quadam conſuetudine in miſſa, feſtis quoque diebus; quo paulatim ad aliquod myſterium incundum aſſuefacti non grauarentur Euchariſtiã ſumere: Nam ex auctoribus de diuinis officiis id perſpicuum eſt. Præterea Audientibus qui longiſſimè aberant à baptiſmi cæremoniis, propterea ſal non eo nomine tributum aut acceptum ab iis legimus, vt ritus Baptiſmi explerent & perficerent, videlicet vt hunc ri-

Digitized by Google

tum explerent qui his verbis deſcribitur *interrogat nomina eorum, & ponit de ipſo ſale in os ipſorum*, qui ritus in fine ſeu exitu catechumenatus contingebat; ſed vt aliquam ſacramenti ſpeciem formamq; quaſi exhiberent: vt hoc tanquã ſigno edocti atq; inſtructi, reconditum aliquod in Miſſa latere myſterium crederent. Item & illud exploratum, aut ſaltem ab omnibus admiſſum catechumenis quãdóque panẽ benedictione ipſa inſignitum, aut mel fuiſſe porrectũ: quod ex his D. Auguſtini verbis quidã aſſerunt, lib. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 6. *Quod accipiunt, quamuis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius, quam cibi quibus alimur; quia eſt ſacramentum*, qui quamuis non dicat eſſe panem benedictum aut mel, tamen facilè eſt conijcere de iis verba fieri, quod eam rem quam non nominant, cibis quibus ſuſtentamur comparat, & ſacramento, quod de pane conſecratur.

Ex his quidam huic canoni hanc ſententiam tribuunt, diebus feſtis quos ordinarios & ſimplices vocamus, non niſi ſal Catechumenis tanquam ſymbolum pignúſque ſacramenti, atque adeò vnionis & conſociationis quæ cum Eccleſia eſſe poterat, præbeatur; diebus autem celeberrimis ac religioſiſſimis, vt putà Paſchatis, Natalis domini, alijſq; eiuſdem generis porrigatur offeraturque panis benedictus aut mel: quo illis quàm proximè ad Euchariſtiam aſpirare liceret & ſacramento quodã vti, quod vi & efficacia plus quàm quod ſale contineretur, polleret.

Quia

Digitized by Google

Quia feſtis non extraordinariis, ſed ſimplicibus, cum non ſit Eccleſiæ mos ac conſilium, vt fideles Euchariſtiam ſibi ſumendam intelligant; ſed tantum panem benedictum, Sacramenta non ſunt mutanda catechumenis, hoc eſt, mel aut panis benedictus loco ſalis non eſt eis dandus, quia fidelibus ſacramenta non mutantur.

Itaque per ſolemniſſimos Paſchales dies, non ipſe Paſchatis dies ſubintelligendus; neque octo dies illi qui immediatè & conſequenter ſuccedunt: Sed illi dies qui inter Paſchatis & Pentecoſtes tempus interiecti ſunt & interpoſiti. Nonnulli igitur per manus tranſmiſſam hanc conſuetudinem pertinaciter retinebant, vt illis diebus Catechumenis panem benedictum diuiderent: quod quidem canone iſto emendatum, & additum, vt non niſi *ſolitum ſal* daretur; quia per illos dies Euchariſtia fidelibus non tribueretur.

Sed vereor nec hęc ſatis firma ſit explicatio, nam quamuis olim ab ea non longè abfuerim opinione, tamen mihi ſemper inceſſit quædam ſuſpicio fidelibus & Catechumenis nihil vnquam commune fuiſſe, neque veterem illam diſciplinam pati potuiſſe, vt ex eodem pane benedicto vtríque ſumerent, eumdémque pro ſacramento haberent. Præterea veriſimile eſt eos olim ſolemnes illos quinquaginta dies inter Paſcha & Pentecoſtes Euchariſtiæ ſumptione celebraſſe, Euchariſtiáque feſtos eos feciſſe & conſecraſſe.

Nonnulli illius canonis hanc eſſe ſententiam

Digitized by Google

credunt, non debere Catechumenos propria ordinis ſui ac ſtatus ſacramenta mutare, neque aliquid præter ſal accipere. Quia fideles ſua non mutant ſacramenta, & diebus omnibus Euchariſtiam vſurpant, ſed ſi bona fide hunc Canonem eiuſque mentem & ſententiam velimus accipere, & interpretari, hæc explicatiò non minùs erit ſubmouenda quàm proxima. Verba enim canonis innuere videntur fidelibus & catechumenis hæc ſacramenta pro tempore mutari potuiſſe. Quid enim aliud hæc ſonant verba, *Quia ſi fideles per illos dies?* Per alios igitur fideles mutare poterant ſacramenta? Item, *per ſolemniſsimos Paſchales dies*, aliis igitur diebus alia non vetantur Catechumenis dari myſteria?

Quapropter ſi cuipiam hæ explicationes, non ita vero affines eſſe videantur, aliam ſubſtituam, ſed ita condîtam quæ hanc nauſeam poſſit adimere. Oblationes fidelium, panis puta, vini, olei, mellis, lactis & ſimiles, ſacramenta à Patribus vocantur, D. Innocentius, *non longè portanda ſunt ſacramenta*. D. Auguſtinus, *quod accipiunt Catechumeni ſacramentum eſt*, quòd ſcilicet, ex iis oblationibus panis præſertim & vini, partes quædam benedictæ circumferrentur, vt à ſingulis delibatæ, ſpeciem aliquam communionis & myſterij repræſentarent. Ex iis igitur deſumebantur minuta illa ſacramenta, quibus Catechumeni initiabantur; mel puta, lac, ſal, & ſimilia, quæ eorum eſſent ſacramenta, quibuſve refecti ad Euchariſtiæ fidem paulatim erigerentur: Nefas quippe erat quicquam illis ſacrum aut religioſum porri-

Digitized by Google

gere quod ex fidelium oblationibus non eſſet deſumptum: Itaque ſal, quod eorum eſſet pręcipuum ſacramentum, ex eiuſmodi fidelium oblationibus conſecrabatur, neque ex priuato, aut à fidelibus nõ oblato ſale, Catechumenorum ſacramenta rectè conficiebantur: Cætera quoque (vt ex canone Carthaginenſis 24. licet colligere) mellis & lactis ſacramenta, quibus donabantur Catechumeni ex iiſdem fidelium oblationibus ſumebantur: *Primitiæ autem ſiue mel, ſiue lac offerantur vno die conſueto ad infantium myſterium. Et ſi maximè ad altare offerantur, propriam tamen habeant ſuam benedictionem, vt à dominici corporis ſacramento ſeiungantur.*

Volunt igitur Patres, præter ſalis ſolitum ſacramentum, nihil aliud per illos octo ſolemniſſimos Paſchales dies porrigi Catechumenis, quod ſcilicet illis diebus mel aut lac non offerretur à fidelibus, ex quibus conſecratio ſacramentorum mellis & lactis poſſet fieri: id enim *fideles ſacramenta non mutant*, intelligo; fideles illis diebus non mutaſſe oblationes ſuas, nihílque aliud præter panem & vinum obtuliſſe: Neque huic obſtat explicationi quod iiſdem ipſis diebus fideles, non magis ſal, quam mel offerrent; quia cum eſſet ſolitum Catechumenorum ſacramentum, quemadmodum docet canon, oblatũ aliàs à fidelibus, & conſecratum in Miſſæ ſacris, in eum vſum poterat reſeruari. Mel autem & lac cum non eſſent ſolita eorum ſacramenta, neque poſſent reſeruari ex iis quæ eodem die offerrentur, debebãt deſumi & conſecrari. Sacramenta igitur non ſunt

Digitized by Google

mutanda Catechumenis, hoc eſt mel & lac illis diebus non ſunt eis danda, quod à fidelibus non offerrentur, ex quorum oblationibus ſacramenta Catechumenorum eſſent accipienda. Vt hæc explicatio ſenſui omninò ſatisfaceret duo eſſent probanda. Per illos ſolemniſſimos octo dies, pręter panẽ & vinum nihil obtuliſſe fideles: mellis denique & lactis concordiam alio tempore, quam in ipſo baptiſmo, feſtis videlicet diebus pro ſacramento Catechumenis oblatam fuiſſe; ſed ea Obſeruationum lib. 2. Obſeru. vltima explanantur.

CANON XXXII. CONCILII CARTH. TERTII.

Vt presbyter, præter iuſſa vel abſentiam Epiſcopi, non reconciliet pœnitentes.

Vt presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cuiuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſa Eccleſia nouerit, ante abſidem manus ei imponatur.

CANON hic, in illa rapſodia & farragine græca Conciliorum Carthaginenſium reperitur: in quem Zonaras & Balſamon commentario edito, multa afferunt: ſed tantis implicata offuſâque tenebris, vt cum inter ſe pugnent & diſſentiant, germanum, & genuinum ſenſum non attingant; imò

Digitized by Google

inter ſe diſcrepantes, potiùs illum obſcurent & peruertant. Nam quod ad primam partem attinet, qua Sacerdotibus non licet, ſine conſenſu, imperióque Epiſcopi, pœnitentes in gratiam recipere, non liquidò ſatis, qua de reconciliatione agatur, interpretantur: neque quam ad rem, canon iſte reuocetur, aut quorſum ſcriptus ſit, aperiũt. In illo autem pœnitentiæ quaſi curſu, duplex abſolutionis & reconciliationis genus reperiebatur, prima & vltima, ſeu minor & maior (ita enim à Clemente diſtinguntur & vocantur libro tertio capite decimo) minor, in fine tertij gradus, altera in calce quarti concedebatur: hanc Sacerdotes nunquam, vel ſi pœnitenti imminentis interitus dies inſtaret, inconſulto Epiſcopo, eiuſque iniuſſu largiebantur, id confirmante 13. canone Concilij Nicęni & 4. Concilij Carthaginenſis tertij. In remotiſſimis diſiunctiſſimiſque ab Epiſcopo locis ac regionibus, in quibus deeſſe pœnitentium copia non poterat, quarto gradu exacto, cogebantur, aut ad Epiſcopi ſedem propriam ſe conferre, aut curiones, hanc ab Epiſcopo poteſtatem acceperant, aut Chorepiſcopi reconciliationem redintegrabant, aut ad extremum Epiſcopatus modicis finibus ac terminis circumſcribebatur. Quod ſi quis, in loco qui ab Epiſcopo procul diſtaret, in morbum incidiſſet, ſuæ pœnitentiæ tempore ſatis erat ei ad ſalutem reconciliatio ſimplex: non igitur de reconciliatione Sacramentis, & altario, in illo canone verba ſunt. Nam cum neceſſitatis ratio vrgeret, vel ſacerdotibus illa poteſtas non concedeba-

Digitized by Google

tur; ſed de minori & prima illa ſermo inſtitutus eſt, quam ne presbyteri quidem ipſi, niſi cum neceſſitas ipſa vim afferret, & abſente Epiſcopo, conferre poterant: cuius facti atque actionis hæc eſt ratio. Omnium peccatorum lethalium indicta quædam & impoſita pœnitentia (quorſum enim tot exarati canones, in quibus, ſingulis peccatis pœnam cõſtituunt, tot annorum & cruciatuum? Canones illi ſignificarunt, an verò vſquam declararunt, de peccatis ſe ſolum loqui, quæ eſſent publica; non vero de his quæ cognitione remota fuiſſent ac ſecreta?) quare eorum abſolutio & relaxatio in Eccleſia fiebat, neque enim cuiquam obſcurum, aut inauditum eſſe poteſt, omnia quæ in Eccleſia gererentur, quæque tandem hodie ſunt presbyterorum munia, nihil inquam horum, reluctante Epiſcopo, potuiſſe adminiſtrari: pleni ſunt harum rerum canones, qui hoc ipſum quod dico, corroborant, ne baptiſmum quidem ſine Epiſcopi permiſſu, presbyterum conferre potuiſſe. Sed neque exiſtimandum eſt eam fuiſſe canonis illius vim, atque ſenſum, vt presbyteris non licuerit, cum Deo in gratiam eos reuocare ac reducere, qui leuiſſimis quibuſdam peccatis, quæ venia digna vocamus, ſe contaminaſſent: non autem ſi in grauiſſimas, quæ per canones ſeuerius caſtigantur, noxas, incurriſſent. Nam eiuſmodi peccata, quibus venia tribui facilè ſoleret, presbyteri ſine Epiſcopi conſenſu imperióque abſolutione data, delere poterant.

Quod ad vltimam canonis partem pertinet, in-

Digitized by Google

terpretes inter ſe apertè diſſident, atque pugnant. Zonaras enim videtur eam manuum impoſitionem cogitare ac præſcribere, qua pœnitentiæ copia faciendæ fieret, ait enim *extra Eccleſiam manus imponi, & in ordine pœnitentium, vt extra ſacros ambitus in ſtatione flentium conſiſtant, collocari canon iubet*: ea enim impoſitione pœnitentes redigebantur in ordinem *flentium*, primóque in gradu verſari, aut hærere primum dicebantur, in quo poſiti ad Eccleſiæ ianuam, ſeu portam lamentari, & plorare viſebantur. Balſamon aliam quandam huius canonis intelligentiam eſſe ratus, ait grauia atrociaque peccata extra Eccleſiam clàm omnino remittenda, ne ſi palam, coramque Eccleſia in conſpectu & oculis omnium defigerentur & condonarentur, fideles quaſi quodam iniecto ſcandalo commoti perturbarentur. Cæterùm videtur in ea eſſe ſententia, ea mediocri quadam pœnitentia eſſe vindicanda. Canonis tamẽ huius veram hanc ſententiam eſſe cenſeo, ſi vnde omnium fidelium exulcerantur animi, quod quidem omnium oculis pateat, peccatum, crimenque atrociſſimum patratum ſit, omnino eſſe præſtandum, vt à quo id admiſſum eſt, is præter communem aliorum conſuetudinem atque morem, ſupplicio quodam exquiſito, quod pro exemplo ſit, pœnas luat; ſed ita, vt ne tranſuerſum quidem vnguem diſcedat à præſcripto ceremoniarum, aut aſperitatum, quæ tertio gradu comprehenduntur, in terram ſeſe abijciat, crebra illa manuum impoſitione ante abſidem purgetur, cæteraque precum ac purgatio-

Digitized by Google

num genera non negligat, ídque non illo protrito, aut vſitato, aut alijs tertij gradus pœnitentibus deſtinato, retro ambonem loco fiat; ſed ante abſidem: hoc eſt in patenti Eccleſia, & in loco vnde eiuſmodi pœnitentes, eorumque purgationes ab omnibus conſpici poſſent. Omnibus quidem pœnitentibus tertij gradus manus crebrò imponebantur, & purgabantur retro ambonem, qui locus eſt extra; ſed iuxta chorum, vt vocant: an verò ante abſidem idem ſit, ac retro ambonem, & hoc canone nihil aliud ſibi velint Patres, niſi vt retro ambonem purgentur eiuſmodi grauia crimina (alibi enim ſi ita viſum fuiſſet Epiſcopo poterant purgari,) an vero ante abſidem, ſit extra Eccleſiam, vt aiunt Græci, lectoris erit iudicium.

Quæcunque tandem ſit huiuſce vocis *ante abſi-ſidem*, notio & ſignificatio, certum eſt huiuſce canonis mentem eſſe, vt eorum grauiſſimorum criminum pœnitentia & purgatio, in omniũ oculis conſtituatur, exemplique cuiuſdam vim, rationemque propoſiti ſubeat. Nec video cur non éa ratione explicandus ſit canon ille, omiſſa illa ac poſthabita tot diſſimilium explicationum mole ſuperuacanea.

De impoſitione manuum non agi, aut tractari, qua pœnitentia permittebatur, quemadmodum Zonaras ſentit, notius eſt, quam vt explicationis maioris indigeat, quod paſſim atque vulgò imponebatur extra Eccleſiæ ſepta; & quidem excommunicatis, quibus ingredi templum non liceret. Planè neceſſitas poſtulabat, vt Epiſcopus pœnitentiæ copiam

copiam illis impoſitione manuum faceret, non in ipſo templo; ſed in ipſius aditu introitúque, aut ſanè domi ſuæ. Cæterùm quis non hoc concedat, vt veriſſimum, quod in eo canone decernebatur, id præter modum, morémque communem excogitatum ad cauſam ſceleratorum maximorúmque peccatorum hominum diſtinguendam, eorúmque pœnitentiam diuerſam ab aliis. Præterea neque in primo, neque in ſecundo gradu, propriè pœnitentiæ aliquis erat vſus, neque complectebatur ſatisfactionis admittendæ pænas, ideóque probabile eſt, & id rationi cõſentateum de tertio gradu diſceptari: ſed & de impoſitione manuum, quæ adhibebatur; non autem de ea, quæ in ipſo limine Eccleſiæ, qualis erat impoſitio manuum, qua dabatur, *ius pœnitendi.*

Quòd ad Balſamonis explicationem ſpectat, eam ipſam canonis ipſius per ſe lectio refutat, ac repellit: qui tantùm abeſt, vt extra Eccleſiam abſolutionem dandam pręcipiat, ipſóſque pœnitentes lenius tractandos, vt eos ipſos nouo quodam modo, qui grauioris ſupplicij exemplum præbeat, excruciandos decernat. Sed & vnica ratio ſatis momenti ac ponderis, ad id quod volumus probãdum haberet: videlicet ſi priuatim, & non palàm abſoluerentur, leuiſſimáque pœnitentia irrogaretur, ea re in Eccleſiam grauius damnum, & detrimentum potius importari poſſe; quàm ſi publicè omnibus ſpectantibus, abſolutionis gratia donarentur, diuulgato quippe flagitio, & ante oculos omnium conſtituto, quì fieri potuiſſet, vt cum criminis artifex, au-

Digitized by Google

ctórque ad ſacram Synaxim ſe compararet, non omnium fidelium animi commouerentur, & magnopere conturbarentur, ſi conſtaret, publicam illum pœnitentiam effugiſſe, eiúſque ſceleris tam breui tempore veniam impetraſſe? Neque aliter eſt de ſententia canonis, ac diximus ſentiendũ: idémque eſto de pœnis, cęremoniiſque tertij gradus iudicium, vt quo teſtatior & illuſtrior illorum pœnitentia, in excelſo & edito quodam loco, qui ante abſidem ducebatur, pœnas impoſitas ſuſtinere.

CANON XXXIV. CONCILII CARTHAG. TERTII.

De baptiſandis ægrotis, qui iam loqui non poſſunt.

Vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptiſentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt.

HOC eſt, ſi, vt quandóque fit pœnitentiæ tempore, pœnitens aliquis graui morbo conflictari cœpit, ſic vt aduerſa ei valetudo vocis vſum adimat, abſoluendus omninò videtur, eíque reconciliationis gratia impertienda, ex epiſtola D. Leonis 89. cap. 76. 1. Carthaginenſis 20. Arauſiaci 1. primi Vaſenſis 2. At eſt diſcrimen aliquod inter pœnitẽtes, & eos quos violẽtia morbi, ante baptiſmũ oppreſſos, interceperit:

Digitized by Google

enim ſolùm abſoluebantur pœnitentes, quibus ex improuiſo morbi grauitas vocem intercluſerat: modò conſtaret eos, vt à peccatis relaxarentur, antè contendiſſe: propterea quod cum ſe pœnitentiam peracturos vouiſſent, credibile eſt eos, mentem illam atque voluntatem non immutaſſe, ſed in ea perſtitiſſe. Id colligitur ex duodecimo ſecundi Concilij Arelatenſis, ex ſecundo primi Valenſis, & vltimo Epaunenſi. Quod ſi fors è vita deceſſiſſent, antequam eis frui abſolutione licuiſſet, non eſt recuſandum, quin per eoſdem canones poſt eorum mortem in Eccleſiæ communionem vocarentur. De baptiſmo auté aliud ſentias; neceſſe planè erat, vt ſi Gentili daretur, is ante baptiſmi deſiderio ſe quodam eius percipiendi teneri præ ſe tuliſſet: Catechumenum quidem non crediderim in id diſcrimen vocatum, vt de eius baptiſmo dubitaretur, quamuis morbus loquendi facultatem ei præripuiſſet; quod eius animus, voluntas & cupiditas toto catechumenatu nemini nō cognita, dubitationem omnem de dando Baptiſmo tolleret: ſecus in alio qui Catechumenus non eſſet, exploranda eius erat voluntas atque ſententia. Vno verbo idem erat de Catechumenis & pœnitētibus iudiciū. Nam quamuis obmutuiſſent, & tam præcipiti valetudine, vt ne quidem baptiſmi aut abſolutionis petendæ ſpatium habuiſſent, abſoluebantur: tamen, & baptiſabantur. Gentilibus, aut excommunicatis & Apoſtatis non eadem gratia: nam neque adiuuabantur ab Eccleſia, neque his ſacramentis, niſi ea petijſſent,

Digitized by Google

aut nutu, aut ſigno, ſe ea petere oſtenderent, donabantur.

CANON LXXVIII. CONCILII CARTHAG. QVARTI.

De Pœnitentibus, ſi poſt viaticum ſuperuiuant.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos, ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.

QVO Canon iſte enucleatiùs illuſtretur, duo maximè in memoriam redigenda, quæ ex vſu & conſuetudine antiquæ Eccleſiæ gerebantur: quorum primum erat complures canones reperiri, quibus ſacerdotes monebantur, nunquam vt pœnitentibus, qui tempore pœnitentię morte opprimerentur, abſolutionem non impertirent, tametſi non eam, ad eum quem ſibi propoſuerunt exitum protuliſſent; ea tamen conditione, vt cum priſtinam valetudinem recuperauerint, ſeque è morbo recrearint, illicò intermiſſam pœnitentiam repetant, in eoque gradu, in quo eos vis grauitaſque morbi afflixerat, conſiſtant: Alterum eſt Eccleſiam ipſam ægrè admodũ eo perductam, vt pœnitentibus, cum abeũdum illis eſſet è vita, Euchariſtiam ipſam ſumẽdam exhiberet: cum tamen æquè ſe propenſam ac pro-

cliuem ad abſolutionem communicădam demonſtraret. Concilio namque Nicæno & 2. Carthag. ſacerdotes prohibentur Euchariſtiam pœnitentibus, qui dum pœnitentia exercentur, ex hac vita exeunt, condonare, eiuſque rei perficiendæ facultatem ad Epiſcopum reuocant, ea conditione, vt perdiligenter pœnitentis vitam, atque facta, quandiu in pœnitentia fuerat, explorarent, & expenderent: Ita natura comparatum erat, vt qui pœnitentes extra fines, terminoſque regionis illius, quæ Epiſcopi ſubiecta poteſtati imperioque non eſſet extremum vitæ ſpiritum effunderent, huius gratiæ beneficio carere cogerentur: cauſæ, rationéſque huius diſciplinæ alibi commemorantur.

In illo igitur canone agitur de pœnitentibus qui non modo peccatorum ſuorum veniam antequam præſtitutæ pœnitentiæ tempus percurriſſent, atque adeò tertium gradum attigiſſent, obtinuerant: verum etiam, qui hoc vno ſingulari Epiſcopi beneficio affecti Euchariſtiam ſumpſerant: qui morbo poſt recreati releuatique grauatè adducebantur, vt pœnitentiam proſequerentur; & ad tertium gradum reuerterentur; qui probro ſibi futurum ducerent, atque etiam laborioſum, vt quotidie ſe ad terram proſternerent, palamque intuente populo ac frequenti concurſu illas manuum impoſitiones ſubirent. Viſum eſt igitur Patribus in eo Concilio, vt pœnitentes, ſacro etiamnum pabulo refecti recuperata priſtina valetudine, non declinandas ſibi eſſe putēt manus illas in tertio gradu impoſitiones.

Digitized by Google

Atque hic Canon aliquantò aliquid ampliùs complectitur, quam cæteri Canones, qui ea de re diſputant, & quod æquum eſt definiunt: ſtatuunt quippe, vt poſtquam abſolutionis viaticum eſſent adepti pœnitentes, ad eundem ſibi gradum reuertendum arbitrarentur, in quo morbi grauitate vexari cœpiſſent, non autem quod facto opus eſſet, decreuerant, ſi vnà cum abſolutione ad ſacram Euchariſtiam acceſſiſſent; quod hoc Canone abundè eſt explicatum & declaratum. Rationes pœnitentium qui pœnitentiam accepta Euchariſtia reſumere nollent, non erunt, ni fallor, iniucundæ: Primum exemplum Catechumenorum ad eam rem maximum pondus habere poterat: non enim deſunt Canones, qui ſi fortè, aut ex improuiſo, quis Catechumenus tempore myſteriorum in templum ingrediatur, Euchariſtiæque, & ſacrificij aliquam hauriat notionem, vel Catechumenatus nondum abſoluto tempore, ablui poſſe eum confirmant, & aſſeuerant: quod nō eſſet dubitandum, quin à Deo ad tantum bonum, beneficiumque accipiendum vocaretur, cum ei liber ad ſanctuarium aditus patuiſſet, ſacrāmenta illa, aliaque ab oculis Catechumenorum remota myſteria aſpexiſſet: quanto magis pœnitentes qui non ſolum Euchariſtiam viderant, ſed ſumpſerant, pœnitentiæ moleſtijs leuari deberent. Ad hæc non eſt diffitendum Euchariſtiam fuiſſe pœnitentiæ, quaſi ac Catechumenatus finem, omniaque pœnarum, ac cæremoniarum genera, quę alio atque alio gradu ſuſcipiebantur, non niſi eo ſpectaſſe, vt

Digitized by Google

quam Chriſtiani digniſſimi Euchariſtia redderentur: Id enim niſi ſibi propoſuiſſent, non quartus illi pœnitentiæ gradus conſtitutus eſſet: pœnitenteſque tertio gradu exacto, cum reliquo grege fideliũ conſociati coniunctique ſublato quouis diſcrimine vixiſſent. Par ergo videbatur, vt qui pœnitentes Euchariſtia potiri primum cœpiſſent, ij pœnitentiam repetere non ampliùs cogerentur: ſed ea dimiſſa conquieſcerent, cùm id tandem eſſent adepti cuius cauſa pœnitentiam ſubiſſent.

Canonem iſtum, de impoſitione manuum explicandum eſſe, quam tertij gradus pœnitentes quotidie ſuſcipiebant, dubitandum non eſt: quia non de illa impoſitione manuum, qua dabatur pœnitentia intelligi poteſt, cum ea ſemper initio ingreſſúſque ad pœnitentiam daretur; ij autem de quibus in illo canone agitur, eam ſuſcepiſſe dicantur, pœnitentéſque nominentur: neque vero de duplici manuum impoſitione tractatur, per quam duplex reconciliatio maxima & minor concederetur, cùm quo tempore morbis vexarentur, vtrámque recepiſſent; quandoquidem Euchariſtia ſe pauerant, quæ pœnitentibus non porrigebatur, niſi ante reconciliati altario, & myſterijs, vt vocant, abſolutíque fuiſſent; quater autem impoſitio manuum eſt facta in omni pœnitentia: quare non niſi tertij gradus pœnitentiæ manus impoſitio relinquitur; quæ ſumi poſſit ad iſtius canonis interpretationem, cum aliæ tres non in eius explicationem cadere aut quadrare poſſint.

Digitized by Google

Viaticum Euchariſtiæ, quia aliud viaticum erat, quod pœnitentibus in ipſo mortis articulo dari ſoleret, atque id abſolutio, vel ſimplex reconciliatio dicebatur; quo viatico, vbi conualuerant, accepto, dubio procul illis erat ad eum pœnitentiæ gradum remigrandum, in quo ante morbum reſederant: quare hoc canone addiderunt Patres, *Euchariſtiæ*, hoc eſt etiam ſi Euchariſtiæ viaticum (de alio enim non erat dubium) acceperint.

Non ſe credant abſolutos, hæc non ita explicanda *non ſe putent recepiſſe abſolutionem à peccatis*, verè enim eam erant adepti, quandoquidem Euchariſtiam ſumpſerant; ſed ita id interpretor, non ſe putent ſuæ pœnitentiæ ſatisfeciſſe, non ſe putent Deo ſatisfeciſſe, & peccatis debitas pœnas expunxiſſe; quamuis ab iis ſe abſolutos, & ad ſacram acceſſiſſe menſam clamitent: Ad tertium enim pœnitentiæ gradum reſilire atque redire oportet eos, vt manuum impoſitionibus purgentur: ſatisfactionem debitam exoluant, & expleant; iiſdem aſperitatibus forti animo exhauriendis perficiendíſque, quæ in tertio gradu præſcribebantur, gratos ſe charóſque Deo prębeant, omnémque peccati labem, quam contraxerant, eluant.

CANON LXXX. CONCILII CARTHAG. QVARTI.

De manus impoſitione ſuper pœnitentes.

Omni tempore ieiunij manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur.

PERSPICVVM

PERSPICVVM eſt in eo canone de pœnitentibus tertij gradus ſermonem inſtitui, deque impoſitione manuum, quæ eorum gratia in ſolemni & publico miſſæ ſacrificio parabatur: non autem de alijs pœnitentibus, aut alijs manuum impoſitionibus, quarum beneficio, aut abſolutio, aut maior reconciliatio, aut pœnitentia denique tribueretur: quia alio quodam Canone videre eſt pœnitentium ordinarias ac vſitatas reconciliationes circa Paſchales, non autem ieiuniorum dies conſtitutas Pœnitentiam quoque nemo potuit dubitare, quouis tempore, quotidiéque ſuſcipi poſſe: noxaſque ſuas confitentibus, adeoq; ſibi eam concedi poſtulantibus, quoduis tempus fuiſſe obuium. Sed quia olim apud maiores noſtros in more atque inſtituto poſitum fuit, toto illo tempore, quod interiectum erat, inter Catechumenorum miſſam, & fidelium, pœnitentibus tertij gradus manus impônere, eorúmque cauſa, aut gratia, certas precationum formulas concipere, diebuſque ieiuniorum integrorum, nullum omnino miſſæ ſacrificium inſtituere: Veriſimile eſt ideò aliquos pœnitentibus manum non admouiſſe, quod illa temporis ordiniſque ratio, quę illam manuum impoſitionem poſtulabat, omiſſo illis diebus miſſæ ſacrificio, non occurreret: Vel forſam (id affirmare non auſim) quod Catechumeni & pœnitentes primi & ſecundi gradus, diebus illis ieiuniorum, quæ integra dicebantur Eccleſiam non adirent, cum nulla Catechumenorum miſſa diceretur. Idcirco non compertum erat;

Digitized by Google

vtrum tertij gradus pœnitentes ijs abſentibus, adeſſe cogerentur; quod fieri iubet canon.

Omni tempore ieiunij, quia erant ſemijeiunia & ieiunia integra: ieiuniorum dies pleni; quidam non pleni, quales eſſent ſtationum dies; in his nulla erat dubitandi ratio, quin manus imponerentur pœnitentibus, & purgarentur, quod in illis ieiunijs, quæ non ad noctem vſque proferebantur, miſſa fieret, paulò antequam ieiunium terminaretur. Et ita ordo qui ſeruandus erat, tempuſque imponendi manus tertij gradus pœnitentibus, non mutabatur, nec cuiquam ea res incerta erat, aut dubia; ſed ſi quę dubitatio fuit, ea ad dies ieiuniorum integros reuocabatur, quod in ijs nulla miſſæ celebrandæ, mentio eſſet.

CANON LXXXII. CONCILII CARTH. QVARTI.

Vt pœnitentes ſemper genua flectant.

Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.

DIES *remiſſionis*, feſti dies ſunt, & dominicæ omnes, quinquagintáque illi dies à Paſchate ad Pentecoſtem, ita dicti, vocatique quod publicæ lætitiæ addicti eſſent, partim vt memoria Reſurrectionis Domini noſtri celebraretur & repeteretur, partim vt debito cultu ac religione proſequerentur diem illum, quo ſacro ſe Euchariſtiæ participes fuiſſe

Digitized by Google

XV. *Homicidis pax in exitu denegata.* 292.
XVI. *Quo tempore eis indulta.* 296.
XVII. *Mœchi ad communionem non admiſsi.* 299.
XVIII. *Quando primum ad eam admiſsi.* 301.
XIX. *Pacem à Martyribus exorabant.* 303.
XX. *Hæreſim quamobrem induxerit Nouatianus.* 306.
XXI. *Qua in re potiſsimum verſaretur.* 310.
XXII. *Primus gradus Pœnitentiæ.* 314.
XXIII. *Secundus gradus Pœnitentiæ.* 326.
XXIV. *Tertius gradus Pœnitentiæ.* 331.
XXV. *Quartus gradus Pœnitentiæ.* 360.
XXVI. *Exomologeſis.* 366.
XXVII. *Apud Diaconum Exomologeſim facere. D. Cyprianus Epiſt. 17. lib. 3.* 377.
XXVIII. *Mortis metu abſoluti, ad pœnitentiam reuocabantur.* 382.
XXIX. *Excommunicatos & Pœnitentes orare inter Catechumenos.* 387.
XXX. *Quid ſit plena Pœnitentia.* 392.
XXXI. *Quatuor manus impoſitiones in decurſu pœnitentiæ.* 395.
XXXII. *Prima & minima reconciliatio.* 403.
XXXIII. *Vltima & maxima reconciliatio.* 413.
XXXIV. *Pœnitentes à Clero remouebantur.* 422.
XXXV. *Panis benedictus nunquam dabatur Catechumenis.* 437.
XXXVI. *Minuta Catechumenorum Sacramenta ex fidelium Oblationibus deſumpta.* 442.

FINIS.

† ij

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONVM
LIBRI PRIMI SERIES.

I. QVID ſit Communio, Communicare, Excommunicatio. fol. 1.
II. D Communione Eccleſiaſtica. 8.
III. De Communione peregrina. 10.
IV. De Communione laïca. 22.
V. De Oblationibus. 43.
VI. De Communione ſine Oblatione. 49.
VII. Nomen Offerre. 54.
VIII. De Communione per Eulogias. 60.
IX. Cur mortuis Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ præberentur. 61.
X. Qua ratione mortuis ius Communionis redderetur. 67.
XI. Quid ſit viaticum. 72.
XII. Lætitia ob ſuſceptam Euchariſtiam. 81.
XIII. De celebritate & ieiuniis Sabbathorum. 83.
XIV. Primis ſæculis tempore ieiunij nemini licuiſſe Euchariſtiam ſumere. 94.
XV. Quæ feſtorum dierum ſolennitas à Paſchate ad Pentecoſten interiecta fuerit. 106.
XVI. De Stationibus Chriſtianorum. 108.
XVII. Ab oſculo pacis abſtinebant diebus ieiunij. 128.
XVIII. De Agapis. 135.
XIX. De Fraternitate Chriſtianorum. 140.

†

Digitized by Google

XX. *De Martyrum authoritate.* 146.
XXI. *De Martyribus, Confeſſoribus, Extorribus, Libellaticis, Thurificatis, Sacrificatis, Blaſphemis, & Lapſis.* 151.
XXII. *De Sacerdotio Gentilium.* 155.
XXIII. *D. Cypriani Epiſtolæ ad Antonianum locus inſignis de Summi Pontificis authoritate.* 173.
XXIV. *Petere maritum à vidua.* 176.
XXV. *Chriſtianus, Fidelis, Sanctus, Iuſtus.* 180.

OBSERVATIONVM
LIBRI SECVNDI SERIES.

I. *PRIMA Catechumenorum Pœnitentia.* 185.
II. *Altera Catechumenorum Pœnitentia.* 202.
III. *Pœnitentia quæ poſt baptiſmum imponebatur.* 214.
IV. *Diſcrimen inter Excommunicatos & Pœnitẽtes perpetuæ pœnitentiæ.* 239.
V. *Vnica poſt baptiſmum Pœnitentia.* 245.
VI. *Toties indultum, quoties peccatum.* 249.
VII. *Abſolutio in morte denegata.* 251.
VIII. *Canonum auctoritas.* 257.
IX. *Apoſtatæ nec in morte abſoluti.* 264.
X. *Quando primum admiſſi.* 265.
XI. *Lapſis nec in morte pax conceſſa.* 266.
XII. *Lapſorum reſtitutio.* ibidem.
XIII. *Monſtris nulla vnquam venia indulta.* 289.
XIV. *Quo tempore monſtris gratia facta.* 290.

Digitized by Google

lætabundi geſtirent. Iam vero ita pij cum eſſent religione ſe ea obſtringi putabant, vt communem illam publicamque lætitiam, non dicam imminuerent, aut infringerent: ſed nec ijſdem diebus, quod ita ferret conſuetudo, ſolerent abſtinere à cibis, ſeu ieiunare, Deo genibus nixi ſupplicare, aut vllum mœroris, aut aſperitatis ſignum edere: Propterea Tertullianus lib. de corona militis, immunes vocat, *Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus*, & ſanctus Hilarius Hymno illo, qui eius eſſe dicitur, quique die Pentecoſtes decantari conſueuit, *Quo lege ſit remiſſio.* Concilium Nicænum can. 2. eidem rei conſentit: huius verò gaudij publici & lætitiæ geſtientis, quæ omniũ animos occupauit, luculentum teſtimonium affert Tertullianus, cum ait, paganos, id de Chriſtianis iudicaſſe ac confirmaſſe ab iis diuinos honores eſſe Soli decretos, ac perſolutos, quod diebus dominicis Chriſtianos omnem luctum mœrorémque poſuiſſe dicerent, incredibilíque lætitia perfuſos viderent: *Æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quam religione Solis.*

In eo igitur canone decernitur, vt pœnitentes diebus feſtis non aliter orent quam in aliis, & quamuis fideles ſtantes iiſdem orent diebus, eos tamen genibus flexis orare oportere; quòd tempus pœnitentiæ traducendum eſſet cum continua, & non interrupta corporis animíque afflictatione, neque pari immunitate æquum eſſe eos gaudere, qua fideles qui illis diebus omnem triſtitiam remitterent.

Digitized by Google

Reliquum illud eſt, dubitationem, aut admirationem cuiquam moueri poſſe, quid cauſæ ſit, cur ſupplicij, aut pœnæ nomine conſtitueretur olim in veteri Eccleſia, preces fundere proiectis ad terram genibus cum Deo ſupplicarent; cùm debitus ſupremo illi numini cultus & honos, qui à creatura expectandus ſit, aut decernendus, non alius maior eſſe poſſit, quàm aliquem genibus nixum orare. Tamen id memoriæ proditum eſt, cum Eccleſia *in attonito eſſet*; ita loquitur Tertullianus, aut turbulentiſſimæ quædam perſecutionum tempeſtates, ac turbines Eccleſiam conquaſſarét, aut verò etiam duriſſimo illo tempore Dei ipſius beneuolentiam gratiámque conciliare cuperét Chriſtiani, portentúmque aliquod, aut miraculum à Deo extorquere, vt putà in ſumma & formidanda ſiccitate pluuiam; quod in exercitu caſtriſq; Imperatoris Antonini, contigit; cum milites ſiti propè confecti enectiq; in Germania extinguerentur: memoriæ inquã proditũ ac cõſignatum monimentis hiſtoriarum, Chriſtianos in genua procumbẽtes, Deum Optimum, Maximum exoraſſe, vt quem ſibi animo propoſuerant, precum ac ſupplicationũ ſortirentur exitum. Tertullianus ad Scapulam, *quando non geniculationibus ac ieiunationibus noſtris ſiccitates ſunt depulſæ*, atque hæc eſt ratio, cur cum dare ſe hilaritati Chriſtiani vellent, geniculationes omitterent, quibus tamen vtebantur, cum à ſe pœnas repoſcerent.

FINIS.

Digitized by Google

Notæ in quoſdam TERTVLLIANI LIBROS.

Eiuſdem aliquot loci explicatu difficiliores elucidantur.

M. DC. XXII.

Digitized by Google

LIBRI TERTVLLIANI

NOTIS ILLVSTRATI.

In lib.	*Ad Scapulam.*	1.
	De Pœnitentia.	5.
	De Oratione	19.
	Ad Vxorem	23.
	De Præſcriptionibus	35.
	De Pudicitia	45.

LOCI EXPLICATI.

De Spectaculis cap. 29.	*p.* 82.
Lib. 5. Carminum cap. 8.	*p.* 83.
De Monogamia cap. 10.	*p.* 86.
De Corona militis cap. 3.	*p.* 87.
De Spectaculis cap. 25.	*p.* 88.

Digitized by Google

AD SCAPVLAM.

Notæ in librum Tertulliani ad Scapulam.

LIBELLVS hic breuitate ſua nihiloſecius multa notatu digna cõplectitur, in quibus interpretes non pauca paulò leuiùs tranſmiſerunt. Doctiſſimus Cuiacius poterat meo quidem iudicio Rhenano ignoſcere, cũ dixit hoc loco *Prætorium*, ſignificare ſecretam domũ, vbi ſperaret caſum ſuum Chriſtianis incognitum iri: perinde vt eſt villa in ruris ſeceſſu: Nam parum rationi conſentaneum eſt eum in eo loco manſurũ fuiſſe vnde ius dicebat, ad quærendas aduerſus Chriſtianos latebras; ſed potiùs in aliqua, etſi non ſui dominij villa, vbi malum ſuum commodiùs celaretur.

Interpellatio ſanguinis, hoc eſt illum à Deo admonitum caſtigatumque, puta aliquo ſanguinis profluuio, quòd Chriſtianos iniquè inſectaretur; quo loco interpellare idem eſt quod monere.

Chriſtianum quaſi tumultuoſum ciuibus ſuis ſatisfacere dimiſit. Hoc vt mea fert opinio de Iudæis cum Chriſtianis odia & iurgia mouentibus accipiendum eſt: quippe cùm circa hæc principia magni tumultus inter eos exorirentur: Tacitus *tumultuantibus Iudæis authore Chriſto*, cùm Chriſtiani magnam partem Iudaiſmum exercuiſſent, mutatio illa ſine grauiſsimis diſsidiis fieri nequibat. Quin etiam ab omnibus ſcriptoribus adnotatũ eſt Iudæos fuiſſe in cauſa, cur Chriſtiani odio Gentilium flagrarent, & calumniis confictis exponerentur. Igitur Iudæi de aliquo Chriſtiano conciue conquerebãtur, quem Veſpronius iis remiſit, vt inter ſe controuerſias de re-

Digitized by Google

ligione componerent: ex Actis etiam Apoſtolorum, Feſtus quoniam quæſtiones quaſdam de ſua ſuperſtitione habebāt aduerſus Paulum, eum Hieroſolymam mittere volebat, vt illic iudicaretur: non poterat enim quæſtiones eiuſmodi enucleare Feſtus, vt ibidem habetur. Nam remittere Chriſtianum, vt popularibus ſuis Ethnicis ſatisfaciat, hoc neque vlla ratione niti, neque ſenſum vllum dare videtur.

Et ſtatim deiectum. Aiunt interpretes deiectum eo loci ſonare, deiecto animo, quaſi hoc ad impediendum ſuppliciū aliquid valuiſſet, aut Aſper propterea maiorem clementiæ opinionem inde colligere potuiſſet. Sed moris erat, vt de Chriſtianis medio foro ſupplicium ſumeretur in tabulato, quod nonnunquam cataſta vocabatur, vnde prouerbium D. Cypriani à cataſta ad pulpitum peruenire. Igitur autoris ſententia eſt Aſprum coactum ſatisfacere legibus, & in Chriſtianum iſtum animaduertere, verumtamen ei parcere volentem leui aliqua pœna contentum, de cataſta & loco editiori detrahi ac demitti ſubitò iuſsiſſe.

Nec ſacrificium compulit facere. Hæc quoque ſi rectè intelligantur ſententiam noſtram confirmant. Nam in ipſo pegmate coram populo, aut Dijs Gentilium ſacra faciebant, aut pertinaciæ pœnas dabant: vnde Aſprum laudat quòd neutrum feciſſet.

Pudens miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio concuſſione eius intellecta dimiſit ſciſſo eodem elogio ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem ſecundum mandatum. Senſus horum verborum facilè percipietur explicatis ſigillatim obſcurioribus quæ occurrunt vocibus, primò *elogium* ſumitur pro litis enunciatione ſiue actis circa huiuſce Chriſtiani capturam factis, multaque ſunt apud Iuriſconſultos vocabula idem ſignificātia *elogium, epiſtolæ, notoria, relationes.* Vocabulum *concuſſio*, non exponendum eſt vti Pamelio & Iunio placet, nec quo pacto vulgò intelligitur, cùm iudex per ſordes & vim autoritati ſuæ indebitam, à reo ſeu captiuo extorſit pecuniam. Ratio manifeſta, nam ſi is qui Chriſtianum ad Pudentem miſit ab eo pecuniam extorſiſſet, haud dubiè miſſum feciſſet, non captiuum duci iuſsiſſet. ſed concuſsio eo loci ſignificat, vt in

Digitized by Google

lib. de fuga in Perſe. & alijs locis compluribus, duntaxat alicuius capturam non pecuniæ extorſionem. *Sine accuſatore.* leg. Diuus de custo. & exhi. reorum, diſertè cautum erat ne quiſquam puniatur ex epiſtolis & actis pedanei & minoris iudicis, *non eſſe vtique epiſtolis eorum credēdum qui quaſi damnatos ad præſidem remiſerint.* Et ratio idonea eſt, *quia non omnes ex fide bona elogia compertum eſt ſcribere*, & in eadem lege. *Sed quaſi re integra quæratur ſi quis erit qui eum arguat.* Interpretes hanc quidem legem laudarunt ad explicationem vocis *elogium*, nec tamen animaduerterunt eam integram afferre huic loco lucem ac interpretationē; propterea Pudens hunc Chriſtianū remiſit quòd nemo eſſet qui eum accuſaret, & quòd acta ſiue elogium iudicis Pedanei ad ſumendum de eo ſuppliciū ſufficere non videbantur, non autem vt aiunt interpretes, quòd ſpoliatus eſſet: *mandatum*, puto hanc legem eſſe *Diuus*. nam quamuis multa eſſent mandata Principum in gratiam Chriſtianorum, qui aut priore, aut ſequenti tempore principatum obtinuerunt, vtpotè illud Traiani apud Plinium, Adriani apud Iuſtinum & Euſebium, & Antonianorum apud eoſdem. Sed ad hæc verba Tertulliani, non tam peculiariter accommodari poſſunt, quàm id quod mandatur lege Diuus. Senſus igitur huiuſce loci eſt Pudentem (qui Chriſtianis fauere optabat) cùm videret neminem accuſare, hunc Chriſtianum, nullas in eum eſſe probationes, niſi relationes eius à quo mittebatur tātùm, ne interrogare quidem illum ſuſtinuiſſe, dixiſſeque legibus vetitum eſſe agere contra aliquem ſine accuſatore, verùm vt aiunt *iureconſulti accuſatione proprio nomine inſtituta.*

Populo furenti in os palàm reſtitit. Populus iſte cruori amphitheatrorum aſſuefactus, ſi annona aut alio quouis incommodo, aut calamitate premeretur ſæpe Romæ, aliis etiam in locis Chriſtianos mox ad mortem depoſcebat, tanta vi tantaque rabie, vt ſæpe illius furori permitterentur, quod conſtat ex Euſebio in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis. Atque idipſum eſt quod Imperator Adrianus Proconſuli Aſiæ interdicit, *Precibus autem in hoc ſolis & acclamationibus vti eis non*

Digitized by Google

permitto. Epiſt. 3. lib. primi D. Cyp. *clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in Circo*.

Hæc etiam verba, *tunc & populus adclamans Deo deorum*, ſunt attendenda: nam cùm Ethnici aliquod beneficium precibus Chriſtianorum cœlitus acceperant, Deum Chriſtianorum omnipotentem eſſe fatebantur. Euſeb. lib. 9. cap. 8. *nec eſſe vllum alium præter Chriſtianorum Deum confitebantur*. Idem colligitur ex epiſtola D. Aurelij ad Senatum.

Et qui ſolus potens eſt in Iouis nomine Deo noſtro teſtimonium reddidit. Senſus eſt, Gentiles teſtimonium reddere Deo Chriſtianorum, eumque omnipotentem fateri: nam cùm inuocatus à Chriſtianis ſiccitates, aut alia incommoda depuliſſet, & ad tale miraculum ſtuperent Gentiles Iouémq; omnipotentem acclamarent, quòd talia perpetraſſet, Deo non Ioui hoc teſtimonium reddebant, nam præſtò adfuerat Deus Chriſtianorum, non Iupiter.

Digitized by Google

DE POENITENTIA.

Notæ in libellum Tertulliani, de Pœnitentia.

CAPVT I.

HOc genus hominum, Gentiles Philoſophos, qui de pœnitentia ita definierunt, quod non improbat Tertul. ſi de ſolis peccatis intelligatur.

Natura tenus, abſque Euangelij gratia.

In gratiam cecidit, minùs commodè ceſſit.

Leuiùs incubant, minùs dolent de peccatis.

Per eandem delinquunt, quia cùm eos optimarum & honeſtiſſimarum actionum pœnitet, facilè in vitia ſeſe ac flagitia immergunt.

CAPVT II.

CVm ſæculi dote. Miſerias humanas intelligit quæ poſt peccatum mortalibus in dotem adſignatæ ſunt.

Pœnitentiam dedicauit, punito Adami peccato, cũ mortales nouis beneficiis compleſſet, docuit priùs acta pœnitentia emendari poſſe.

In extremitatibus temporum, mundi finem imminere exiſtimabant.

Præire intinctionem, iuſſit vt pœnitentia Baptiſmum præcederet: quàm eleganter docet pœnitentiam ante Baptiſmum neceſſariam eſſe!

Ignorantia contaminaſſent, & cùm Dei legẽ ignorarent Ethnici, quidquid peccarent ignorantia feciſſe videbantur.

Digitized by Google

Quo ſe ille cum cæleſtibus, in Baptiſmo ſcilicet.

Ne bonis vnquam factis, vt Gentiles qui manus iniiciunt bonis factis, id eſt, qui cùm de bonis factis dolent, crines aut barbam ſibi euellunt.

Viderit ergo in gratia, id eſt, cùm quid malè ceſſit.

Iuſtitiam Deo præſtandam, quia ſcilicet ſeſe cruciando Deo ſatisfaciebant.

Priuatum cur malitiæ. Nil mutandum, quidquid iubeat Latinius cum Iunio, nam ait propriè id peccatum afferre, vt de eo doleatur.

Sed otioſum videri poteſt. Eleganter certè commendat fidem & pietatem Catechumenorum, quibus cognita lege Dei, nil opus eſt pœnitentiam laudare, quòd vltrò eam ſint amplexuri.

Capvt III.

A*dmiſſus ad Dominica.* Erudiebantur Catechumeni antequam pœnitentiam adſumerent.

Quod voluntas facti origo. Calliſtratus lib. 6. de cognitioniin l. Diuus 14. ff. ad legem Corneliam de ſicariis & veneficiis, *in maleficiis voluntas ſpectatur non exitus.* Seruius ad illud Virgilij, *auſi omnes immane nefas*, illic ſunt & qui fecerunt & qui conati ſunt.

Sibi repræſentat. Ex hoc loco P. Martyr, & cæteri hæretici aiunt hoc verbum, *præſentem*, exhibere, apud autorem, non ſignificare, atque adeò cùm ait pane Chriſtum corpus ſuum repræſentaſſe, non ita accipiendum vt præſens corpus tradiderit: verùm huic vni ſexcentos opponere poſſem, vbi, *præſentem*, rem ipſam exponere ſignificat.

Cur non ſolatium ſui. Manifeſtum eſt hunc locum corruptũ eſſe, neque Rhenani emendatione euidentiorem fore: quid enim ſibi vult, *ſolatium ſui ſaturare?* Certum præterea eſt autorem dicere, voluntatis vota, pro factis habenda, & punienda: quo cum ſenſu conuenire non poſſunt quæ reponuntur, ſed corrigere difficile eſt quòd autoritate careamus, ſi verò diuinare liceret, legerem *cur non ſola etiam ſuſpirans*, de pudici. *cum infælicitate ſua ſuſpirat*, deſiderat, optat.

Digitized by Google

CAPVT IIII.

O*Mnibus ergo delictis.* De prima pœnitentia loquitur: quod non animaduertens Pamelius, neſcio quid turbat, aut cur primam cum ſecunda confundit: nam neceſſe eſt mihi det, hoc nihil pro particulari pœnitentia facere, atque adeò pro confeſſione & remiſſione omnium peccatorũ, cùm de prima ſit mentio, qua nemo vnquam negauit omnia omnino peccata deleri.

Pœnitentiam malo, rurſus cùm de eadem agat, non debuit aſſerere Pamelius, numero 83 de pudicitia, de Chriſtiano peccatore hæc accipienda eſſe.

Imò me minor. Quicquid ante lauacrum commeruerant Catechumeni aut fecerant, id omne naturæ magis impetu quàm voluntate feciſſe exiſtimabantur: vt autor de pudici. D. Cypri. aut quiſquis libellum de pedum ablutione nobis dedit. Hermes, & Iuſtinus affirmant, quamobrem ait Catechumenum minùs ſe peccaſſe.

Ego enim præſtantiam, quia grauiora multo Chriſtiani quã Audientis erant peccata, ideò ait agnoſcere ſe grauiùs peccaſſe.

Alicuius tabulæ. Quando aiunt Patres pœnitentiam eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, de ſecunda & poſt Baptiſmum pœnitentia id accipiendum, non de prima quæ non erat ſecunda, ſed prima tabula.

Vt ille tu nihil. Ad Gentiles igitur totum hoc caput pertinet, ſiue ad Audientes.

Aggredi & cuſtodire: pœnitentiam aſſumere, & ita de peccatis dolere, vt poſt Baptiſmum in ea numquam incidamus.

CAPVT V.

N*Vmquam poſthac*, poſt Baptiſmum; quo pœnitentia cũ fide obſignabatur.

Ignorantiæ prætextum. Gentiles ſiue Audientes hac vna ratione peccatis ſuis ignoſci volebãt, quòd quid optimũ eſſet

Digitized by Google

factu ignoraſſent: qua excuſatione iis non liceret vti, qui Chriſti mandatis imbuti eſſent: vnde etiam conſtabit totũ hoc caput ad Audientes & Catechumenos pertinere.

Ignorantia ſegregaris, qua ante Baptiſmum minùs peccaſſe cenſeris.

Intellectum, quia à Doctoribus Eccleſiæ erudiebantur Catechumeni, & Deum timere docebantur.

Recuperata præda, vt è contrario oue reperta.

Quorum inuidia cum diabolo, miſerias & pœnas quas Pœnitentes Deo mitigando, & ad eius gratiam recuperandam ſubibant, ſordidumque & ſquallentem eorum habitum & ſtatum. *Inuidiam*, vocat Tertull. quamobrem ait hoc loco Audientium fictam ſatisfactionem & pœnas, ſi quas ſponte amplexarentur (nullæ enim eis pœnitentibus præſcribebãtur) gratas eſſe diabolo: quid ſit autem cur pœnitentiam aut potiùs pœnitentium actus & miſerias *inuidiam* appellarit, hoc eſſe coniicio: quòd cùm miſerabilis eorum habitus graueſque pœnæ omnium in ſe miſericordiam mouerent, inuidiam, in Deum veluti concitare viderentur, ni dignos ſcilicet eos haberet, quibus ignoſceretur. Certè de pudicitia dixit, *cicatrices vtique apud Chriſtum inuidioſæ*, eadem ratione pœnitentium pœnæ apud Chriſtum inuidioſæ erunt, quia propter illum ſuſceptæ: aduerſus Pſychicos, cap. 16. *Cinere conſperſi idolis ſuis inuidiam ſupplicem obijciunt*, quo loco dubitari nequit, quin habitum pœnitentium & ſupplicantium *inuidiam* vocarit, quando Ethnici ſupplicantis ſtatum referat: in Apolog. cap. 40. habitum & pœnitentium miſerias inuidiam appellauit. *Inuidia cælum tundimus*, quo in loco perſpicuum eſt de pœnitentia verba fieri: In eundem ſenſum Silius Italicus lib. xi. inuidiam vſurpauit.

& nullis defuit aris
Inuidiam factura parens.

D. Cypri. lib. 3. epiſt. 18. *Cæteri qui inuidiam faciunt*, id eſt, qui pœnitentiam agunt & miſerijs & ærumnis Eccleſiæ miſericordiam ſollicitant & pacem. Idem de mortali *aduerſus*

Deum

Digitized by Google

Deum querela & inuidioſa voce loqueretur: De alia inuidiæ acceptione diſſerit Turnebus lib. 9. c. 28.

Capvt VI.

S*Emel capeſſendam*, quia poſt Baptiſmum non ampliùs erat delinquendum.

Eo perpetuò continendam. Non perpetuam agebant pœnitentiam Catechumeni, ſed vult dicere eos de priſtinis peccatis ita dolere debere, vt nunquam in ea incidant.

Deditos domino, id eſt Catechumenos, nam de fidelibus nulla eſt mentio, cùm totum hoc caput cum ſuperioribus ad ſolos Catechumenos pertineat, eos autem Deo deditos vocat, quia Deo nomen dederant, & in eius fidem erudiebantur: non negarim tamen eodem nomine fideles nonnunquam appellari.

Vt omnis ſalutis. Baptiſmum vocat omnem ſalutem, quia ſcilicet omnia omnino per Baptiſmum peccata delentur.

Nouitiolis. Catechumenos quidem intelligit, vt aiunt interpretes, verùm cùm varia eſſent Catechumenorum genera & ſpecies, eos præcipuè ſignificat qui Audientes dicebantur, ſiue qui Deum timere cœperant. Nam vbi primùm nomen Chriſtianæ ſectæ quis dederat, Gentilium Deos & inania ſimulachra ſpernere & contemnere docebatur. Deinde Deũ timere, vnde pœnitentiam aſſumebat, qua peracta perfectus Catechumenus habebatur, ſed de his aliàs & fuſiùs.

Pœnitentiam aſſumunt. Spontè pœnitentiam aſſumebant Catechumeni, eámq; pro peccatorum & antè actæ vitæ ratione ducebant. nam nullo Eccleſiæ iudicio de eorum pœnitentia aut ſatisfactione ſtatuebatur.

Sed includere eam negligunt. Rhenanus & Pamelius aiunt tranſlationẽ eſſe à rebus quas ni includas amittes. Eraldus (de Iunio enim taceo cùm non ſatis aſſequar quid ſibi velit) docet in commentarijs ad Arnobium lib. 2. tyrones his verbis increpari, quòd pœnitentiam in multum tempus producerent, atque eam perficere & finire nollent. Ego horum longè aliam reor eſſe ſententiam & *includere*, perficere & finire non

Digitized by Google

ſignificare: verùm bona fide pœnitentiam non agere ſiue ſinceram non ducere. nam de tempore, ſiue quòd pœnitentiam protraherent minimè conqueritur Tert. cuius de Baptiſmo hæc ſunt verba, *Cunctatio Baptiſmi vtilior eſt*, & paulò pòſt, *ſi qui pondus Baptiſmi intelligant magis timebunt conſecutionem quàm dilationem.* Itaque cùm Baptiſmo plerũque clauderetur prima pœnitentia, eumque differri ſuadeat, minimè crederem Catechumenos hoc loco reprehendi, quòd pœnitentiæ finem non facerent; ſed docet, opinor, nonnullos, quòd ſcirẽt antè acta purgari Baptiſmo, ſegniùs pœnitere, atque à conſuetudine prioris vitæ reſilire nolle. Neque alio ad id confirmandum argumento vtemur, quàm ea, qua nititur ſimilitudine, veniam enim ſibi parat adulterinis nummis, non qui pœnitentiam in multum tempus producit, ſed qui plenam & bona fide eam non amplectitur; totius prætereà capitis ratio & ſententia hoc vnum oſtendunt, & de veritate pœnitentiæ, non de tempore aut mora quæſtionem eſſe.

Ipſe finis deſiderandi, quia priſtinos mores mutare docebantur Catechumeni.

Tergiuerſationis erga pœnitentiam, quia veram ſubire nollent.

Præſumptio intinctionis, nimia de Baptiſmo fiducia.

Medium tempus furantur, totum tempus quo erudiebantur, medium vocat, quod inter Baptiſmum & primam inſtitutionem intercederet.

Commeatum ſibi faciunt. Docebantur Audientes non ſolùm quàm graue & periculoſum eſſet peccare, Deúmque iratum habere, ſed etiam omnia retro delicta Baptiſmo condonari, vnde ait Tertull. quibuſdam peccandi audaciam & ſecuritatem eiuſmodi præceptis fieri.

Non adimplere, perfectam & veram non ducere.

Veniam delictorum ſuſtinere, expectare, ſperare, petere: in Apolog. c. 35. *Aut poſt illam ſperatur & ſuſtinetur.*

Hoc eſt pretium non. Id cautum fuerat lege 12. tabularum ne venditoris res emptori aliter adquirerentur, quàm ſi is pretium ſoluiſſet §. venditor inſtit. de rerum diuiſione & ex iure Attico petitum: id enim Græcam fidem vocat Plautus in

Digitized by Google

Aſinaria: Auſonius in Epiſtolis, *Græca non bona fide*, Turnebus in Aduerſarijs lib. 12. cap18.

Pœnitentiæ probationem. De veritate igitur pœnitentiæ, non de tempore agitur.

Sed differamus tantiſper. Ex eorum ſententia loquitur, qui dicebant ſatis eſſe ſi poſt baptiſmum meliores mores induerent.

Nullo pacto, quod negat; quia ex his quæ docebantur, intelligere debuerant, quanto in periculo medio illo tempore, id eſt ante Baptiſmum verſarentur; quòd ſi pœnitentiâ & ſatisfactione id remouere & Deum placare non ſtudeant, indigni omnino videri debẽt, quibus Baptiſmi gratia credatur.

Pendente venia, ante Baptiſmum.

Cùm adhuc liberari non meremur, non baptiſabantur Audientes, niſi aliquandiu pœnitendo promeruiſſent.

Cùm Deus comminatur, cenſetur Deus comminari iis, qui nondum ſunt baptiſati, vel iis quos pœnitere oportet, quia in maximo verſantur periculo & æterna ſupplicia merẽtur; deinde medio illo tempore docebantur, quanta tormenta peccatis decreta eſſent.

Quis enim ſeruus. Seruus, poſt manumiſſionẽ alius homo videtur eſſe, ex Paulo in l. 27. ff. de adimendo, vel transferendo legato, nouus homo l. qui res 98. §. aream ff. de ſoluti, & libera. idque oſtendebant circumactiones & vertigines quæ fiebant in ſeruorum manumiſſionibus. Ideo ait Tertull. furta ſua, & fugas, quia erant ſeruorum vitia, de quibus etiam venditor in mancipiorum venditione cauebat furem non eſſe, & furto noxáque ſolutum, fugitiuum non eſſe l. aliud eſt 174. & l. fugitiuus 225. ff. de verborum ſignific. Martialis vſpiam, *Non miror furem, qui fugitiuus erat*. At ſeruus manumiſſus ex his delictis conueniri non poterat à domino l. vlt. C. an ſeruus pro ſuo facto poſt manumiſſionem teneatur, immò omni metu & ſollicitudine liberabantur Cicero ad Tyronem, *Qua ſi me liberaris ego te omni cura liberabo*.

Caſtris ſuis emiſſis. De miſſione & exautoratione, vide Tacitum lib. 1. Annalium, cap. 8. & 9.

Idem quod periculi & timoris, quia Deum habebant iratum

Digitized by Google

æternæque impendebant pœnæ.

Cuiuslibet aquæ. Lauabantur ante Baptiſmum quò reſpicit, atque ait, neminem eſſe qui tam infidæ pœnitentiæ viro, velit, vel primam illam lotionem impertire.

Et propoſitum huius rei. Recipiebant ſe Chriſti legem ſequuturos Catechumeni, & vt ait D. Dionyſius Areopagita, aut quiſquis Eccleſiaſticã Hierarchiam ſcripſit. *Ipſe autem ſe omnino ea quæ tradentur ſequuturum eſſe pollicetur*, ibidem. *Ex eo præterea quærit, num ita inſtituat viuere, cùm promiſit*, ideo ait Author, *aſſeuerationibus*, quia ſcilicet fidem Chriſtianam Chriſtianúmque viuendi genus & mores ſeſe complexos, perſequuturóſque iurabant, antequam baptiſarentur.

Qui pœnitentiæ fidem aggreſſi, id eſt qui incipiunt credere pœnitendum eſſe, & tamen eos non verè pœnitet, nihil enim priùs Catechumeni ſiue tyrones docebantur, quàm vt prioris vitæ pœnitentiam agerent.

Inter auditorum tyrocinia. Catechumenos non intelligit, vt opinor, nam propriè Catechumeni illi vocabãtur, qui probè edocti & eruditi de lege Chriſti, orarent & ius haberent ad Baptiſmum (quamuis non ignorem tyrones, Audientes, & Catechumenos, vno eodémque nonnunquam nomine appellari) quique primam pœnitentiam pœnè finierant; ſed tyrones & nouitiolos qui Chriſtianæ legis prima elementa docebantur.

Dominum ſimul cognoueris. Docebantur Deum cognoſcere, poſtmodum pœnitere. Ex Dei enim atque eius legis cognitione eos prioris vitæ pigebat.

Cæterùm quid te cognouiſſe, ni timeas & reuerearis.

Quid autem à perfecto Dei ſeruo. Perfectos Dei ſeruos eos vocat, qui baptiſati eſſent, quare hanc lectionem retineo quicquid contrà ſentiat Pamelius, nam eius eſt ſententia, nil Audientes à fidelibus ſiue baptiſatis differre, neque illis magis quàm his peccare licere, quæ manuſcriptorum librorum fidem conuellere videtur.

Quæ fides à pœni. Non accedebant ad Baptiſmum, niſi de rebus fidei planè inſtructi, id eſt, de Dei magnitudine & poteſtate rebúſque quæ in Euangeliis continentur, vno exce-

Digitized by Google

pto Euchariſtiæ myſterio, neque baptiſabantur, niſi poſtquam ea omnia ſe credere iuraſſent: quorum fides à fide pœnitentiæ incipiebat, quia ſcilicet non cenſendi erant Deo credere, eúmque magnifacere & timere, niſi eum dignum exiſtimarent, cui de priſtinis ſatisfacerent, & pœnitentia diluerent, quę in eum eiúſque legem olim peccaſſent: ſimiliter dixit de Pudicitia *in fidem mœchia*, id eſt, aſſumendo pœnitentiam teſtarentur ſe credere plurimùm fornicatione Deo diſplicuiſſe, grauéſque pœnas mereri.

Exinde quoad dominum ſenſeris, ab eo tempore à quo dominum timere & vereri cœperant, vſque ad Baptiſmum & quoad Chriſtum Baptiſmo induiſſent Catechumeni, eorum fides tantùm commendabatur, quantum eos bona fide pœniteret: Dominum igitur ſentire, eſt Baptiſmo, Euchariſtia, aliiſque gratiis Chriſtum poſſidere, & quamuis hæc omnia myſteria non aperirentur Catechumenis, tamen non ignorabant donis ingentibus ſe cumulatum iri.

Neceſſitate non ſponte. Iurabant in Baptiſmo ſolennibus verbis ſe nunquam peccaturos, deinde renunciabant diabolo & pompis eius. Denique cenſura, ſi peccarent poſt Baptiſmum coërcebantur; quapropter ait neceſſitate. At verò cum Auditoribus mitiùs agebatur, & quantum ex his coniicio nihil adhuc ſtatutum erat illis temporibus in Catechumenos qui peccarent, ne ſcilicet metu ſupplicij à fide Chriſtiana depellerentur: quod poſtea factum legimus in Concilio Neocæſarienſi canone quinto.

Quod ſi qui ita ſenſerit neſcio, id eſt, qui fictam ducunt pœnitentiam, dubito an magis lætentur Baptiſmo ſe liberatos eſſe. & æterna ſupplicia euaſiſſe, quàm doleant eo accepto peccare non audere.

CAPVT VII.

HVcuſque, hoc caput inſcribendum eſt de ſecunda pœnitentia. hinc enim incipit agere de ſecunda pœnitentia, quæ erat prima & vltima poſt Baptiſmum, nam tertiæ locus non erat.

Digitized by Google

Vel nihiliam de pœnitentia, obſcurum & perplexum; attamen vult dicere, ni fallor, expleta prima pœnitentia, de alia & ſecunda ampliùs Chriſtianos cogitare aut in ea ſpem ponere non debere.

Totiens delinquitur quotiens ignoſcitur. Quis ex his non exiſtimaret Eccleſiæ fores pœnitentibus ſemper patuiſſe, cùm dicat Chriſtum toties parcere quoties delinquitur? Pamelius quoque ex his non dubitat affirmare Eccleſiã peccatoribus veniã ſemper indulſiſſe, & ſi quid apud autores inter legendum de ſecunda & vltima pœnitentia occurrat, id omne de publica accipiendum eſſe, atque ad id confirmandum multa ex autoribus accumulat, quæ nihil referret explicare: cùm quæ iſtic, ait Tertull. cuiuſmodi, aut quomodo accipienda ſint noſtri duntaxat ſit inſtituti edocere: hæc igitur *quotiens ignoſcitur*, non ita intelligas quaſi poſt ſecundam pœnitentiam alius eſſet pœnitendi locus; ſed nihil aliud voluit dicere, quàm tametſi aliqua poſt Baptiſmum ſpes veniæ ſuperſit, & ſecunda atque vltima concedatur pœnitentia, tamen rurſus peccandum non eſſe poſt Baptiſmum: nam ſexcentis locis, non dicam hoc capite vnam tantùm ait à lauacro veniam ſupereſſe, neque vllum primis illis tẽporibus inter priuatam aut publicam grauiorum criminum diſcrimen inuenient. Itaque illa totiens & quotiens dicuntur rectè de duabus veniis (vt ita dicam) & totidem peccatis, de iis ſcilicet quæ ante ſiue poſt Baptiſmum ſemel remittebantur. Cæterùm Eccleſiæ vniuerſæ hanc fuiſſe ſententiam, vel hanc conſuetudinem in omnibus omnino Eccleſiis obſeruatam fuiſſe, non auſim affirmare.

Cæterùm finem vtique, non facilè euadet pœnas & tormenta quæ peccatorem expectant, quiſquis peccandi finem non faciet: finem euadendi habere, eſt non euadere.

Memoria periculi honorant, fortè appenſa ad parietes tabula, qua naufragium repræſentabant, Horatius,

Me tabula ſacer
Votiua paries indicat vuida,
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Dum extinguitur, aqua baptiſmi.

Tot titulos, non naſcebantur Chriſtiani, ſed fiebant, vt ait in Apolog. & de teſtimonio animæ, id eſt prouecta iam ætate ad Baptiſmum admittebantur, vnde non ſolũ quod ex parentibus contraxerant; ſed etiam quæ retro deliquerant, ea omnia vna aqua extinguebantur: quare ait multos damnationis titulos Baptiſmo radi.

Collocauit in veſtibulo. Conſuetudo & ritus erat, vt pœnitentes in veſtibulo Eccleſiæ manerent, ad quem reſpicit.

Sed ampliùs nunquam: ergo vna tantùm erat poſt Baptiſmum pœnitentia.

Quia proximè fruſtrà, quia fruſtra eam egit ante Baptiſmum cùm ad vomitum redierit.

Miſerius eſt perdidiſſe quàm non, miſerius eſt multo ſalutem, quam accepiſti Baptiſmo, perdere peccando, quàm omnino eam non accepiſſe.

Rurſus pænitere, quia ante Baptiſmum primam pœnitentiam egerant.

Capvt VIII. et IX.

A*cceptum ab eo*, gratia Baptiſmi.

Tantùm releuat, de confeſſione publica ac particulari hæc accipienda non ſunt; ſed de confeſſione, qua peccator ſeipſum Deo accuſat.

Quanto in ar. negoti. nempè quia nulla alia ſupererat pœnitentia, tanto magis eniti debebant, vt reipſa ſe verè pœnitentes omnibus fidelibus probarent.

Vt non ſola conſcientia, quos ante Baptiſmum pœniteret, ſponte & arbitrio ſuo pœnitentiam agebant, nullúmque actum publicæ & ſecundæ pœnitentiæ exercebant, id eſt, non manebant pro foribus Templi, in ſacco & cinere veniam non deprecabantur, omnium denique caligas ſeſe volutando non detergebãt; ideo ait Tertull. ampliùs aliquid in ſecunda pœnitentia agendum eſſe, & non ſufficere pœnitentibus de peccatis priuatim dolere, ſed eos quoque debere, hunc ipſum dolorem, publica exomolegeſi teſtari.

Digitized by Google

Exomologeſis eſt, dum pluribus dicamus quid ſit exomologeſis, pluribúſque probemus, ſatis tum erit dicere per eam, confeſſionem auricularem non intelligi, ſed actus quibus pœnitentes ceteris pœnitentiæ ſuæ fidem facerent.

Satisfactio, finis erat pœnitentiæ: confitebantur primum iniquitates ſuas, deinde pœnitentiam agebant, vt Deum ſcilicet propitiarent eique ſatisfacerent. ait igitur ſatisfactionem confeſſione diſponi, quia prima eſt linea & gradus ſatisfactionis.

Itaque exomologeſis. Si rem accuratè perſpicias habes quid ſit exomologeſis.

Conuerſationem, viuendi genus de corona militis, de præſcript.

De ipſo quoque. Hæc omnia in pœnitentia ſubibant.

Presbyteris aduolui. En quomodo ante ſacerdotes voluerentur, vt peccata ſua confiterentur & eorum veniam obtinerent, aiunt interpretes, cum Baronio, Bellarmino, Maldonato in controuerſiis. Ego etſi hunc ritum antiquiſſimum eſſe fatear, ex his tamen probari nequit, nam cùm pro foribus Templi ſtarent pœnitentes, prætereuntibus ſacerdotibus cæteriſque fidelibus, omnibus omnino dolentis animi ſignis pœnitentiam ſuam teſtabantur, lacrymis non parcebant, precibus inſiſtebant, voluebantur, & ſi quæ alia habet pœnitentia, quæ miſericordiam mouere poſſint, non omittebant, vt pacem recuperarent: quem ritum deſcribit Autor, cùm ait, *presbyteris aduolui*, quare nihil hæc ad confeſſionem auricularem.

Caris Dei adgeniculari. Ex manuſcriptis rectè reſtituit Pamelius *caris* pro *aris*, nam ex ritu illo quem modò diximus, primum antè ſacerdotes procumbebant, martyribus deinde adgeniculabantur, cæteris denique fratribus & viduis, vt ait Pacianus enixè ſupplicabant, vt à Deo & ab Eccleſia veniam pro ſe impetrarent. Quod autem per *caros* martyres intelligat perſuaſit D. Cypr. qui eos tum amicos, tum Epiſt. 5. lib. primi, caros Dei appellat, *ita contrà Deo chari ſunt*, & ad Demetrianum, *Deo charos domo priuas*, de vnitate Eccleſiæ. *Aut Deo charior non eſt.* Præterea ex iiſdem autoribus ſatis patet quanti

ſemper

ſemper in Eccleſia fecerint martyrium, etiam abſentium commendationem, quos veriſimile eſt à metallis aut exilio reduces, non minori auctoritate in eadem valuiſſe: De Pudi. *At tu & in martyras tuos hanc effundis poteſtatem*, pacem ſcilicet pœnitentibus concedendi, ad Martyr. *Quam quidam non habentes, à martyribus in carcere exorare conſueuerunt*. Cæterùm vt rem faciliùs intelligas, animaduertendum eſt, pœnitentes non ſolùm hæc & ſimilia egiſſe, vt cum Deo in gratiam redirent; verùm etiam vt ſacerdotes, & cæteros fratres æquiores haberent, in quorum arbitrio & iudicio nonnunquam erat, eos in Eccleſiam reuocare.

Legationes deprecationis, rogare cæteros fratres, vt à Chriſto atque ab Eccleſia veniam & pacem pro ſe exorarent per legationes, eiuſmodi officium, non preces intellige.

De periculi timore, quod ſubijſti peccando.

Non dicam fruſtretur, ſed expungat, pœnam non tantùm minuat aut differat; ſed eam penitus tollat & deleat. Verùm variæ & incertæ huiuſce verbi *expungo*, acceptiones in Autore noſtro inueniuntur.

CAPVT X.

H*Oc opus*, ea omnia quæ paulò anteà enumerauit: & ſi quæ alia ſecunda & publica pœnitentia, fieri amaret.

Vt publicationem ſui. Quia ſcilicet poſt Baptiſmũ, publica ſemper pœnitentia in grauiora delicta animaduertebant, eaque ob hanc cauſam palàm nonnunquam exponebantur.

Ceterùm non aſſentior interpretibus neque Card. Baronio anno Chriſti 56. qui hæc de auriculari Confeſſione, non de publico pœnitentiæ actu intelligi volunt: toto enim hoc capite de publica peccatorum confeſſione & de publica pœnitentia agitur.

Cum detrimento eius, omnem poſthabendo pudorem.

Quam palàm abſolui. Palàm quidem & frequente Eccleſia abſoluebantur, verùm ſatis mihi non conſtat, hæc de Sacramentali abſolutione accipiẽda eſſe, quin potiùs conijcere, de vltima exomologeſi, quæ permoleſta & plena pudoris videbatur, illud *palàm abſolui*, dictum eſſe; nam quid poſſet ineſſe pudoris aut verecundiæ in illa abſolutione? at verò in vltima exomologeſi multa

Digitized by Google

occurrebant quæ ſine pudore non poterant ferri. Primum è limine in mediam Eccleſiam adducebantur ab Epiſcopo, iſtic ad eius pedes proſtrati veniam peccatorum ſuorum deprecabantur, precibus & lachrymis totius fraternitatis gratiam & miſericordiam ſollicitabant, tandem in eodem ſtatu permanentes, id eſt humi iacentes, à peccatis liberabantur, hæc omnia multis ita permoleſta videbantur, vt mallent in culpa remanere, quàm hoc modo, ab ea liberari.

Miſerum eſt ſic ad exomologeſim peruenire. Ex eorum ſententia loquitur qui pudore deterriti vltimam illam exomologeſim (atque adeo primam, qua exacta ad vltimam perueniebatur) fugiebant. Miſerum autem illis videbatur poſt longam & duram pœnitentiam, poſtquam etiam omnes ærumnas & miſerias primæ exomologeſeos perpeſſi eſſent, aliam adhuc ſibi ſubeundam eſſe, quæ non minùs moleſta eſſet, quàm prima.

Malo enim ad miſeriam peruenitur, malo: id eſt prima illa exomologeſi: *ad miſeriam*, ad ſecundam exomologeſim, quæ fiebat paulò antequàm abſoluerentur. Vtramque enim malum & miſeriam appellat ex eorum ſententia: propterea quòd in prima per multos annos perpetuis lachrymis, ieiunijs & orationibus ſeſe conficerẽt: in ſecunda verò eos puderet, cùm ducerentur à limine Eccleſiæ, omnium oculos ſuſtinere, & eorum miſericordiam implorare.

CAPVT XI.

EXtra lætitiam. Non licebat pœnitentibus vllo delectationis genere, ne quidem balneis, ſeſe oblectare.

Hortulani maritimíve ſeceſſus. Imperatores vt beatiùs viuerent in eiuſmodi loca ſecedebant.

Qui ambitu obeunt, qui ambiunt magiſtratus.

Nullis conuiuijs celebres. Imò legimus ad colligendam populi gratiam publica olim inſtituiſſe conuiuia: ſed de priuatis locus intelligendus.

CAPVT XII.

IVdicij, pœnæ.

Oculare, id eſt oculos reddere. Hoc ipſo vſus eſt verbo de Pudi. & in Apolo. quod mihi pro argumento eſt hunc Tertulliani eſſe libellum.

Digitized by Google

NOTAE IN LIBELLVM DE ORATIONE.

A*ppellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt*, Marcianus l. 5. ff. ad leg. Pomp. de parricid. *Patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.*

Ne mater quidem Eccleſ. Eccleſiam eam intelligit, quam in patre, filio & ſpiritu ſancto pluribus locis conſtitutam eſſe adfirmat, vt de Bapt. c. 6. vbi cùm dixiſſet, fidem obſignari in patre, filio & ſpiritu ſancto, mox ait, *Neceſſariò adijcitur Eccleſiæ mentio: quoniam vbi tres, id eſt pater, filius & ſpiritus ſanctus, ibi Eccleſia quæ trium corpus eſt*: De Pudicit. c. 21. *Nam & ipſa Eccleſia propriè & principaliter ipſe eſt ſpiritus*: & paulo pòſt, *illam Eccleſiam congregat quam Dominus in tribus poſuit.* Quibus locis exiſtimat Tertull. Eccleſiam eſſe in patre, filio & ſpiritu ſancto: ſed præcipuè in ſpiritu ſancto. Vnde concludit hoc loco mentionem fieri ſpiritus & Eccleſiæ in oratione Dominica, quando dicimus *Pater noſter*: qui enim inuocat Patrem, filij quoque & matris Eccleſiæ ſiue Spiritus ſancti numen implorare videtur; atque ita vno nomine, Patris videlicet, tres perſonæ recenſentur.

Et ad noſtram ſuſpenſionem, id eſt ad Chriſtianos duntaxat; atque eorum ſtatum & conditionem, non autem ad Iudæos aut Gentiles: *ſuſpendere* enim apud Tertull. eſt diſtinguere, ſeparare, limitare, vt paulò antè *ſuſpenſa enunciatione* id eſt reſtricta. Hæc tamen ab Autore dicta putabam; quòd exiſtimaret cum cæteris illius æui, fato functos, non priùs debere frui beatitudine quàm ſæculum finitum eſſet, atque adeo moram illam ſuſpenſionem noſtram vocare.

Vt poſt cæleſtia, Inter hæc cœleſtia Euchariſtiam annumerat, quod non feciſſet, ni verum corpus Chriſti in ea adoraſſet. Nam ait, *Quanquam panem noſtrum quotidianum da nobis hodie ſpiritualiter potiùs intelligamus*, id eſt de Euchariſtia.

Digitized by Google

Tum quòd corpus eius in pane cenſetur. Quiſquis diligenter hæc verba attenderit, nunquam Autorem in aduerſariorum ſententiam tranſijſſe dicturus eſt. Trifariam enim hæc Chriſti verba, *Panem noſtrũ quotidianum*, explicat. Primùm de pane communi, deinde de Chriſto qui credẽtium verus eſt panis: Poſtremò de corpore Chriſti quod eſt in Euchariſtia. Vbi animaduertendum eſt eum diſcrimen conſtituere inter Ieſum quatenus fideles & credentes nutrit, & eundem ipſum Ieſum in Euchariſtia exiſtentem. Nam vbi expoſuit, quamobrem Ieſus panis ſit eorum, qui ipſum confitentur, atque in eum credunt, alium rurſus affert modum, quo ipſemet Chriſtus eſt panis, *Tum quòd corpus eius in pane cenſetur*. Itaque duos illos panes, duplicemque alendi modum, hoc loco diſtinguit: quod facere nihil fuit neceſſe, ſi Chriſtus ſola fide in Euchariſtia ſumitur, quemadmodum ſola fide ſumitur ab ijs qui in eum, eiuſque Euangelium credunt. Præterea loquitur vt plurimùm verbis Iuriſconſultorum proprijs, apud quos *cenſetur* idem ſonat, quod, *eſt*. Denique hac oratione colligit, nos perpetuitatem poſtulare in Chriſto & indiuiduitatem à corpore eius, quorum primum ad manducationem Chriſti per fidem refertur, poſtremum verò, *indiuiduitatem à corpore eius*, ad Euchariſtiam: atq; eo vſus eſt verbo, vt oſtenderet Euchariſtia nos magis propiuſque vniri cum Chriſto, quàm fide; & ſi quis obſeruet huiuſce vocis acceptionem, in libris de patientia, de præſcription. ad Vxorem, alijſque locis reperiet certè intimam & corpoream coniunctionem, eam ſemper ſignificare.

Ieiunantes habita oratione. Quamobrẽ oſcula negarent ieiunantes non inuenio: quod ad Autores antiquorumque ritus intelligendos plurimùm conferret: nam etſi conſuetudinem hanc improbet Tertull. aliqua tamen veriſimili ratione conſtabat.

Quem Domino officium facientem impedit pax? Hæc ab his, *quæ oratio*, diſiungi, & peculiari interrogationis nota affici debere exiſtimo.

Publica ieiunij religio. Diebus publicis ieiunij oſcula denegabãt.

De ſtationum diebus. Quid ſit ſtatio, alibi dicemus: nunc ſatis erit, ſi eam pro mora, quam in Eccleſia diebus Veneris & Mercurij, ieiunantes ac orantes ducerent, accipiendam eſſe ſcias, atque totum hunc locum ita concipiendum. Quidam putant ſtationum

diebus recedendum eſſe à ſtatione, & ab Eccleſia, poſtquã Chriſti corpus ſumpſerunt; verùm hoc tanto beneficio monemur magis, in Eccleſia remanere, & precibus intereſſe ſacrificiorũ, quàm de domuitione cogitare. Atque ſolemnior multo erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris.

Accepto corpore Domini. Qui ſtationem ieiunium interpretantur huiuſce loci ſententiam ita exponunt: Manibus accepto corpore Domini & non manducato, ſed reſeruato, & domum delato, vtrique ſatisfacies, & ieiunio tuo & religioni, qua, teneris precibus intereſſe ſacrificiorum. Aiuntque Tertull. caſtigare quorumdam ſcrupulum, qui ſumptione corporis Domini noſtri, ieiunium abrumpere ſe credebant. Verùm hæc ſatis congruere non videntur, paucis enim interiectis hæc eadem verba, *Accepto corpore Domini*, aliud prorſus ſignificare concedunt, hîc manibus ſumere, illic manducare: alioqui etiam ſequeretur autorem in eadem fuiſſe ſententia, atq; eum exiſtimaſſe ieiunium Euchariſtia ſolui poſſe; tamen hanc conſuetudinem manifeſtè improbat, & quiſquis tandem ſit horum ſenſus, contrarium omnino aſſerit, cùm ait, *Ergo deuotum Deo obſequium Euchariſtia reſoluit, an magis Deo obligat*. Deinde quis non videt ſenſum non ſtare vllo pacto nec cohærere? Nam ſi ſtatio ſumitur pro ieiunio, ſenſus talis eſt: Nonnulli putant non debere intereſſe precibus ſacrificiorum, quia ſtatim ſumpendum eſt ieiunium percepto corpore Domini. Sed quid vetabat intereſſe precibus ſacrificij, rupto iam aut non rumpendo ieiunio? Rurſus ſi ea tum Autori mens fuiſſet, dixiſſetne ſoluendum eſſe ieiunium accepto corpore Domini? quis enim diceret ſoluendum eſſe ieiunium ſumptis cibis? Enimuero *ſoluenda* denotat aliquid agendum poſt ſumptum corpus Domini, non quòd eodem tẽpore fieret, & eo inſtanti quo corpus Domini ſumeretur, cuiuſmodi eſſet ieiunij ſolutio. In noſtra verò explicatione nihil perplexum, nihilve implicitum. Quidam arbitrantur non oportere intereſſe precibus ſacrificij, quia ſoluenda eſt ſtatio, & ab Eccleſia diſcedendum ſumpto corpore Domini noſtri: quibus opponit Tertull. ſolemniorem longè ſtationem fore, ſi ad aram ſteterint, & precibus interſint ſacrificij, quia ſcilicet preces ſacrificij communione data peragebantur. Cæterùm quòd opponit inter ſe ſtare ad aram, & ſoluere ſtationem, ſatis declarat nihil aliud eſſe ſoluere

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

ſtationem, quàm recedere & redire ab Eccleſia. Sed ſupereſt adhuc aliquid vitij in hiſce verbis, *Accepto corpore Domini & reſeruato*, ni ea cum prioribus componas & vnam eandemque ſentẽtiam conficiant interrogationiſque notam poſt illud verbum *reſeruato?* colloces, atq; integrum locum ita concipias. *Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad arã Dei ſteteris accepto corpore Domini & reſeruato?* Difficile porrò eſt, diuinare cur ſuperſtitioſi crederent exeundum eſſe ex Eccleſijs, & ſoluendas ſtationes accepto corpore Domini, niſi fortè quia ſtatio, luctus erat Chriſtianorum & actio plena afflictionis & mœroris, quomodo ipſe appellat *preſſuram*: quam illis æquum non videbatur continuare ſumpto corpore Domini noſtri, quòd eſſet noſtræ ſalutis pignus, noſtræ reſurrectionis fiducia, & omnis Chriſtianorum lætitiæ quaſi cumulus, quodque indignum cenſeretur poſt ſuſceptum Deum & creatorem afflictos eſſe & videri. Locum huius coniecturæ facit, quòd circa finem huius libri de oratione dicit eiuſmodi, *Vtique nulla lætitia ſiue triſtitia obueniens caſtris ſtationes militum reſcindit.* Perinde ac ſi diceret: Quemadmodum milites non ſoluunt ſtationes ſuas, ob munera quæ acceperunt, vel gaudia quæ caſtris obtigerunt; ita Chriſtianis nullum tantum munus eſt, quo accepto, nulla tanta lætitia, quâ obueniente, ſoluere debeant ſtationes & ab Eccleſia recedere. De baptiſmo ait neceſſitatem gaudij impedire quo minus baptizati ieiunent, quanto maiore gaudio accepta Euchariſtia ſibi frui videbantur. D. Cyrillus Cath. 5. de eadem conſuetudine conqueri videtur, monetq; ab Eccleſia non recedendum eſſe, accepta Euchariſtia. *Poſtremo expectata oratione Deo gratias age.*

Digitized by Google

NOTAE IN LIBRVM AD VXOREM. 2.

D*Iuortio*. Matrimonium alia ſorte quã fato finiri & ſolui poſſe, videtur inſinuare: quidquid huius ſit, ex cauſa adulterij repudium licitum eſſe docuit, cap. 9.10.& 11. lib. de Monogamia, hoc lib. cap. 34. lib. 4. aduerſus Marc. Eorum nõ diſplicet ſententia qui aiunt hæc ad verba eas ſpectare quæ ob religionem à Gentili repudiatæ eſſent.

Quod verò difficile eſt. Hunc locum ita exponendum cenſeo: quod enim difficile eſt (non nubere ſcilicet) & quod multas habet annexas difficultates, maximum hoc eſt quod de reliqua vita conſilium capere poſſis, & quod diuina ope indiget. quapropter id tibi ſuperiori libro non ſuaſiſſem, niſi ad id faciendum officij ratio & neceſſitas me impuliſſet.

Non ſine neceſſitatibus, quod premitur neceſſitatibus matrimonij; coniugum enim officia & debitum, neceſſitatem vocat hoc libro, *Cum honore ipſius neceſſitatis*: de Pudi. c. 16. *qui totam carnis neceſſitatem.*

CAPVT II.

C*Onſiliariorum prænaricationem*. Conſiliarios intellige Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, viduas quibus incõſultis, de nuptiis non cogitabant: nuptura enim (vt in obſeruationibus noſtris vberius dicemus) ſacerdotes conueniebat & viduas, vt eos conſuleret atq; eis mariti conditiones, genus & ſectam exponeret.

Sanctis, fidelibus: Sancti potiſſimum hi ſunt qui Confirmationem ſuſceperunt: vt ex Canone 77. Concilij Eliberini licet colligere.

Niſi vt de ſuo inquinet, niſi vt cæteros Chriſtianos inficiat: religio enim erat cum peccatore cibum ſumere, ne cæteros contagione afflaret.

Digitized by Google

CAPVT III.

A*B omni communit. fraternitatis.* Vult dicere eas excommunicandas eſſe: iura enim pacis, fraternitatis, communionis, communicationis, eadem propemodú in Autore ſignificant: fratres enim dicebantur Chriſtiani, non ſolùm quòd ſe maximè diligerent, ſed quòd ab eadem matre alerentur.

Tabulas nuptiales. Pamelium errare monuit vir doctus Merillius: nam ſyngraphæ ſunt nomina debitorum. At tabulæ nuptiales conficiebantur nuptiarum cauſa: ideo autem ait Tertull. ſi Chriſtiana infideli nubat non eſſe matrimonium: neque de eo tabulas nuptiales apud Chriſti tribunal proferri poſſe: quia vt elegãter ait Papinianus in l. donatio. 31. ff. de donationibus. *Tabulas non facere matrimonium, ſi ſunt impares nuptiæ.*

Carnis iniuria, præter iniuriam qua carnem Chriſti afficit.

Duobus dominis ſeruire: Nam maritus eſt dominus: ita Nonius Marcellus interpretatur illud Virgilij 4. Æneid. *Et dominum Aeneam in regna recepit.* D. Cypr. aut Autor de bono pudi. *Virginitas quid aliud eſt quàm ſoluta libertas: maritum non habet dominum.* D. Aug. conf. lib. 9. cap. 9.

Extructionem. Structio, ſtruere propriè de capillis intelligitur de habitu muliebri, de cultu fœminarum.

CAPVT IIII.

V*T ſi ſtatio facienda.* De ſtatione alius erit dicendi locus; ſatis interim erit, ſi ex hoc loco moneamus ieiunium duntaxat eam non eſſe, cùm, ire ad balneas, ei opponatur.

De die condicat ad balneas, moneat ſummo mane & diluculò lauandum eſſe, qua hora eundum erat ad ſtationes. Nam Gentiles diluculò balneis vtebantur: Chriſtianis verò religio erat corpus curare, aut quicquam priùs agere quã preces aut ſacra peregiſſent: Autor in Apolo. *Non lauor diluculò, ſed tamen honeſta hora.*

Si procedendum. Num illi homines ridiculi ſunt, qui ex hoc loco proceſſionum ritus deduci fabulantur? quibus ſcilicet vix liceret in Eccleſiam conuenire, eos volunt cæremonias ſuas vicatim & publicè

publicè exercuiſſe: quot Tēpla, quot ædes ſacras, Carthagine conſtituent, ad ea munera & ritus obeundos? vna tantùm illis tēporibus erat Eccleſia, & domus ſacra, & ita certè humilis & parum ornata, vt à priuatis facilè non dignoſceretur: Quapropter *procedere*, nihil aliud apud Autorem ſignificat, quàm domo exire, alicuius officij exercendi cauſa: puta vt ægrotos aut indigentes viſitarent: neque res ita ambigua eſt vt maiori indigeat probatione, quàm quæ ex ipſius verbis deſumitur, vbi enim dixit, *Si procedendum erit*, mox addit vt explicet, *Quis enim ſinat coniugem ſuam viſitandorum fratrum gratia vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire?* Igitur fratres viſitare, eſt procedere: de cultu fœmi. c. XI. eandem procedendi rationem affert. *Vobis autem nulla procedendi cauſa non tetrica*: Quia ſcilicet *imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus*. Vbi *tetrica* ſignificat non auſtera, triſtis, aut aſpera: ſed grauis & honeſta & non impudica.

Et quidem pauperiora; quia ſcilicet in huiuſmodi tuguriolis, & in locis remotis, lenocinia exercerentur: vnde ait eam ſuſpectam fore ſi pauperum domos frequenter.

Quis nocturnis conuocatio. Si in Eccleſiam conuenire non potuerant interdiu, nocte plebem conuocabant: Autor de fuga in Perſ. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem.*

Solemnibus Paſchæ. D. Cyp. epi. 23. lib. 3. eoſdem dies ſanctæ & ſolemnis ſeptimanæ, vocat *Paſchæ prima ſolemnia*, quibus olim noctes dieſque precibus & ieiunijs peruigiles in Eccleſia conſumebant.

Conuiuium Dominicum. Graue modeſtiæ noſtræ erroris inſimulare Caſaubonum & cæteros qui hunc locum de Euchariſtia interpretantur. Sed muneris huiuſce exigui neceſſitas inuidiam facti deprecabitur. De conuiuio eſt ſermo quod infame eſſet apud Gentiles, & quòd eiuſmodi conuiuæ omni turpitudine & flagitio polluere crederentur, quod cùm aliud nullum Chriſtianos celebraſſe legimus quod inceſtum haberetur, quàm Agapas, de ijs accipienda hæc eſſe quis negabit? Enimuero quæ in B. Iuſtino aduerſus Iudæos & Apologia 2. in Tertull. Apolog. & ad Scapulā, de cultu fœmin. in Minutio Felice, apud Euſebium hiſt. lib. 4. c. 1. & 4. de cœnis & infanticidio obijciuntur Chriſtianis, ad Agapas ea ſunt referenda, in quibus neque cōſecrabatur, neque ſume-

Rhe. Pamel. Iuni. hoc loco Caſau. exer. 6. pa. 512. Phil. Mornaus c. 6. pag. 60. de Euchar.

Digitized by Google

batur Euchariſtia. Præterea ab ijſdem authoribus & Plinio ſecundo Euchariſtiæ ſacra cùm ſatis accuratè deſcribantur, tamen ſuper libidine & inceſtu ea ſuſpecta non legimus. Ait igitur Tertull. Gentilem non paſſurum vt Chriſtiana eiuſmodi cœnis accumbat, quòd nimirùm inceſtæ & infames eæ haberentur, lib. de cultu fœmin. *Infidelis contrà etiam ſuſpectam habet, vel propter illam ſceleratam in nos opinionem Gentilium.*

Oſculanda marty. vincula. Non ſolùm martyres, ſed eorum etiam vincula amplexabantur: aut ſi id neget Iunius, dicat quæſo quid opponat ſexcentis locis qui à Pamelio producũtur. Cæterũ reptabant etiam in carcerem vt alimenta martyribus præberent pacemque repoſcerent.

Iam verò, Multo minus.

Ad oſculum conuenire. Oſculo ſibi mutuam pacem Chriſtiani impartiebantur: verùm non ſolùm in Eccleſia & peractis ſacris, ſed etiam domi, vt colligitur de Oratione. *Potes domi differre pacem.* Cui officio negat Gentilem, paſſurum vt Chriſtiana ſatisfaciat.

Aquam pedibus ſanctorum, pedibus fidelium: officij genus aut pietatis quod adhuc inter pios & religioſos viros eſt in conſuetudine: ſed non ſolùm aquam olim pedibus, verùm ante pedes nonnunquam etiam voluebantur, & ſoccos & calceamenta ſanctorum pedibus detrahebant. Euſ. lib. 13. c. 15. *Calceamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam niſi à religioſis reſolui conſueuerant.* Vt humilitatem ſcilicet teſtarentur: hinc pœnitentes Presbyteris aduoluebantur & fratrum caligas volutando detergebant.

Rhe. Pam. Iun. in hũc locum Caſaub. exer. 16. pag. 568.

De cibo, de poculo inuadere, deſiderare in m. h. Miror quamobrem omnes hæc ad Euchariſtiam pertinere ſibi perſuadent: cùm ſi quando eorum rationem atque Autoris mentem ſatis exploratam habeant, in ſententia non ſint manſuri. Recenſet enim Chriſtianæ mulieris priuata officia, & ea quæ ex diſciplina aut conſuetudine præſtari ſolebant, quare ait, ſi quempiam Chriſtianorum hoſpitem habuerit, Gentilem maritum æquo animo non laturum, vt ei cibum & pocula cæteraque neceſſaria apponat: quid quæſo ad Euchariſtiam? An non commoda magis erit hæc interpretatio? Præterea quis vnquã docuit mulieres domi Euchariſtiã miniſtraſſe, quã alibi ait non niſi de Præſidẽtium manu ſumendam?

Digitized by Google

at inuadere de cibo & poculo eſt inuitare fratres ad cibos ſumēdos & non petentibus vltrò offerre. Denique hæc myſteria Gentilibus nudanda & aperienda non erant, cùm tanto ſtudio tantaque diligentia cauebant ne Audientibus cognita eſſent. Adde hoc ipſo loco Tertullianum nolle, vt conuerſationis inſignia & officia cognita ſint Paganis, multo minùs Euchariſtiæ myſteria: non negarim tamen cum Caſaubono Patres *deſiderata & deſiderare*, in rebus Euchariſtiæ alibi poſuiſſe.

In mente habere, de his officijs ſedulò cogitare, cùm alijs rebus te occupatam velit.

Quod in aliena domo hoſpitium? D. Cyp. de Eleem. *Hoſpes fui & non adduxiſtis*: ita hoſpitales erant antiquitus, vt cùm quiſpiam adueniret, certarent quis eum domum deduceret.

Proma. Nil mutandum: nuces & nugæ Iunio reddendæ.

CAPVT V.

PEr noctem ſurgis. Singulis noctibus ſurgebant vt Deo domi ſupplicarent, in Apolo. *Ita ſaturantur vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe.*

Quid ſecretò ante omnem. Domum Euchariſtiam reportabant, vt nocte eam adorarent, & ſumerent: quapropter Iunius de antelucanis cœtibus hæc accipiens, non minùs fallitur, quàm cùm ſequentia ita explicat, *Non illum credit eſſe qui dicitur*: *nempè*, inquit ille, *infamatum panem credit.* Nam Agapas iuxtà & Euchariſtiæ ſacra accipit, & quæ de Agapis impia & turpia obijciebantur, ad Euchariſtiam imperitè refert.

Rationem ſimpliciter, id eſt non altius ſcilicet hæc omnia ſibi aperiri volet, contentus te ex religione tua hæc præſtare.

Sine ſuſpicione panis an veneni? Qua de cauſa Euchariſtiam ſuſpicaretur eſſe venenum, aut cur timeret vxorem Chriſtianam venenum velle ſumere, non video: neque quicquam magis exploratum habeo, quàm ſi per venenum, pocula amatoria intellexerit, quæ venena dicuntur. Ouid. *Theſſalico languent deuota veneno.* Idem, *Miſtaq; cum magicis merſa venena ſonis.* Aut ſi locus eſt coniecturæ, horum explicationem ex lib. de Pudi. peterem, vbi ait cap. 5. magnam eſſe adulteris conſuetudinem cum magis & veneficis:

Digitized by Google

dixerat enim eam ſuſpectam adulterij fore, mox addit magiæ & veneni quibus adulteria perficiuntur.

Quarum arcana in p. Dum eiuſmodi mulieres conuicia mariti patienter tolerant: de earum myſterijs quæ Gentili ex conſuetudine nota ſunt, tantiſper ſiletur. At ſi conquerantur, maritus Prætori refert eas eſſe Chriſtianas & ita periculis, quæ ſectæ impendent obijciuntur: de hac re exemplum habes apud Iuſtinum & Euſebium.

Quarum dotes ob non. Gentilis quòd vxorem Chriſtianam non poſtulet, & accuſet, in huiuſce beneficij & ſilentij præmium & remunerationem, dotem trahet, & eam omnem impunè dilapidabit, quam repetere aut maritum de ea re vxor compellare non audebit, quòd eſſent ſcilicet Chriſtianis Iudices infenſiſſimi.

Arbitrum ſpicula. Carnificem potiùs quàm Iudicem: Arbitrum autem dixit, more iuriſconſultorum qui Arbitros eos vocant non Iudices, qui de iudicio reddendæ dotis cognoſcunt & iudicant quod æquius meliuſque eſt, Briſſonius in formulis.

CAPVT VI.

I*Nter illos.* Domi ſcilicet thura Dijs laribus adolebant.

Solemnibus Regum. Cæſares aliquando Imperatores, nonnunquam etiam Reges appellat, ſed hoc præcipuè nomine cùm agit cum Chriſtianis de ſpect. capi. 30. & 6. & aduerſus Gnoſt. D. quoque Cypri. ſcribens Demetriano eoſdem Reges appellat.

Et miniſtrabit nonnunquam. In Agapis, fidelibus miniſtrabant mulieres.

In ſodalitijs, ſæpè in popinis. Turpius erat in popinas diuertere, quàm cum ſodalibus epulas agere: ideo ait, *ſæpè in popinis.* Popinæ enim omnibus vel infimo cuique patebant: ſodalitia autem habebantur inter amicos, vtrumque tamen interdictum: D. Cypr. ep. 4. lib. 1. inter grauia Martialis crimina hoc vnum annumerat, Gentilium cum frequentaſſe conuiuia.

De cuius manu de. de. c. p. partici. Rurſus certamen nobis cum eis ineundũ, qui de Euchariſtia hæc interpretãtur: hac vna leui admodũ coniectura, quòd alibi dicat eã eſſe de manu Præſidis accipiendam, quaſi hoc loco id ipſum tangat, & ad eundem ritum alludat.

Interpretes & P. Mornæus lib. 1. de Euchar.

Digitized by Google

Mihi verò cum Euchariſtia hæc conuenire non videntur. Primú de conuiuijs Paganorum illic eſt mentio, quæ cum cœnis Chriſtianorum priuatis aut publicis, commodius & aptiùs comparari quis non videt? Deinde hæc, *Audiat ſanè, audiat aliquid Dei cœna*, nulla ratione ad ſacra Euchariſtiæ pertinent, in quibus mulieribus loqui non liceret, vt dicemus pluribus. Denique ea omnia quæ recenſet, in Agapis & cœnis priuatis reperiuntur. Quapropter de ipſis Paganorum conuiuijs locus eſt explicandus: quos ſolitos legimus ſibi inuicem per libidinem propinaſſe & paululùm deguſtata pocula ab amante deſideraſſe, vti in Dione legimus de Commodo: verſus Martialis idem indicant,

Qui nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis hercle, non ſuperbè.

Ouid. lib.1.eleg.4. Ad quem morem haud dubiè reſpexit Tertull. cùm ait *de cuius manu deſiderabis*? de cuius poculo participabis? quaſi hæc laſciuiæ commercia & irritamenta eiuſmodi mulieribus obijciat, eaſque interroget à quo ſibi maximè in his conuiuijs propinari volent, à marito, an ab adultero: & quamuis ex ſequentibus alludat ad priuatas aut publicas cœnas Chriſtianorum, hæc tamē ipſa ſimpliciter, neque aliter atque vt turpia quædam obijciat, dicta eſſe videntur.

Quid maritus ſuus illi. Cùm diuerſæ eſſent ſectæ interrogat, quid cantabit marito: Nam quoties Chriſtiani ſiue domi, ſeu in Agapis cœnarent, fidem pſalmis paſcebant vt ait Tertull. D. Cyp. lib. 2. epiſ.2. *Nec ſit vel hora conuiuij gratiæ cæleſtis immunis: ſonet pſalmus ſobrium conuiuium*. Habes ex his, cur velim hæc magis ad cœnas priuatas aut publicas referri, quàm ad Euchariſtiā, in cuius ſacris tacerent mulieres & alternis non reſponderent marito, quod factum legimus in priuatis & publicis cœnis: vt inſinuat hoc libello his verbis, *Simul orant & alterutro ducentes*.

Audiat aliquid Dei cœna. De cœna hæc igitur accipienda ſunt, in qua ſeorſim ſingulæ quæque in medium compellabantur, vt de fide reſponderent: aut de ea cœna, in quâ de rebus fidei ſolæ diſſerere conſueuiſſent, quæ ſacris Euchariſtiæ adaptari nequeunt, quòd in eis ſilere iuberentur. At verò in Agapis, *prouocabantur in medium Deo canere*. Apolog. & in priuatis cœnis pſallebant vti diximus.

Digitized by Google

Quæ Dei mentio? Hæc & cætera pietatis munera non magis prætermittebantur in Agapis & priuatis cœnis, quàm in ſacris Euchariſtiæ. Nam oratione conuiuium incipiebant, & dirimebant in Apolo. *Non priùs diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur*: ibidem, *æquè oratio conuiuium dirimit*. Cætera quoque in eodem Autore non eſſet difficile probare.

Vbi diuina benedictio. Hæc omnia ad diuerſas Miſſæ partes, bonus Pamelius atque hanc benedictionem ad Conſecrationem Euchariſtiæ pertinere putat. Verùm de benedictione quam ſibi inuicem coniuges finitis precibus optabant locus accipiendus eſt. Nam cum eadem ipſa ſub finem libelli recenſet, vt oſtendat inter Chriſtianos coniuges ea omnia pietatis officia libera eſſe, & fœliciùs multo adimpleri, vocat hanc ipſam benedictionem mutam, quia ſcilicet eam proferre, & Gentili marito benedicere Chriſti nomine non auderet.

CAPVT VII.

IAm *habens ex parte*, non deerit illis Deus qui iuſſit eas cum Gentili permanere. Quid ad rem verba Geneſeos & Lucæ quæ afferuntur à Iunio?

Documentis dignationis, gratiæ & doni alicuius diuini: D. Cyp. eodem vtitur verbo.

Hoc ſigni erit vt ſolis. Ni cum Latinio deleas *vt ſolis*, non aliter hæc intelligenda videntur, quàm vti ſequitur: Hoc erit ſignum, quod malo hæ mulieres ſeſe inferunt, quòd ſolis petitoribus inter Ethnicos gratæ ſunt, vt ſolis eiuſmodi mulieribus illi ipſi petitores placent.

Petitoribus, procos inquiunt interpretes; ego verò quiduis aliud ſignificari magis putem. Nam quodpiam genus hominum infame denotare videtur, vt à Diabolo hæc matrimonia conciliata & compoſita ſuadeantur. At certè quid vetaret nuptias cũ Chriſtiano vel alio amatore & proco fieri? an Gladiatores intelligit? nam *petere* verbum eſt gladiatorium.

Qui tales non exhorreant. Infames omnes Chriſtianæ habebãtur apud Gentiles: erat enim vehemens opinio quæ per animos Gentilium peruaſerat, Chriſtianas poſt cœnas publicas & Agapas

Digitized by Google

extinctis luminibus, promiſcuæ libidini ſeruire.

A malo conciliatur, procuratur, componitur.

CAPVT VIII.

NOnne quique Domini. Senatuſconſulto Claudiano cautum non erat ne ſerui extraneis iungerentur, ſed iure ſuo Domini impedire poterant, non ſolum ne extraneis, ſed ne omnino contubernia inirent. Apud Plautum,

Sed vtrùm nunc tu cælibem eſſe te mauis liberum,
An maritum ſeruum ætatem degere & gnatos tuos.
Opta hæc tua eſt, vtram harum vis conditionem accipe.

Tantum non poterant patroni libertos ſeu manumiſſos iureiurando adigere ne nuberent l. 6. ff. de iure patronatus.

Sit illa ex æquo, nubat quantum volet diuiti & pauperem ſpernat, ex æquo forſan in cœlis non erit cum illo paupere.

Et in ſtatu perſeuerent. In quo ſtatu? fidei an communionis? Dixerat ſuprà eas arcendas eſſe ab omni communicatione fraternitatis ex Apoſtoli litteris: quod hoc loco repetere videtur, atque in legibus humanis ad ſeruitutem repetere licet eos qui extraneis nubunt, multo magis Chriſtianas coercendas eſſe, qui ethnicis iunguntur & à communione ablegandas.

Vnde niſi à Diabolo maritum petant. Moris erat. Epiſcopos, Presbyteros, Viduas conſulere atque ab ijſdem nubendi facultatem petere, ad quem alludere videtur.

Cinerarijs peregrinæ pro. Qui ſint cinerarij & cinifiones ſatis interpretes explicuerunt, ſed addidit peregrinæ proceritatis, quaſi exprobrãs eiuſmodi mulieribus quòd ditioribus nubere velint, vt habeant ſeruos quorum forma & proceritas grata & amabilis eſſe poſſit. Clemens Alexand. libro tertio Pædagogi cap. 4. *Et qui mulierum quidem lecticas in altum tollant & pertinaciter eas ferant, multi Galli ſunt.*

Cenſum ſuum. Originem nonnunquam apud Autorem, ſed hoc loco gratiam & fidei pignus ſignificat.

Inueſtis dotalibus. Dos eſt pecunia quam vxor affert marito, matrimonij nomine. Plautus in Aſina. *Argentum accepi dote, imperium vendidi.* Atque adeò dotalia ſunt ea quæ ad dotem mulieris pertinent, ita dotalis fundus qui ex dote emptus eſt, vel in quo dos aſſignatur: dotalia etiam dicuntur quæ in augmentum dotis ve-

Google

niunt. Autor tamen hoc loco & de monogamia pro mariti bonis, vel quæ ad maritum pertinent, accepiſſe videtur. Nam hæc ad vxorem referri nequeunt, cum ſenſus ſit Chriſtianum maritum pauperem non eſſe, ſiue ditiorem multò Ethnico marito, ita D. Cyp. ep. 2. lib. 2. *Quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet.* Sed vult dicere, ni fallor, ei dotem vxoris credi poſſe cui Deus gratiam ſuam & ſpiritum ſuum conferre non dubitauit, atque eam mulierem dotem ſuam non amiſſuram quæ pauperi Chriſtiano iungitur, quamuis fundo careat, qui in reſtitutionem dotis vendi poſſit.

CAPVT IX.

Q*Vod Eccleſia conciliat.* Conciliare hoc loco ſignificat componere, ſuadere, probare, non benedicere. Prorſus & eodem modo accipiendum atque cùm ait, *à malo conciliatur, à Domino damnatur.* Eccleſiæ quoque nomine viduas, opinor, & ſacerdotes intelligit, in quibus alibi ait Eccleſiam conſiſtere, *non eccleſia numerus Epiſcoporum* lib. 1. ad Vxor. *tota Eccleſia candida de ſanctitate deſcribitur* (quas alias ſignificationes idem nomē accipiat dicemus pluribus.) Ait igitur primam fœlicis matrimonij eam eſſe conditionem, ſi à ſacerdotibus & viduis probetur & concilietur: nupturæ enim antequam fidem obſtringerent, ſacerdotes & viduas conſulebant ne imprudenter hæretico, Iudæo, aut cuipiam Apoſtatæ implicarentur. Cæterùm quid ex loco in clandeſtina matrimonia ſuſpicari poſſunt? quamobrem quæſo hodie in ſenatu, à Patronis hæc in eaſdem nuptias ſæpiſſimè torquentur? Nam clandeſtinæ ſunt, quæ ſine teſtibus tranſiguntur, de quibus nulla hîc mētio: ſed beatiores eas habet, quæ cum fideli eiuſdemque ſectæ fiunt marito.

Confirmat oblatio. Iunius has fœlicitates infœliciter exponit, & præſertim cùm hanc ſecundam ait eſſe, cùm ſe noui coniuges offerunt & ſiſtunt in Eccleſia, conſenſum ſuum teſtantes & communibus precibus Eccleſiæ Dei benedici poſtulantes: quæ omnia ita adornauit, vt huiuſce vim verbi *oblatio* eluderet: quaſi quiſquam vnquam ita locutus eſſet: ſed cùm tria potiſſimùm apud Patres oblationis nomine intelligantur, ea quæ in ſacerdotum victum offeruntur: ſacrificium Miſſæ: poſtremò quando in eiſdem Miſſæ

Digitized by Google

ſacris pro aliquo atque in eius commendationem Deo ſupplicarent. D. Cypr. *nomen eius offertur*: & de illa prima acceptione abs re eſſet inquirere. Supereſt vt horum aliqua conueniat: vnde facilè obtinebis, matrimonia olim in Eccleſia & Euchariſtiæ ſacris celebrata fuiſſe.

Obſignatum. Non ait obſignari matrimonium per Angelos, ſed obſignatum per eoſdem renunciari, vt ſit argumento priùs in Eccleſia idipſum obſignari: ſed quid ſit obſignare matrimoniũ, aut à quo tãdem, aut quomodo id fiebat, non parum intereſt enucleare, ſi paulo latiùs de huius ſignificatione velis inquirere. Res ea obſignari dicebatur, quæ clauderetur, notaretur, & perficeretur pia aliqua actione aut ritu religionis, ita orationem oſculo obſignari ait de Orati. *quod eſt ſignaculum orationis*: quia ſcilicet orationis & mutuæ charitatis coniunctio plus certè haberet ponderis & meriti: Euſeb. aut interpres lib. 5. cap. 3. confeſſionem ipſo martyrio obſignari ait. de Idolo. *Deos ipſos hoc nomine obſignat*. Verùm ſi ad ſacramenta transferatur, quantum ex huiuſce Autoris conſuetudine aſſequi potui, ſacerdotis benedictio, aut ſacramenti ratio & natura intelligitur: de pœnitentia agens *per pœnitentiæ ſubſignationem antè componeret*. Idem de Baptiſmo, *quam fides impetrat obſignata in patre, filio & ſpiritu ſancto*. ibidem, *quãto magis habemus per benedictionem eoſdẽ arbitros fidei*. ibidem, *manus imponitur per benedictionem*. de Idolo, *poſt fidem obſignatam*, id eſt, poſt baptiſmum eodem modo matrimonium habebis ſacerdotis benedictione obſignatum. de Monogamia, *aut iunctos in eadem carne coniunctionem ſignauit*.

Angeli renuntiant. Chriſtianorum ſacris Angelos intereſſe docet manifeſtè lib. de Orati. *Angelo adhuc orationis adſtante*: quare cùm dicat per Angelos matrimonium obſignatum renuntiari, in ijſdem ſacris id fieri & obſignari videtur inſinuare. *Nulla ſpiritus carniſve diſcretio*, magis continentes Chriſtiani & datæ fidei memores.

Simul volutantur. Cùm graue & aduerſum aliquid immineret, non ſolùm expanſis manibus, ſed prona etiam in terram facie Deo ſupplicabant.

Alterutro ducentes, alternis pſallentes.

In anguſtijs, vel perſecutionum vel ieiuniorum tempora intelligit.

Digitized by Google

In refrigerijs, diebus quibus Eccleſia exultabat & à ieiuniis & preſſuris vacabat.

Sacrificia ſine ſcrupulo. Patiantur me liberè dicere hæc ad ſacrificium Miſſæ non pertinere: ſed his intelligi ea quæ in Eccleſia ſiue in pauperum, ſiue in ſacerdotum alimenta offerebantur. Cùm enim vxores ſine conſenſu virorum bona non poſſint erogare, ait maritatam Chriſtiano, ſine ſcrupulo liberalem eſſe poſſe, quòd maritus id concedat.

Quotidiana diligentia. Diligentia eſt cùm nullum charitatis, officij, orationis, ieiunij, pietatis munus aut tempus prætermittitur, & ſingulis Chriſtianæ fidei officijs ſedulò & patienter vacatur: diligens enim dicebatur ea, quæ ſingula quæque Chriſtiani officia obiret, puta, pauperibus elargiri, ægrotantes viſitare, precibus intereſſe, prorſus nil pium aut humanum omittere aut reliquum facere: ita illud de fuga in Perſe. cap. 1. accipiendum, *in alterutra diligentia*, id eſt, omnia omnino ſanctitatis & ſobrietatis officia præſtare, amplecti & colere. Illis enim temporibus difficillimis noua ſemper oriebatur tempeſtas, quę eos de ſalute ſollicitos multò magis habebat quàm rebus pacatis: quæ aliter accepit Rhenanus atque author dixerat; eadem ratione ait de præſc. *diligentia attonita.*

Non trepida gratulatio, aduenienti fratri & hoſpiti.

Non muta benedictio. Benedicere nonnunquam eſt bonis verbis amicum ſalutare eique pacem & Chriſti gratiam optare: & certè conſuetudo erat & ritus apud priſcos illos hoc neceſſitudinis commercio mutuam charitatẽ & fraternitatem alere, vt idem ipſe autor docet lib. de teſtimonio animæ, *etiam quòd penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ & conuerſationis ſacramentum, benedicat te Deus.* & de idololatria. Itaque ait eam hoſpitem habituram, qui ne Gentili Chriſtianæ fidei ſuſpicionem det, mutam benedictionem dabit.

Et mutuò prouocant, quia alternis cantabant.

Digitized by Google

NOTAE IN LIBELLVM DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

CAPVT X.

ERo itaque nuſquam dum vbique conuenior. Hæc mihi fiducia eſt, vt contendam antiquam Rhenani lectionem reſtituendam eſſe. *Et erit itaque nuſquam dum vbique conuenio, quærite & inuenietis, & velint ſic nuſquam quaſi qui nunquam apprehenderint illud quod Chriſtus inſtituit* : ſenſumque hunc eſſe. Dum tot ac tantis aſſentior *quærendum eſſe*, quærendi finem non faciam, quod maximè optant hæretici, vti quæram ſemper cum eis quaſi nondum repererim quod Chriſtus inſtituit, quod quæri, quod credere neceſſe eſt.

CAPVT XV.

A*Liunde ſcilicet loqui poſſent de rebus fidei niſi ex litteris fidei.* Omnes hæc verba ita accipiunt, quaſi neget ex aliis litteris hæreticos fidem ſuam probare poſſe, quàm ex vtroque teſtamento: Mihi verò alia ſubijt cogitatio, nempe hæc eadem negatiuè poſita non eſſe, neque aliud quidquam his autorem intendere, quàm hæreticos nonnunquam etiam argumenta ex ſcripturis arceſſere, quamuis in probationem fidei ſuæ ea opinionis philoſophorum ſcripta ducere poſſint, ex quibus commenta ſua hauſerunt, vti probauit cap. 8. Ad confirmationem huiuſce explicationis quam tuemur referri poteſt, nulla hæc interrogationis nota ſcribi, quam qui ex diuerſo interpretantur coguntur affingere; fateri tamen cogor legentis animos longè faciliùs occupare contrariam, ſed ſi quis autoris in dicendo acumen & ſolertiam repetat & ſibi proponat, eam adulteram eſſe deprehendet.

Digitized by Google

Si hæ ſunt vires eorum. Senſus eſt an his armis vti poſſint, ſiue an ſcripturæ ſint arma eorum.

CAPVT XX.

S*Acramentum*. Plurimum intereſt obſeruare, non eum hanc vocem in Tertulliano referre intellectum, qui exprimitur ab interpretibus, pro regula enim fidei atque pro Chriſti mandatis & omnibus Chriſtianæ religionis ritibus & diſciplina, nō autem pro iuramento ponitur: itaque ait omnes Eccleſias inter ſe communicare, & eodem iure vti; quia ſcilicet in ea fide durarunt, quæ ab Apoſtolis eſt tradita, quamque fideliter conſeruatam poſteris tradiderunt.

CAP. XXII. & XXIIII.

EXplicanda ſunt etiam hæc verba Tertulliani, *tanti enim eſt illis non habere probationes eorum quæ defendunt, ne pariter admittantur traditiones eorum quæ mentiuntur*: quæ tam inuoluta ſunt, vt eorum ſententiam interpretes expiſcari non ſint. Ait igitur multa ab hæreticis doceri defendique, quæ tametſi veræ fidei conſentanea ſint, ad ea tamen ſtabilienda ſcripturæ authoritate & præſidio eos vti nolle, ne ſcilicet ex iiſdem ſcripturæ locis aut libellis eorum mendacia conuellantur & in lucem exponantur: ita fieri vt libellum quo acta Apoſtolorum continētur, maximo cum commodo recuſent, (illud enim, *tanti*, hoc iſtic ſignificat) quia hoc vno Eccleſiæ origo & formatio, quam fatentur, demōſtrari poteſt. Per *traductiones* enim caue deprauationes intelligas cum Rhenano, ſed *traductio* apud Tertullianum eſt illuſtratio, demonſtratio, detectio: nam apud eundem *traducere*, eſt in lucem exponere, aperire, detegere, ad Scapulā, *dæmones cottidie traducimus*: *traducta veritas* in lucem expoſita. De fuga in perſecutione cap. 12. *dum nolo traduci quod ſum confeſſus id eſſe quod nolo traduci*, hoc lib. cap. 33. *nam & ſic faciliùs traducentur*, & pluribus poſſem ſi res maiorem lucem deſideraret. Plerique etiam exiſtimant cum interpretibus, hiſce verbis, *doctrinam ſuperiorem*, ea intelligi debere quæ Apoſtoli ante Pauli aduentum prædicarunt. Verùm ſi animaduerterent eiuſmodi hæreticos non ſolùm Petri; verùm etiam Pauli cætero-

Digitized by Google

rumque Apoſtolorum doctrinam ſuſpectam habuiſſe, concederet mihi hæc de omni ea doctrina accipi debere qua dicebant, *pleniorem poſtea ſuperuenire poſſe*.

Capvt XXIX.

T*Ot virtutes, tot chariſmata*. Nulla hîc de virtute aut charitate mentio, ſed de poteſtate edendi miracula, & ſpiritus ſancti donis.

Capvt XXX.

B*Enedictus Eleutherus*. Etiam dum viuerēt benedicti vocabantur. De pudicitia, *Benedictus Papa concionaris*. Hæc quoque breuiter notanda videntur. *Pœnitentiam confeſſus*, id eſt, cùm publicè teſtatus eſſet ſe pœnitere, *ſi cæteros quoque quos perditioni erudiiſſet, Eccleſiæ reſtitueret*. Faciliùs in Eccleſiam hæretici quàm peccatores reuocabantur; verùm hæreſiarchæ non aliter pace donabantur quàm ſi cęteros quos corruperant eccleſiæ reddere niterentur. D. Cyp. ep. ad Antoni. de Trophymo. Euſebius lib. 6. ca. 35.

Capvt XXXII.

C*Enſus ſuos deferunt*, ait Tertullianus cap. 32. huiuſce libelli. Interpretes per *cenſus*, auctoritatem atque dignitatem intelligendam eſſe cenſent: ego verò originem ſignificari, vt ex variis locis & hiſce verbis, *omne genus ad originem ſuam cenſeatur*, licet colligere aduerſus Marcion. lib. 4. cap. 5. *quarum ſi cenſum requiras*. Similiter ab horum ſententia longè recedunt, *ſcilicet ob diuerſitatem Sacramenti*, cùm aiunt per ſacramentum intelligi iuramentum, quod fideles paulo antequam lauarentur in limine Eccleſiæ dicerent. Nam ſacramentum ſexcentis pœnè locis pro fide ac religione Chriſtiana accipitur, vti docuimus cap. 20.

Capvt XXXVI. & XXXVII.

N Iſi fallor, interpretes quotquot hæc verba notarunt, *vnde authoritas vobis quoque præſto eſt*, à vera & legitima eorum

Digitized by Google

ſententia aberrant: nam quid attinet afferre Romanæ eccleſiæ authoritatem & poteſtatem Africanis præſto ſemper eſſe? quid quęſo ad eius propoſitum & capitis argumentum dicere S. Pontificem poteſtate & autoritate plurimum in Africa valere? hoc enim multi ex hoc loco eruere conantur, ſed ex cap. huiuſce libri 20.& 32.& 5. lib. 4. aduerſus Mar. explicari debent, vbi ait omnes omnino Eccleſias ab aliquo Apoſtolorum inſtitutas eſſe, atque eorum aliquem auctorem habere, puta omnes Aſiæ eccleſias à D. Ioãne originem ſuam trahere: quòd multæ ſcilicet, aut ab eo, aut ab eis quas inſtituerat fidem & doctrinam hauſerint: quemadmodũ etiam Achaiæ à B. Paulo qui Corinthiorum poſuit Eccleſiam, à qua cæteræ eiuſdem prouinciæ propagatæ ſunt: eodem prorſus ſenſu ait hoc loco Africæ eccleſias à Romana inſtitutionem & originem habere, & præſto poſſe probare ſe à Romana genitas eſſe, ſiue omnem diſciplinam & fidem ſuam ab eccleſiæ Romanæ inſtitutis & præceptis profectam eſſe: de Teſtimonio animæ cap.5. *ex qua cenſetur authoritas animæ*, ex cuius inſtitutione id omne quod anima teſtatur procedit: hoc lib. cap. 30. *Cupio oſtendant mihi ex qua autoritate prodierunt*, id eſt, edant origines eccleſiarum ſuarum, doceant à quo tandem Apoſtolo aut Apoſtolica eccleſia inſtituti ſunt & fidem ſuam acceperunt: vt enim hoc libro Autor genitorem & parentem ſignificat, ita *autoritatem*, originem crederem ſignificare, lib. 4. aduerſus Marc. ca.5. *Denique vt cum autoribus*, id eſt, cum ijs qui ſunt propagatores ac genitores diſciplinæ Chriſtianæ, *habemus & Ioãnis alumnas Eccleſias, nam & ſi Apocalypſim eius Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Ioanne ſtabit authore*: vbi *author* ſignificat, genitor, ibidem *ſic & cæterarum generoſitas*, vides generoſitatem, auctoritatem, cenſum, pro origine vſurpari: ibidem *eadem auctoritas eccleſiarum*, id eſt, originem ab Apoſtolis. Accedit, ſi aliorum explicationem ſequaris, atque ex ea S. Pontificem in Africa poteſtate plurimum valuiſſe velis deducere, hanc acceptionem neque cum ſuperioribus, neque cum capitis ſenſu cohærere, aut vllo modo conuenire poſſe. Sed de papauere fici non erit otioſum aliquid dicere, illa enim infinita grana quæ in aperta & explicata ficu micare videntur, exiſtimarim ita eſſe appellata à Tertulliano, ſimilitudine eorum quæ in papauerum capitibus, eorumque alueis inueniuntur.

Digitized by Google

Ego ſum hæres Apoſtolorum ſicut cauerunt teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt ita teneo, ideo, qui fidei commiſſa relinquebant ab hæredibus præſtanda, eoſdem hæredes adiurabant, vt ea præſtarent: quod erat enixæ voluntatis, vt loquitur Papinianus in l. cum pater 77. §. filius. 23. ff. de legat. 2. Calliſtratus in l. 3. ff. de iure fiſci. *Vos rogo vt in eo quod à vobis petit fidem præſtetis, perque Deum vti faciatis rogo.* Eleganter certè vocat verbum Dei non ſcriptum fidei commiſſum. *Quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.* Conteſſerare, ni fallor, eſt teſſeram & ſymbolum conferre, atque conuenientem & ſimilem exponere. Ait igitur Africæ & Aſiæ eccleſias Apoſtolicas eſſe, quia ſi eorum teſſeras id eſt fidem & doctrinam conferas, reperies Africam eadem prorſus de fide ſentire atque Aſia, quæ ab Apoſtolo Ioanne firmata fuit. Africa enim cum D. Ioanne vtroque vtitur teſtamento, vnum Creatorem & vnam carnem Chriſti affirmat, quæ omnia Marcion negando & reſpuēdo, ſi teſſerā velit conferre, diſſimilem omnino & adulteram Apoſtolicarum eccleſiarum habere deprehēdetur. De Marcionis autem hæreſi potiſſimùm loquutus eſt, quia tunc tempeſtatis ea maximè vigebat in Africa.

CAPVT XL.

ET ſanctorum Chriſtianorum. Horum ſenſus ex his quæ in cap. 44. ſequuntur hauriendus eſt, *Dominicarum & Apoſtolicarum ſcripturarum*: Apoſtolorum epiſtolas & acta, vocat inſtrumenta ſanctorum Chriſtianorum.

CAPVT XLI.

PAriter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Res poſceret, vt de diuerſis catechumenorum ordinibus diſſereremus, ex quibus plurimùm lucis his accederet. Sed longius exeundum eſſet & in rem ſatis vulgatam, quæ legentium memoriam onerando explicationis gratiam corrumperet: permiſti non ſedebant in eccleſia catechumeni cum cæteris fidelibus, neque mulieres cum viris aut laici cum eccleſiaſticis, ſed vnicuique eorum locus ſeorſim erat aſſignatus, quem deſerere aut mutare nefas eſſet: incuſat igitur hæreticos quòd nulla ſexus, nullaue ſtatus aut diſciplinæ habita

ratione,promiſcuè ſtarent & ſederent in eccleſia.

Rurſus conqueritur quòd *pariter audiant* : tanta arte tantaque ſolertia animos catechumenorum tractabant,vt paulatim eos accreſcere & ad frugem venire ſinerent, neque enim, vbi primum veſtibulum religionis eſſent ingreſſi, cum cæteris catechumenis iam edoctis in eccleſiam recipiebantur, ſed domi atque inter priuatos parietes tenuioribus alebantur præceptis, quibus firmati cū cæteris tandem in eccleſia primis concionibus,quæ in gratiam catechumenorum habebantur intererant,quibus peractis rurſus omnes ijdem ipſi catechumeni ex templo diſcedere iubebantur, ne ſcilicet diuina myſteria rudium conſcientia polluerentur, atque etiam vti faciliùs & liberiùs initiati de myſteriis & ſacris conciones perciperent:hunc ordinem atque diſciplinam apud hæreticos minimè ſeruari monet Tertullianus.

Denique eiſdem vitio dat, quòd à ſuis ſacris atque orationibus quæ in ijſdem ſacris fierent (quæ prima erat apud orthodoxos cura)non arcerentur catechumeni; itaque ea tria *adire, audire, orare*, ad catechumenos potiſſimùm pertinere manifeſtum eſt.

CAPVT XLI.

S*Anctum omnibus*. Nec iſta quidem à nobis negligēter tranſibūtur, quibus Euchariſtiam exiſtimamus intelligi, de qua libro de ſpectaculis ita loquitur, cap. 25. *ex ore quo amen in ſanctum protuleris*, nec illa quoque quæ explicentur indigna ſunt,*ſimplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cuius penes nos curam & lenocinium vocant*. Aliter enim ſunt exponenda quàm ab interpretibus fieri ſentio : aiunt hæretici ſe bona fide & ſimpliciter agere cùm nullo diſcrimine nullave religione de fidei arcanis cum omnibus communicant, quòd ſcilicet Chriſtianæ diſciplinæ ſimplicitas & candor non ferat quemquam à myſteriis arceri, contrà verò circulatoriæ artis eſſe ea occulta atque incognita habere, & ſolis initiatis eadem aperire. Nam *ſimplex* & *ſimplicitas*,eo ſenſu ab autore vſurpantur, eoſque ſimplices vocat qui nihil reticent atque quæ ſciunt bona fide & ſimpliciter exponunt cap. 22. *Solent dicere non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus conuertunt omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe,*
in

Digitized by Google

in vtroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minùs inſtructos aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit, ex quibus ſatis ni fallor cõſtabit *parum ſimplex*, nihil aliud eſſe quàm aliquid reticere. Eodem planè ſenſu cap. 27. *Ne forte Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè*. D. Cypr. epi. 5. lib. 3. Quæ proxime ſequuntur, *pacem quoque paßim cum omnibus miſcent*, cũ omnibus hæreticis ſcilicet: quæ enim ſubiunguntur eò inclinare vidẽtur, *nihil enim intereſt illis licet diuerſa tractantibus dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent*.

Exorciſmos agere. Varia erant exorciſmorum genera apud antiquos, quę ſigillatim enarrare infra officium noſtrum eſſet, ſatis erit ſi moneamus, de ijs qui in baptiſmo adhibebantur autorem non loqui, cùm pòſt paulò dicat *forſitan & tingere* & baptiſandi autoritatem eas ſibi arrogare.

Nunc ſæculo obſtrictos. Eos intelligit qui præfectura aliqua inter Gentiles fungebantur: plerique enim Chriſtianorum dignitatem aliquam aut militiæ gradum adepti eorum honorum munia nihilominus obibant, quos Eccleſiæ honoribus ordinare æquum non videbatur.

Inconſtantes. Omnes Eccleſiaſtici, cuiuſcunque tandem eſſent ordinis, certis locis erant addicti, neque fiebant Epiſcopi aut ſacerdotes, honoris aut viuendi gratia, ſed pro loci aut populi neceſſitate & vſu ordinabantur: quibus vti non licebat aliò conuolare & ſedes mutare, ita neque ab officio ex eo loco, vbi ordinati & addicti erant, ſine cauſa amoueri poterant: ſed apud hæreticos pro arbitrio ſedes mutabant, & vt dicit, alius hodie epiſcopus, cras alius.

Nam & laicis ſacerdotalia munera. Sacerdotis nomine plerumque intelliguntur Epiſcopi, quare hoc loco vt paucis concludat hæreticos laicis eccleſiaſtica munia concedere, ait eos epiſcoporum munera laicis iniungere, neque vt ait Bonus Pamelius *per ſacerdotalia munera* ordinationes, ſed ordinatorum officium intelligit: quapropter vbi dixit eos temerè neophytos & ſæculo obſtrictos ordinare, mox vt rem grauiorem faciat, addit eos ètiam non ordinatis & laicis epiſcoporum munera impartiri.

CAPVT XLII.

D*E verbi adminiſtratione*. De verbi adminiſtratione, quæ in Eccleſijs fiebat, non exiſtimarim eum loqui, cùm ab ea gentiles arcerentur; verùm de ea quæ domi aut alibi familiariter habebatur, nihil enim Chriſtianis maiori erat curæ, quàm gentilibus, Chriſti præcepta ſenſim obtrudere vt eos ad fidē traherēt: hoc vocat Tertullianus *verbi adminiſtrationem*: & meritò ſanè, nam nunquam vtiliùs adminiſtratur, quàm cùm facimus quod dixit Chriſtus, *Ite, docete omnes gentes*.

Accuſationem eloqui non habent. Gentilium mores & religionem, vti modò diximus, ex Euangelij præceptis refutabant Chriſtiani, quare ait hæreticos non tam contra Ethnicos ex lege Chriſti, quàm aduerſus orthodoxos diſputare: de gentilium accuſatione qui hæc non accipiunt, cum Autore non videntur conſentire: nam vult Autor dicere Marcionitas non accuſare neque carpere Gentiles eorumque mores & idololatriam; ſed ſtudium ſuum & operam in eo collocare, vt orthodoxos ſubuertant.

Orba fide, fidei ſuæ Autorem non habent.

CAPVT XLIII.

Q*Værite & inuenietis*. Vſque adeo huiuſce præcepti meminerunt, vt in magiæ arcana penetrare nihil dubitent, vt vbique quærant ſi aliquid inuenire poſſint.

Doctrinæ index diſciplina. Diſciplina in hoc autore ſemper pro rebus fidei, Sacramentis, aut eorum vſu, ritibus & ceremoniis cæteriſque quæ ex præceptis Chriſti obſeruamus, nonnunquam etiam pro ipſamet fide, vſurpatur.

De his etiam verbis, *Diligentia attonita & cura ſollicita*, & cæteris dubitari video; ſed de diligentia pluribus diximus in notationibus ad librum 2. ad vxorem: ſupereſt vt de cæteris verbis notionem aliquam informemus.

Adlectio verò clericorum eſt ordinatio. Autor cap. 20. *Lateri ſuo adlegerat*. de exhortat. ad caſtit. *per quæ presbyteri adlegantur, quomodo erunt presbyteri qui de laicis adleguntur*? De Idolo cap. 7.

adleguntur in ordinem eccleſiaſticum. quam adlectionem exploratam ait eſſe debere: illis videlicet temporibus ita eccleſiam adminiſtrabant, vt nullus in clerum adſumeretur, quin totius plebis cõſenſu & probatione dignus eo honore cenſeretur, atque in ijs moribus inſtructus eſſet, vt eam ſuſtinere poſſet dignitatem: D. Cypr. de Aurelij ordinatione. *In ordinationibus clericis ſolemus antè nos conſulere & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Sed diſcrimen inter adlectionem & promotionem hoc loco poſitum eſſe puto, quòd illam pro prima clericorum ordinatione poſuerit, hanc verò cùm quis ad ampliorem ſtatum, Epiſcopatus puta, aut presbyteratus, euehitur. D. Cypr. de Numidico. *Et promouebitur quidem cùm Deus permiſerit ad ampliorem gradum religionis ſuæ.* quapropter promotionem laudat quæ eos eligit qui virtutibus aliquam ſibi pepererant exiſtimationem: Quod dicit, non niſi conſultò communicare oportere ad aliud quidpiam quàm ad Euchariſtiam, referendum puto. Nam non ſolùm Euchariſtia communicabant: ſed moribus, ſententiis & doctrina: certè legimus cùm noua alicubi orta eſſet cõtrouerſia, ad alias mox Eccleſias autores contentionis confugiſſe, vt incautos in ſuam ſi poſſent ſententiam traherent & eſſent cum quibus pacem ac communionem ſe habere iactarent: ob hanc cauſam non niſi magna cum deliberatione quempiam in ſocietatem & communionem Eccleſiarum venire patiebantur, hoc eſt quod ait de ſpectac. cap. 29. *Societates Eccleſiarum defende* & hoc libro cap. 32. *nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoque modo Apoſtolicis.*

Ait igitur diu multúmque Orthodoxos deliberare, quorum ſententiis ſubſcribere, quoſve in ſocietatem eiuſdem Eccleſiæ & corporis recipere debeant: contrà verò hæreticos nullo diſcrimine cum omnibus hæreticis pacem miſcere, denique addit clericos cultu & habitu quammaximè deuoto & humili apparere, atque epiſcopis audientes eſſe debere.

CAPVT XLIV.

AGnoſcunt ſuam potiùs culpam. Remouenda eſt illa particula *quàm*, & cum Rhenano legendum, *Agnoſcunt ſuam potiùs*

Digitized by Google

culpam & ſuorum qui nos non ante præſtruxerunt. Enimuero cùm eſt in verbis aliqua difficultas priùs intuendum eſt, quid autor ſibi propoſuerit dicere, quàm quidquam emendemus: toto hoc capite ludit Tertullianus, atque per iocum ait hæreticos de fide ſua, hanc ſcilicet rationem reddituros, quòd à Chriſto eiuſque Apoſtolis nihil eſſet de futuris hæreſibus prædictum, quorum ſi forte præceptis & monitis muniti atque inſtructi fuiſſent, ab eis nullo negotio receſſiſſent: itaque *ſuam* & *ſuorum* pro *eius*, ſolito loquendi more, poſuit.

Digitized by Google

NOTAE IN LIBRVM DE PVDICITIA.

PRÆFATIO.

PRIVSQVAM notas in hunc libellum expedio, pauca lectori quaſi ſubſidio præmittenda ſunt, quibus, in hoc ipſo libello, quod continetur, quodque tam manifeſtè docere videtur Tertullianus, pacem videlicet mortuis in omne tempus eſſe negandam, cuiuſmodi ſit, aut quomodo accipiendum, intelligere poſſit: atq; vt ipſa veritas tot controuerſiis implicata, tot ac tantorum virorum, qui hoc ſeculo ſcripſerunt, opinionibus debilitata, aperta tandem & libera, ante oculos conſiſtat. Primum itaque eſt inueſtigandum, quæ peccata pœnitentia functis ea tempeſtate Eccleſia condonaret, quæque diuinæ miſericordiæ, ni fato peccatores vrgerentur, relinqueret: deinde quomodo ob varias & graues cauſas ex Epiſcoporum ſententia & authoritate de hac ſenſim ſeueritate remiſerit, & paulo mitiùs peccatores habuerit, diſciplinamque conſultò relaxarit. Denique quæ ſit hoc in libello Autoris ſententia quidve agat: an neget autoritatem grauiora peccata condonandi ad ſummum Pontificem, an potiùs ad Eccleſiam pertinere, doceatque ſolis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, id iuris conceſſum.

Tertullianus trifariam diuidit peccata, in ea quæ remitti, in ea quæ remitti non poſſunt, & in monſtra: eorum quæ condonari poſſunt affert hæc exempla. *Perit igitur fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarij furoris & gladiatorij & ſcenicæ fœditatis, Xyſticæ vanitatis in luſus, in conuiuia ſecularis ſolennitatis, in officium, in myſterium alienæ idololatriæ aliquas artes adhibuit curioſitatis, in ver-*

bum ancipitis negotiationis impegit. & alibi, *quòd ſint quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus obiecti, cui enim non accidit, aut iraſci iniquè & vltra ſolis occaſum, aut & manum immittere, aut & facile maledicere, aut temerè iurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia aut neceſſitate mentiri in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu, quanta tentamur vt ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat*. Eorũ quæ citra veniã erant, aut quæ non ita facilè eam conſequerentur, definitio & exempla mox ſequuntur. *Sunt autem & contraria iſtis vt grauiora & exitioſa quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia vtique & mœchia & fornicatio, & ſi qua alia violatio Templi Dei*. De portentoſis in hunc modum loquitur. *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*.

Eadem peccatorum genera agnoſcere videtur Diuus Cyprianus, ait enim Epiſt. 10. *in minoribus delictis*. epiſtola 47. *in omnibus delictis quæ non in Deum committuntur*: de lapſis *ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt*: quæ de primi generis, vti quæ eadem epiſtola habentur, *quanto magis in his grauiſſimis & extremis delictis*, de ſecundi, peccatis intelligenda ſunt. Ea omnia cuiuſcunque tandem generis eſſent, baptiſmum inituris, primaq; pœnitentia functis condonabantur: vt patet ex lib. de Pœnitentia cap. 4. 6. 7. à baptiſmo verò qui grauiorum, ſecundique generis rei comperiebantur, non ſine lachrymis, multorumque annorum graui & *plena* pœnitentia, pacem Eccleſiæ conſequebantur. Quin etiam Tertulliani ætate, non omnia eiuſdem generis, eadem facilitate purgabantur, nam alienum à diſciplina Chriſtiana pleriſque videbatur mœchis, vel poſt longam diuque tractam pœnitẽtiam, veniam, atque pacem indulgere, ambigebaturque an in Eccleſiam reciperentur: quorſum enim edictum de mœchis recipiendis tuliſſet Zephyrinus, ni res in incerto fuiſſet, dubitareturque an eis pax relaxanda foret? nonne cauſam edicto dediſſe hoc videtur, quòd quædam Eccleſiæ iniquum cenſerent, eos in communionem admittere? quod tempore D. Cypriani in cauſa lapſorum, factum legimus: his adde ex eodem D. Cypriano epiſt. 52. quoſdam Epiſcopos illius Prouinciæ, non putaſſe pacem mœchis dan-

Digitized by Google

dam eſſe(quod ad Tertulliani tempora pertinere videtur) & reuera non dediſſe.

Sed aiunt Tertullianum hoc libello dixiſſe, *Aduerſus meæ quoque ſentẽtiæ*, igitur mœchi in eccleſiam poſt longam pœnitentiam admittebãtur, atque ipſe Tertullianus antequam ad eam ſectã transiret, exiſtimauit eis indulgendum eſſe: nequaquam propterea dimoueor à ſententia: nam negat hoc libro ius & autoritatem grauiora delicta condonandi, pertinere ad eccleſiam, cuius contrarium olim docuerat. Quapropter ait *aduerſus meæ quoque ſententiæ*. Sed rarò opinor ante hæc Zephyrini tempora mœchum aliquem veniam ab Eccleſia impetraſſe reperies. Rurſus aiunt lib. de pœnitentia cap. 8. Autorem, adulteros & fornicatores ad ſecundam pœnitentiam multorum exemplis inuitaſſe, quod non feciſſet ni veniam poſt pœnitentiam conſequi debuiſſent. Sed quæſo reſpondeant D. Cypriano, qui lapſos & idololatras ad pœnitentiam inuitat, quibus tamen pacem Eccleſiæ perpetuò negandam eſſe dixit aliquando: epiſt. 2. lib. 1. epiſt. 7. lib. 2. epiſt. 5. lib. 3. epiſt. 2. li. 4. epiſt. 14. lib. 3. epiſt. 15. & 16. 19. 20. 23. eiuſdem libri ex quibus manifeſtum fit D. Cyprianum, antequam de cauſa lapſorum habitum eſſet in Africa concilium, ſtatuiſſe ne cum eis communicaretur, ni commendarẽtur à martyribus & graui ſimul morbo afficerẽtur: quod argumento eſt ceteros, qui non commẽdarentur & valerent, perpetua luxiſſe pœnitentia. Reſpondeant præterea canonibus 21. & 22. concilij Ancyrani, Canonibus concilij Eliberini & ſexcentis quos alibi fuſiùs explicaturi ſumus. Apoſtatæ & deſertores eccleſiæ à Tertulliano, D. Cypriano & reliquis illius ſeculi inuitantur ad pœnitentiam agendam, quos tamen idem ipſe D. Cyprianus epiſtola ad Antonianum negat, etſi occiſi pro nomine Chriſti foris fuerint, ad eccleſiæ pacẽ ſecundũ Apoſtolum admittendos eſſe. Porro tametſi ea ſemper fuerit eccleſiæ ſententia, vt penes epiſcopos autoritatem eſſe crederet, idololatris & homicidis condonandi, tamen vti mox oſtendemus, iidem ipſi niſi morbo grauiori implicarẽtur, & metus eſſet, ne mors ſequeretur, venia ſemper & communione primis illis ſæculis caruerunt. Mœchiæ igitur, vigente prima illa Chriſtianorum diſciplina, quibuſdam eccleſiis, idololatriæ vero, penè omnibus (quamuis ad id facinus vi atque tormentis impulſi eſſent) nullum tempus, aut

Digitized by Google

ſupplicium veniæ redimendæ ſatis ſufficere videbatur: id manifeſtè ex hoc libro oſtenditur cap. 12. *Hinc eſt quod neque idololatriæ neque ſanguini pax ab eccleſiis redditur*. cap. 6. *Dabis ergo & idololatriæ & omni Apoſtatæ veniam*. cap. 5. *Idololatram & homicidam ſemel damnas, mœchum verò de medio excipis* cap. 19. *Aut ſi ita eſt, ergo ab idololatria*. cap. vltimo. *Quæcunque autoritas, quæcunque ratio mœcho & fornicatori pacem eccleſiaſticam reddit, eadem debebit & homicidæ & idololatræ pænitentibus ſubuenire*. & de Monog. cap. 15. Pamelius Autorem his locis, Orthodoxis imponere exiſtimat, quod nemini perſuaſerit, qui morum grauitatem, ingeniumque hominis in memoriam reuocarit, neque veriſimile eſt præcipua huiuſce libelli argumēta ex re manifeſtè falſa, perfricta frōte eū deduxiſſe: deinde ex ſequentium temporum hiſtoria, & quòd Romæ & Carthagini ſuper hac re habitum ſit Concilium, Corneliuſque & Cyprianus cum coepiſcopis decreuerint, libellaticis pœnitentibus ſubueniendum, ſacrificatis verò non niſi in exitu, manus imponendas eſſe, apparet idololatras ad ea vſque tempora pace atque communione priuatos fuiſſe. Ceterùm ſi ex diſciplina eccleſiæ ſacrificati, facta pœnitentia communicaſſent cum ceteris fidelibus, quamobrem vitio dediſſent Cornelio nonnulli epiſcopi, quòd cum thurificatis pacem miſcuiſſet? Monet præterea D. Cyprianus Antonianum ſuperiorum temporum & epiſcoporum exemplo, eccleſię vnitatem rumpendam non eſſe, etſi ſacrificatis pacem nolit concedere. Quod argumento eſt nonnullas eccleſias in priori ſententia etiam poſt Concilia Carthagini habita, manſiſſe.

Ceterùm ſi cuipiam res incredibilis videatur, meminerit illis temporibus vna atque altera exacta pœnitentia, tertiæ locum non ſuperfuiſſe: peccatoreſque ab Eccleſia ſemper exulaſſe, ac ne vix quidem niſi morientibus pacem eis conceſſam.

Verum enimuero pro temporum & rerum neceſſitate, hanc diſciplinam in mitiorem mutauit eccleſia, & lenitatem cenſuræ, quamuis iuſtæ prætulit: atque vt idololatris D. Cypriani temporibus, ita Tertulliani conueniens viſum fuit, mœchis ignoſcere & pacem proponere. Tanta enim neglecta diſciplina, & animis ad humana ſenſim inclinantibus, mœchorum & idololatrarum vtraque tempeſtate erat multitudo, vt metus eſſet, ne iam nutantes, eodem, vel etiam ad deteriora laberentur, ſi de eis ſupplicium ſumptum

Digitized by Google

ptum foret,& omnis veniæ ſpes tolleretur.

Quid doceat hoc de Pudicitia libro Tertullianus, ex cap. 21. colligere licet: nempe eccleſiam epiſcopoſque (quos eam præcipuè conſtituere ait) grauiora ſoluendi delicta poteſtate carere. Verùm id iuris ſoli Chriſto & Apoſtolis attributum, quo vti nemini fas eſſet, niſi qui miraculis (vti Montanus) hanc ſibi gratiam à Deo conceſſam eſſe, fidem feciſſet. Non æquum præterea eos facere (Orthodoxos ſcilicet) qui ea omnia quæ Chriſtus D. Petro dixerit, quæque indulſerit, ſibi & Eccleſijs ſuis arrogarent, quaſi hæc beneficia & prærogatiuæ non ei duntaxat, ſed etiam Eccleſijs quas peperiſſet, collatæ eſſent. Cæterùm Eccleſiam ſpiritus quæ eſſet in Patre, Filio & Spiritu ſancto, maximè delictis veniam indulgere poſſe; ſed per ſpiritualem hominem, vt Montanum aut quempiam, qui chariſmatum donis excelleret, non autem Eccleſiam quæ in numero Epiſcoporum conſiſteret, qua quidem poteſtate vti nollet Montanus, ne cæteris ad delinquendum aditus patefieret. Quapropter huiuſce temporis hæretici immeritò inſinuant Tertullianum hoc de Pudicitia libro ſubſannare Pontificem maximum, nec eum Eccleſiæ caput agnoſcere, tum quòd eius edictum aſpernetur & proſcindat, tum quòd apertè neget ei parem ac D. Petro attributam eſſe poteſtatem: cui videlicet vni Deus dixerit atquè annuerit, quicquid ligaſſet, aut ſoluiſſet in terris, ligatum ſolutumque in cœlis, nõ autem eius ſucceſſoribus, neque Zephyrino qui ſedem illius premebat. Nam non vni duntaxat Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo hanc autoritatem denegat, ſed toti Eccleſiæ; neque negat eum eſſe D. Petri ſucceſſorem in Eccleſiæ adminiſtratione & diſciplina, ſed negat ex hoc hæreditatis iure ad eum & Epiſcopos poteſtatem ſoluendi & ligandi perueniſſe; quia ſcilicet diſcrimen magnum exiſtimabat eſſe inter poteſtatem & diſciplinam ſiue regimen Eccleſiæ.

Digitized by Google

DE PVDICITIA.

CAPVT PRIMVM.

SI natura præſtruxerit, quam baptiſmo adepti ſumus: de ea enim hæc accipienda ſunt, quæ caſtos & pudicos nos generat.

Si cenſura compreſſerit. Si cenſuræ metu eam obſeruemus.

Quod vltimorum temporum ratio. D. Cypri. illiuſque temporis nonnulli, mundi exitum imminere ſemper clamitabant.

Ita exarmata ſunt iura, ita cenſura flocci penditur.

Non eius ratio, ſed moderatio, non eruditur pudicitia, ſed pudicitiæ imago, cùm, ijs qui eam violarunt, poſt Baptiſmum venia tribuatur.

Qui non minùs caſtus. Retinenda hæc lectio, ait enim iocando eos apud Orthodoxos, pro pudicis haberi, non qui perpetuam inuiolatamque caſtitatem obſeruant, ſed qui poſt Baptiſmum ad vomitum redeunt.

Cùm ſuo ſeruitio. Cùm apud Gentiles legibus coërcerentur impudici, paucique eſſent, qui ſponte pudicitiam obſeruarent, ſeruitutem eam vocat, non virtutem.

Niſi quod infœlicior. Viderint Gentiles qui ex ea nullum fructum capere poſſunt.

Per iudicia ex vtroque teſtamento. En quibus legibus in peccata antiquitùs animaduertebant: in Conſtitutionibus quæ Clementi tribuuntur, monemur, *in iudicando voluntatem diuinam ſequi*.

Audio edictum. In Africam ergo penetrarat, quod Romæ S. Pontifex ſanxerat.

Peremptorium. Diu inter Chriſtianos certamen fuit, an poſt longam pœnitentiam adulteri in Eccleſiam reciperentur, vt D. Cypriani Epiſtola ad Antonianum, docet: qua de re poſt hoc edi-

Digitized by Google

ctum controuerſiam in eccleſia fuiſſe non legimus: itaque peremptorium vocat hoc edictum, quod huiuſce rei litem dirimeret; in rebus dubiis, ſemper eccleſia Romana præ ceteris conſulebatur.

Pontifex Maximus. Diſſentiunt inter ſe aduerſarij, Iunius de Romano Pontifice id dictum negat, contrarium omnino affirmat Mornæus, quod certè res ipſa ſuadere videtur. Quis enim Epiſcoporum, hoc nomen ſibi vnquam adrogauit? at Romanus Pontifex maximus appellabatur, cuius rei locupletiorem teſtem proferre nō poſſem quàm D. Cyprianum Tertulliani popularem, eorumque temporum fermè æqualem: Is enim eadem epiſtola ait Imperatorem ferre non potuiſſe, vt æmulam dignitatem Cornelius obtineret & de ſacerdotio quaſi contenderet, *quam conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem*: deinde vrbis magnitudinem meretricumque impudica commercia denotare videtur, cùm de earum titulis mentionem facit: ex capite denique vigeſimo primo, manifeſtum fit D. Petri ſucceſſorem, eum alloqui. *Lib. de Myſter. Iniq. Li. de Eucha. pa. 8.*

Epiſcopus epiſcoporum. D. Cyprianus lib. 4. ep. 9. & in concilio Carthaginenſi, eum Epiſcopum Epiſcoporum eſſe dicit qui de cæteris epiſcopis iudicare, eoſque à iure communionis, ſi quid alienum à fide ſenſerint, arcere poteſt. *Supereſt vt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes aut à iure communionis aliquem ſi diuerſum ſenſerit amouentes: neque enim quiſquam noſtrum, epiſcopum ſe eſſe epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit.* (vbi animaduertendum eſt Epiſcopum Epiſcoporum ſe conſtituere, & tyrannico terrore cæteros adigere, diuerſa eſſe; & ita à D. Cypriano dicta.) Quacunque igitur ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, feriò vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei, iudicia peremptoria ferre, & totius orbis Epiſcopos monere atque docere, quis non agnoſcit? eoque magis quòd vnus Tertullianus iam hæreſi implicitus, de hac re cæteris eccleſiæ Epiſcopis non reluctantibus conqueratur: nam de his rebus eum oppugnando coniecturam facit, ea tempeſtate id iuris Romanis Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſq; re vera hanc poteſtatem exercuiſſe.

Pænitentia functis, longa diuque tracta pœnitentia vt D. Cypr. verbis vtar: cuius tempore cum eadem de lapſis orta eſſet contro-

Digitized by Google

uerſia, placuit poſt longam, diuque tractam pœnitentiam eos ad eccleſiam reuocare.

Bonum factum. Non ſolùm boni hominis cauſa, edicta, hac inſcriptione notabantur: ſed etiam vt populus intelligeret magiſtratum, aut imperatores de Republica ſollicitos eſſe, reſque vtiles ſanctaſque ſtatuiſſe.

Liberalitas iſta. Veniam delictorum, liberalitatem vocat, quo nomine, donatiua militum appellat: obliquè ſcilicet perſtringens ſummum Pontificem, quòd præter diſciplinam Eccleſiaſticam, aliquid noui ſtatueret, laxiuſque cum Chriſtianis agēdum putaret.

Eiuſmodi pœnitentia. Vocatur edictum *pœnitentia*: quia ſcilicet longa, plenaque pœnitentia functos Eccleſiæ reddebat: quos antea ſatis conſtat, vt alibi docebimus, perpetuam egiſſe pœnitentiam, nihil enim hoc edicto ſtatutum eſt, niſi quòd pœnitentiæ tempus imminutum & contractum eſt.

Sed hoc in eccleſia legitur. Ex D. Cypriano manifeſtum fit litteras, quas ab alijs Eccleſiis acciperent, vel ſi quid de rebus fidei ſtatuere vellent, frequente populo in Eccleſia id legiſſe, & ſententias dixiſſe, ad quem morem reſpicere videtur.

Quæ ſancta carui. Senſus eſt virginē Eccleſiam ne quidem auriū maculas, id eſt hæreſes, paſſurā; multo minùs adulteria & corporis ſordes: Egeſippus apud Euſebiū li. 4. ca. 22. *tūc Eccleſia virgo vocabatur: quia nondū fuerat adulterini verbi ſubreptione corrupta*. Et Autor de præſcr. *qui illam ſtuprauerint adulterio, hæretico virginem traditam à Chriſto*.

Et ſi habuerit non repromittit. Antiqui autores, vti D. Cypr. & Autor conſtitutionum Clementis, vocant Eccleſiam hæreticorum, ſpeluncam latronum; neſcio an eodem reſpiciat.

Societatem, communionem: habere enim ſocietatem cum alijs Eccleſiis is cenſebatur, qui in rebus fidei, eiuſdem cum eis erat ſententiæ. De ſpectaculis, *defendere ſocietates Eccleſiarum*.

Paternarum, Iudaicarum.

Id volens eripere quod vita anteponunt. D. Cyprianus de lapſis, *veniunt & ipſi geminata militiæ ſuæ gloria virgines*, ſcilicet blanditijs, minis, muneribus pudicitiam virginum primùm adgrediebantur omnibuſque modis eam ante fidem expugnare tentabant, ſed eleganter probat pudicitiam potiorem eſſe vita & corpore.

Digitized by Google

Incontinentia neceſſaria eſt. Vocat ſecundas nuptias incontinentiam.

Nec enim mœchia & for. Indulgenda ſunt modica delicta, quia modica ſunt, *& quotidianæ incurſionis*, vt eius vtar verbis, & quibus omnes vbique & ſemper obiecti ſumus, neque quiſquam ita cauere poteſt, vt ea vitet. Simul etiam præcauenda, quia ſunt peccata, meliuſque eſſet in ea non incidere: at de grauioribus non item: hic eſt horum ſenſus.

Nobis autem. Ne adulterio tententur Orthodoxi, ſecundas faciunt nuptias, nobis verò magis cautum putamus, ſi eis poſt fidem renuntiemus, ſi modò nuptiæ veræ dicendæ ſint, quæ à fornicatione & adulterio non differunt.

Sed ideo duriſſimè, id eſt duram & enormem diſciplinæ noſtri paracleti rationem ſtatuimus, quòd eaſdem pœnas de mœchis & digamis ſumimus. Sed ridendo hæc dixit.

Ieiunas pacis lacrymas, quia vt pacem Eccleſiæ obtinerent, lacrymis non parcebant, quas ieiunas vocat, vel quòd pacem non eſſent relaturæ, vel quia in perpetua inedia vitam traherent pœnitentes.

Publicatione dedecoris. Quidam ſuſpicantur primis illis temporibus vſque adeo diſciplinam viguiſſe, vt nocentes peccata ſua interdum publicè fateri non recuſarent.

CAPVT II.

DEo adulantium. De ieiunijs Deo adulandum eſſe ait: quod hoc loco in malam partem dicere videtur, quaſi Dei miſericordiam nimiùm extollerent, quo tutiùs in omni libidinum genere volutarentur.

Quaſi incerta, quaſi incertum ſit pœnitentiæ ſubſidium: ſiue quaſi incertum ſit ex ſcriptura, ob quas cauſas, vel an omnino agēda ſit: quare Iunij correctio *in certa*, obſcurum, aut nullum ſenſum parere videtur.

Alia caſtigationem. Caſtigatio genus eſt cenſuræ, quod lenius excommunicatione, minuſque graue fuiſſe comperio.

Alia damnationem, alia perpetuam excommunicationem: qui enim ab Eccleſia perpetuò abeſſe iubebantur, damnati dicebantur: quare caue de damnatione æterna hæc accipias: canon Con-

Digitized by Google

cilij Ancyrani eos hyemantes vocat.

Aut venia expungit aut pœna. Duobus modis ait peccata omnia deleri poſſe, *venia* id eſt abolitione & manuum impoſitione; *&* *pœna,* id eſt perpetua pœnitentia, quam quidam ob grauiora delicta producere cogebantur. Nam quamuis mœchis indulgendum eſſe neget, eoſdem tamen vbique fatetur, perpetuis ſeſe ærumnis & moleſtijs apud Deum purgare poſſe: ex quo docet hoc loco pœnam peccata expungere: apud Deum ſcilicet.

Venia ex caſt. pœna ex dam. Venia conceditur exacta pœnitentia, & cùm quis pœnas ſibi decretas expleuit: pœna autem non cenſetur pœna, niſi ſit perpetua & qui iudicio Eccleſiæ damnatus eſt, ætatem & vitam in perpetuis miſerijs ærumniſque tranſigat: alioquin à venia & caſtigatione non diſtingueretur.

Capvt III.

S*Ed priùs decidam.* Hoc caput ita inſcribendum opinor pœnitentiam non eſſe fruſtra, quamuis ab Eccleſia pacem, aut veniam, non obtineat.

Ad eam pœnitentiæ ſpeciem, quæ perpetuò ob grauiora delicta, vt homicidij & idololatriæ, proferebatur.

Meritò ita opponunt, meritò hæc Chriſtianis perſuadent: quia peccatorum veniam in ſua poteſtate ſitam eſſe prætendunt.

Ad Dominum enim remiſſa. D. Cyprianus *ad Dominũ remittãtur.* De ea hìc agitur pœnitentia quæ ab Eccleſia non imponebatur, ſiue quæ perpetuò duraret, de qua in obſeruationibus noſtris dicemus: vult enim Tertullianus mœchos hoc modo pœnitere.

A ſolo Deo exorat. Epiſcopos Sacerdotibus, Diaconis, Martyribus cæteriſque fratribus in limine Eccleſiæ pœnitentes ſupplicabant, vt pacem obtinerent: ad quem etiam ritum alludit.

Erubeſcere, mauult pro foribus templi perpetuò ſtare, quàm vlteriùs in templum progredi, ac veniam impetrare.

Cæteros admonet, in Conſtit. Clem. habetur, pœnitentes exemplo ſuo cæteros monere, ne peccent; ideoque pœnitentiam cæteris fratribus vtilem fore.

Digitized by Google

Capvt IIII.

A*B omnibus*. Rectè Latinius, ab hominibus, nã hoc ipſo libro oſtendere nititur grauiora quæque delicta à ſolo Deo, veniam expectare debere.

Turribus, ita legendum, non curribus, nam ſub fornicibus & antris proſtabant mulieres impudicæ.

Omne homicidium extra ſyluam latrocinium eſt. In ſyluis propriè latrocinia exercentur, latroneſque dicuntur qui ſpe prædæ vitam prætereuntibus eripiunt. D. Cyprianus de zelo & liuore, *in latrone conquieſcit ſcelus homicidiò admiſſo*, & Autor de anima.

Non prius apud Eccleſiam profeſſæ. De benedictione nuptiali hæc accipienda ſunt, quam vocat alibi obſignationem matrimonij; ſed hæc ad decretum Concilij Tridentini facere quidquam, non video.

Omni tecto Eccleſiæ. Ergo varia erant eiuſdem templi tecta, ſub tecto enim quod erat ante eccleſiã ſtabant pœnitentes, vnde ait Auctor hæc monſtra amouenda eſſe: quod præterire nolui vt intelligerent Aduerſarij illis etiam temporibus non in areis ſolùm, cœmèteriis, aut alibi quocunque fors aut metus ſupplicij eos coegerat, preces & ſacra feciſſe chriſtianos; verùm etiam propria habuiſſe templa & in eum vſum extructa.

Capvt V.

E*Tiam damnatione*, cum ſorte, loco, & ordine hæc conſociata reperiantur crimina, de omnibus idem ſupplicium ſumendum eſt ac perpetua punienda ſunt pœnitentia.

Onerauit, ita legendum, non honorauit, nam ſenſus eſt, adulterij crimen grauius multò cenſendum eſſe, quòd homicidio præferatur, priuſque prohibeatur.

Quaſi vacantem locum, quod vnum leuius, aliud verò grauius ducatur, locum hunc medium, vni mœchiæ reſeruarunt.

Vt ſolam, frequenti eo vtitur argumento: æquum non eſſe ſcilicet pro foribus relictis idololatris, mœchos in eccleſiam reuocare.

Digitized by Google

Ab idololatria metamur. Quantum opinor, in eadẽ pergit figura, aitque idololatriam in prima acie, fornicationem autem in ſecundo agmine conſtitui, quòd homicidium clauderet: metari enim paſſiuè ſumitur, & nonnunquam diſponere ſignificat.

Illa diſti. coniungitur, fornicatione videlicet, qua ſublata, homicidium idololatriæ iungeretur.

Emicanti adulamur, ſupereminenti & tanquam audaciori applaudimus.

Sciunt luci mei & m. mo. Ignotum nulli credo Deorum Dearumque ſacra, omni olim turpitudine & flagitio impiata fuiſſe.

Viuæ aquæ, ſplendidi fontes, quorum capita ſacra erant.

Quod adulteri conceptus. Innuptarum, vt opinor, conceptus adulteros vocat.

Etiam apud Chriſtianos. Cùm omne peccatum ad aliquam idololatriæ ſpeciem reuocarent, mortaleſque peccando pereant, rectè ait mœchos his criminibus non vacare.

Si res voce deficiunt, tametſi hæc muta ſint, homicidium ſcilicet & idololatria, tamen quòd pro foribus vnà cum mœchis pœnitẽdo veniam idololatræ & homicidæ promererentur, ſatis monent, iniquum eſſe huic vni parcere & mitiùs eam habere.

Noſtra eſſe, noſtra eſſe dixit: quoniam Montaniſtarum diſciplina, nullum eiuſmodi crimen remitteret.

Semel damnas, perpetuâ punis pœnitentiâ.

Perſonæ acceptio. Patres, & inter eos Autor conſtitutionũ ait perſonarum acceptionem eſſe, quando Epiſcopi fauore aut gratia in iudicijs pœnitentium (iudicabant enim Epiſcopi de reditu pœnitentium) verſantur.

Miſerabiliores, miſeria dignas & venia magis quàm mœchorum: ſæpe apud D. Cyprianum miſerabilis pœnitentia, id eſt, pœnitentia digna miſericordiâ.

CAPVT VI.

NE *in terga*, ne ad antiquæ legis exempla.

Dabis ergo & idololatriæ. Manifeſtum hinc fit idololatras à Chriſtianorum cœtu relegatos fuiſſe, perpetuamque eis pœnitentiam fuiſſe conſtitutam.

Digitized by Google

Iam & inceſta donabit. Autorem hoc loco calumniari ait Pamelius, verùm immeritò, quin imò, monet eos ſi ab exemplis antiquæ legis, diſciplinam Eccleſiæ inſtituere velint, incœſtis quoque ignoſcendum eſſe.

Luſerit ante Chriſtum, fornicata ſit, de ieiunijs cap. *6. luſum niſi impudicum non denotaſſet*: & capite vltimo *an qui, quum amitteret, luſit.*

Et lacteæ ſordes non labentes idoneæ. Facilius eſt coniecturam Iunij reſpuere, quàm quidquam certius afferre: facilius quoque mentem Autoris capere, quàm eius verba aſſerere: tentamus tamen & legimus, *lacteæ ſordes non labentes idoneæ*: ait ſordes lacteas (alludens ſcilicet ad lacteum ficus humorem) quas Adam peccando & ſeſe tegendo contraxerat, quibuſve cæteros mortales infecit, idoneas fuiſſe ad peccandum: atque ob hanc cauſam & quod Baptiſmo non delerentur, peccatores olim facilem delictorum ſuorum veniam inueniſſe: qui ſenſus confirmat ea quæ repoſuimus, adde vbi repetit quæ de Adamo dixerat atque carnem antiquæ legis (vt ita dicam) carni Chriſti, lignum ligno, flores frondibus, ſordes munditijs comparat & opponit, ait *ſordes priſtinas*: quod pro coniectura eſt eum antea *ſordes* dixiſſe: cauſam deinde habes cur *non labentes* ſcripſerit, ſequitur enim *adhuc aqua non lauerant*, & quemadmodum virus, ita & ſordes inhærebant. D. Greg. Nazian. vocat catechumenum ficulneum oratione 40. de baptiſmo.

De priſtino excuſas, exemplis veteris legis.

Non corpus. Ad calumniamne pertinet, vt vult Pamelius, dicere, ibi abundaſſe gratiam, vbi abundauit delictum? hoc enim agit Tertullianus, maioraque Chriſtianos conſecutos eſſe beneficia, quàm Iudæos.

Habes etiam, ſcilicet à D. Ioanne.

CAPVT VII.

A *Parabolis.* Vehementer à ſententia Iunij diſſideo qui orthodoxis exprobrari exiſtimat, quòd ex Ethnicorũ vſu & moribus pictis calicibus vterentur: atque inde autorem probare de iiſdem ethnicis parabolas, non de Chriſtianis peccatoribus exponendas eſſe: ecquid non diſſentirem? cùm neque hoc capite, neque

alibi hunc ritum, aut damnet aut à Gẽtilibus manaſſe dicat, quamuis de idololatria & corona militis ſexcentiſque in locis, quicquid ad eorum mores accedere videretur, diligenter recenſeat. Sed ita ſit: cui non ſtatim ſuboleat, Orthodoxos igitur picturas & calices habuiſſe?

Omiſſa ſpecie, re omiſſa de qua erat mentio, cùm parabolam incepit Chriſtus.

Sed de arca vel de armario. Reponuntur in armario cibaria & ea quæ in vſum vitæ mactantur: quare ait Tertullianus, ſi ouem perditam Chriſtianum non Ethnicum faciant Orthodoxi, eam ab armario, nõ à grege aberraſſe, quòd nullus Chriſtianorum ab eccleſia matre depelleretur, quin peccatis & fornicatione mortuus magis quàm errabundus cenſeretur. Vel perſtringit Orthodoxos, atq; armarium eos habere ait, non gregem, aut Eccleſiam, quòd mortuas pecudes cogant, recipiantque.

Sic & ſi Ethnicorum reliquum numerum, id eſt, quamuis ethnici cẽſendi ſint, qui in grege centum ouium non annumerantur, non ideo tamen concedo per centum oues chriſtianos intelligendos eſſe: nam agens cum Iudæis, per eiuſmodi nonaginta nouem oues ipſos Iudæos deſignauit, & eos in parabola poſuit, non quales erãt, ſed quales eſſe debuerant, iuſtos ſcilicet.

Vnus error adſcribitur. Vt oſtendat Chriſtiano has parabolas nõ conuenire, hoc vtitur argumento: peccator Chriſtianus ſemel & iterum à grege errauit: quapropter ſi de eo parabolam finxiſſet, Chriſtus duplicem errorem notaſſet.

Poſt fidem perd. Spiritus ſancti eorumque omnium quæ in Baptiſmo adepti eſſent Chriſtiani, iacturam pati peccando, maiores illi vbique docent.

Ancipitis negotiationis. Ego fidem Ms ſequendam eſſe cenſeo, & legendum, *Ancipitis negotiationis aut blaſphemiæ:* nam quod ait Pamelius inter remiſſibilia blaſphemiam ab Autore nunquam relatam, facile eſt diluere, ſi animaduertas varias blaſphemiæ, vt idololatriæ ſpecies apud Tertullianum fuiſſe, quarum præcipuæ & capitales, verbi gratia Chriſtum negare, aut periurio Dei nomen violare, inexpiabiles quidem, cæteras verò leuioris notæ fuiſſe: ita hoc libello idololatris negat indulgendum eſſe, quo tamen eoſdem venia dignos fatetur, nam apud Tertullianum idololatriæ crimen

eſt, ſpectaculis intereſſe) quæ maximè inter ſe contraria nulla ratione compones, ni ſpecierum diſcrimē agnoſcas. Eum igitur miſericordia dignum ait Tertullianus, qui in ancipitis negotiationis aut blaſphemiæ verbum impegit: quod factum ſuſpicor, cùm quis ſcripto cauet, & iurat ſeſe mutuam Ethnico redditurum pecuniā, quamuis nullum proferat verbum, quia ſcilicet cum formula iurandi inter Ethnicos eſſet per Deos iurare, qui Ethnico fidem obſtrinxerat, eorum religione & numine id feciſſe videbatur per quos ijdem Ethnici iurare conſueuerāt. Si lubet cum Iunio & Latinio legere *negationis* (cùm apud Tertullianum negatio, blaſphemia, & idololatria eadem ſignificent) quamuis nulla id autoritate probent, de ea negationis ſpecie & blaſphemiæ quam diximus, rem intellige, non de præcipua & prima vt Iunius docet.

Dedignatione caſtig. Caſtigabantur Chriſtiani & palā in Eccleſia monebantur, ſi quid mali fecerant, quod quidam indignè ferentes ab ea recedebant: hos igitur leuiùs peccaſſe ait Tertullianus.

Pro ipſius drachmæ. Ex pondere illius monetæ parabolam de leuioribus peccatis exponendam eſſe argumentatur.

Non lucernæ ſpiculo. Rectè emendatum *luminis*: Sed autoris ſententia his verbis latet, aiebat enim Epiſcoporum autoritati non conceſſum vt fornicatorum pœnam leuare poſſent, eoſque Eccleſiæ reſtituere, verùm in vnius Chriſti poteſtate id eſſe, vel eorum qui miraculis commendabantur: quare eleganter Chriſti autoritatem, ſolis lanceam, Epiſcoporum verò lucernæ luminis ſpiculum vocat.

Simul apparuit. Pamelius hæc ad Montanum, aut eos qui pœnitentiam non amplecterentur, non autem ad pœnitentes ait pertinere: verùm non meminerat fornicatores, tam apud Montaniſtas, quàm Orthodoxos ab Eccleſia palàm pulſos eiectoſque fuiſſe, vtrinque enim graues pœnas dabant, ſed grauiores apud illos, cùm nullo tempore nullaque pœna finiretur eorum pœnitentia, atque adeo eleganter ac ingenioſè infert Tertullianus drachmæ parabolam mœchis competere non poſſe, cùm reperta muliercu læ & vicinis ſummum gaudium attuliſſet, fornicatores verò ſi detegantur, totius eccleſiæ hilaritatem confunderent.

Commiſſa. i. e. h. n. Eo magis de Ethnico parabolas accipiendas, quòd rationes ob quas Chriſtianum peccatorem intelligi aiunt

Digitized by Google

Orthodoxi, fornicatoribus nullatenus conuenire poſſint.

Capvt VIII.

Q*Vem in veſtibus purp. oculandis*, lumine & ſplendore qui in purpura micat illuſtrandis & imbuendis: ſic ait de Pallio, *luminis conſilio*, eodem verbo, ſed vt oculos reddere ſignificaret, vſus eſt in Apolog. & de pœnit. Cæterùm huiuſce ſimilitudinis ſenſus is eſſe videtur: cùm duas veſtes eodem purpuræ colore inficiendas quis locauit: accidit plerumque vt colores qui bene temperati videantur, diſſentiant, lanæque diuerſum ſplendorem referant, præſertim ſi ſolis aut oculorum fidem requiras.

Temperamenta colorum. Non naſcitur purpura, ſed ex varijs rebus, varijſque modis comparatur, vt docet Vitruuius lib. 7. cap. 14. ideo ait temperamenta colorum: cùm enim multa miſceantur, puta lac & vacciniũ (colores enim ad lanas inficiendas naturaliter, vt opinor, conficiebantur) ſi eorum rationem ſcitè non habueris, facile eſt à legitimo temperamento aberrare, atque diſſimiles componere.

Inter ſe amaſſe, conueniſſe, ſimiles eſſe.

Erudito mox vtroque cor. tincta vtraque lana & ad ſolem expoſita.

Niſi quòd clauſula, niſi quòd impium eſſet Chriſtianos indignari de Iudçorum ſalute: quæ in fine parabolæ habentur, clauſulam Parabolæ vocat.

Si quidem tota ſpes. An eò referendum, quod ab Autore lib. de Spectaculis cap. vlt. & eod. cap. lib. 3. aduerſus Marc. & à Diuo Hieronymo in Ezech. traditum eſt, Iudæos expectaſſe de cœlo auream Hieruſalem, aliaque non minùs præclara ſibi promiſiſſe, in eaque Tertullianum fuiſſe ſententia? an de reſurrectione accipiendum, *reliquam* autem dixit quòd fruſtrà Meſſiam expectarent?

Temperetur fœlicitas. Perſtat in eadem colorum metaphora: quare nihil mutandum, fœliciter enim colorum temperamenta inuenit, qui eximios & ſimiles comparauit.

Meminimus enim & h. Pantomimi & hiſtriones geſtus ſuos ad ſonum & numeros eorum quæ in ſcena decantabantur, compone-

bãt, quamuis cantica ad aliud argumentum pertinerent. in Ariſtæneto Epiſtola 26. lib.1. *Varias in te ſpecies vertis iuxta ſonorum canticorum melos.*

Allegoricos geſtus, quia aliud cantabatur, aliud ſaltabatur.

Non quò debent. Adde particulam, *&*, quæ ſubintelligi videtur, & is ſenſus conſtabit: quas volunt materias, parabolis fingunt, & quas non debent rejiciunt: neque metaphora vſus eſt, neque, *quo ingenio*, intelligendum eſt, vt volunt interpretes: *excludo* enim ſimplici & ſolita ſua ſignificatione accipitur, alioquin idem repeteret, *Quo volunt tribuunt, & quo volunt excludunt*, & ita contrarij ſermonis venuſtas & gratia frigeret, niſi mauis ita legendum, *Quò volunt tribuunt, non quò debent, & aptiſſimè excludunt*, vbi metaphoricè, *excludunt*, acciperetur.

Quorum & parabolæ videntur. De præſ. cap. 38. *Quoniam ad materiam ſuam cædem ſcripturarum fecit*, item, *quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitauit.*

CAPVT IX.

N*Ec valde laboramus.* Ne hoc argumento vehementiùs premeretur Tertullianus, (Ethnicum ſcilicet non aberraſſe à grege, ſed Chriſtianum fornicatorem) ait qui parabolis materias non quærunt, eas ita exponere non debere, vt ſingula quæque in eum conueniant quem parabola deſignat: ita vehementer ſe non laborare, quid per gregem, aut centum oues, & decem drachmas intelligendum ſit, aut quòd ex ſua expoſitione non ita planè & commodè quæque explicentur atque in altera; curioſitatis hæc eſſe, & quæ ſi ad amuſſim expendãtur, veritati plurimùm noceant indagandæ. Pleraque in eiuſmodi parabolis inſeri, quæ ſimpliciter & non ita accipienda ſunt, quaſi vim aliquam & pondus in eis habeant. Sed quidquid dicat, argumento ſatisfeciſſe non videtur.

Ethnicos fuiſſe publicanos. B. Hieron. epiſt. ad Damaſum, Pamelius hoc loco, Card. Baronius anno Chriſti 31. Caſaub. exercitat. pag. 303. Synopſis antiquitatum Hebraicarum cap. 5. de hac re fusè diſſerunt.

Pompeij manu atque Luculli. De Pompeio res nota. Tacit. lib. 5. hiſtor. *Romanorum primus Gnæius Pompeius domuit.* Cicero pro

Digitized by Google

Flacco, pro lege Manil. Ioſephus lib. 14. antiq. Iudaicarum cap. 8. lib. 1. belli Iud. cap. 5. Egeſippus, quem ſuppoſititium prædicant. Aurelius Victor in Veſpaſiano. Plinius lib. 7. ca. 26. Plutar. in vita eiuſdem Pompeij. Appianus de bello Mithri. Ammianus Marcel. lib. 14. At de Lucullo ambigitur. Nam ſi Iudæam primus domuit Pompeius, quomodo qui prius bellum in Syria pro Romanis geſſit, eam ſubegiſſe dicetur? Neque cuiquam, opinor, perſuadet Pamelius Lucullum deuictis Mithridate & Tigrane ſub Pompeio ſibi infenſo, cuique exercitum inuitus tradiderat, bello interfuiſſe Iudaico. Verùm cùm parta de Mithridate atque Tigrane victoria cæteriſque in Syria præclarè geſtis, illarum prouinciarum Regibus terrori eſſet Lucullus, & vt ait Cicero pro lege Manil. *Cùm vehemens opinio per animos gentium barbararum peruaſerat, fani locupletiſſimi & religioſſimi diripiendi cauſa, in eas oras noſtrum exercitum eſſe deductum*; facilè crederem Iudæos miſiſſe qui populi romani amcitiam ab eo peterent, atque vt in eam reciperentur, tributum quod imperari poterat ſponte offerrent: niſi malis, cùm à Plutarcho referatur in Meſopotamiam eum penetraſſe & Chaldæos domuiſſe, Iudæam quoque tentaſſe.

Licet in agina. Licet omni ex parte conueniant.

Idololatræ, blaſphemi, negatores, Idololatræ, qui tormentis victi, idolis ſupplicarant. Blaſphemi, qui ſponte Chriſto maledicerent, vt ait Plinius ſecundus, & Hermes li. 3. ſimi. 8. *nefandis verbis Dominum inſectati.* Negatores, de libellaticis accipiendum, qui Chriſtianos ſe eſſe aut fuiſſe negarẽt. Hæc enim & ſimilia idololatriæ genera (quicquid dicat Pamelius) ante hæc tempora pace & venia niſi animam agerent, non donabantur, perpetuaque pœnitentia Deo ſatisfaciebant, vti fuſiùs dicendum erit.

Subſtantia Sacramenti. Caue hæc accipias de Baptiſmo, vt ait Pamelius, nam de fide & religione Chriſtiana dicta ſunt, cuius fundamentum corruere ait, ſi cum idololatris mitiùs agatur & ex parabola ſpes eis redeundi ſuperſit. Paulò altiùs dixerat ſtatum diſciplinæ ſubuerti ea interpretatione.

Satisfacto redit. Antequam baptiſarentur Catechumeni, pœnitentia Deo ſatisfaciebant, quò alludit cùm ait, *ſatisfacto redit.*

Plus eſt igitur. Apoſtatæ conuenit, æquè atque fornicatori, ideò Chriſtiano non competet.

Digitized by Google

Illa enim etiam Ethnicis relucet. De baptiſmo eiuſque ritibus hæc accipienda non ſunt, quæ Iudæis & Ethnicis magis nota non erant, quàm pœnitentium reconciliatio, ſed de prima conuerſione, & cum quis ſe erudiendum tradebat & Catechumenus fiebat.

Hæc verò quæ in ecc. ag. Non niſi in Eccleſia & coram omnibus fidelibus pœnitendo veniam impetrabant.

Et cætera delicta. Exploratum habeas ex hoc loco, & ſexcentis alijs, grauiora delicta perpetua olim punita fuiſſe pœnitentia.

Sed plus eſt. Sed validius eſt multò, quod de poſita re cuius erat mentio, explananda eſt parabola, ita de Reſur. cap. 22.

Minus ſi forte ſap. Si noſtra expoſitio non tam bellè congruere videatur.

Caput X.

Non minus militantibus & P. Militibus Romanis & Publicanis Hieroſolymæ agentibus, quos Gentiles fuiſſe tradit Tertullianus.

Quam voluntarijs. Chriſtianis ſcilicet, qui ante Baptiſmum impetu potiùs naturæ, quā voluntate peccaſſe cenſebantur, ita Hermes lib. 3. ſimilitudine 9.

Remedia prima q. ex. Pœnitentiam qua ante Baptiſmum Deo ſatisfaciebant, prima remedia vocat, ſecundam verò poſt Baptiſmum exoleta, quod ſcilicet inutilis ea eſſe videretur pœnitentia, quæ ſemel hominem meliorem non formaſſet: fruſtráque repeti, quæ non profuiſſet.

Qui mortem pœnitentia maluit. Qui peccator maluit peccare, quàm primæ pœnitentiæ beneficium in ſe manere.

Peccando promeremur, Quia ouis, drachma, & prodigus cariores cæteris fuere.

Funambulæ pudicitiæ. Orthodoxos funambulos vocat, eaque vtitur metaphora, quòd pœnitentibus mœchis cùm indulgendum eſſe cenſerent, diſciplinam omnem, pudicitiamque in maximum diſcrimen vocarent.

Pendente veſtigio. Quia ſcilicet in nullius ſcripturæ authoritate id firmarent.

Carnem ſpiritu librans. Perſtat in eadem metaphora, ſi enim in

Digitized by Google

aliquam partem incautiùs inclinant funambuli, baculo præponderant, ne præcipites ruant: ita Orthodoxi ſubtili parabolarum explicatione de caſtitate ludunt, & ruentem erigunt.

In gradu totus es? Funambulorum induſtria in eo maximè ſita eſt, vt pedem figant firmiter: funemque ob hanc cauſam diu tentant.

In ſolido es. Quid times incedere per tenue filum cùm ſecunda te pœnitentia exceptura ſit?

Suis non Ethnicis. Si præcipitent Chriſtiani & à fide decidant, Deus ſinum ſubijciet, ne comminuantur.

Secunda te pœnit. Quia prima erat ante Baptiſmum.

De mœcho Chriſtianus. Qui poſt Baptiſmum peccat, indumentum ſpiritus ſancti, cæteraque lauacri beneficia amiſiſſe cenſetur, atque adeò non habebatur in numero Chriſtianorum.

Quæ ſola mœchos amat. Quæ ſola docet eis ignoſcendum eſſe.

Et inde patrona ſociorum. Nihil mirum ſi adulteris faueat adultera.

A quâ & aliàs initians. A quâ rurſus baptiſans, pœnitentia enim ſecunda Baptiſmi vim obtineret, ſi omnibus omnino peccatis veniam procuraret, ita explicandum duxi, quòd in Paſtore de ſecundo Baptiſmo nulla fiat mentio.

Proſtitutorem & ipſum. Ego remota parentheſi ſenſum clariorem eſſe affirmo, ait enim ea parabolæ explicatione diſciplinam omnem fidemque Chriſtianam (quam ſexcentis locis, ne dicam præcedenti capite, Chriſtianum ſacramentum vocat) corruptum iri.

Meritò & ebrietatis idolum. De ieiunijs: ait libidinem ebrietatis ſororem eſſe. *Monſtrum*, inquit ille, *ſcilicet haberetur libido ſine gula*, & cap. 7. ait eſſe: fundamenta luxuriæ de ſpectaculis cap. 10. *Sed Veneri & Libero conuenit. Duo iſta dæmonia coniuncta & conſpirata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis, itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt*, de ieiunijs, *appendices ſcilicet gula, laſcinia atque luxuria.* Et certè nulla re ebrios magis tentari, quàm libidine, Petronij matrona exemplum dedit: quapropter imaginem illam ebrietatis Deam eſſe inſulsè iocatur, quòd ebrijs ſcilicet vt mœchis propitia eſſet, reſque eorum procuraret: & argumentum præberet vtriſque mœchis & ebrijs pacis relaxandæ. Cæterùm plurimum

Digitized by Google

mum ab ijs diſſentio qui aiunt, Tertullianum hoc loco imagines Chriſtianorum & Orthodoxorum idola vocaſſe & exiſtimaſſe: nam eadem ratione vocat imaginem illam idolum ebrietatis, qua eandem appellat mœchiæ & fornicationis aſylum; metaphoricè ſcilicet, vnde nihil validum aut firmum inde deduci poteſt, niſi imagines eiuſmodi mœchis & ebrijs fauere: Denique vnde effodiunt Montaniſtas imagines atque earum vſum damnaſſe?

De quo nihil lubentiùs bibas. Locus monet, vt aduerſarios interrogem quid in Chriſtianorum calice exiſtiment contineri quod libentiùs bibendum ſit, potiuſque atque vtilius multò ducendum, quàm peccatorum venia: tam præclarè ſcilicet atque magnificè de vana illa figura locutus fuiſſet Tertullianus? Obijcit itaque orthodoxis, vel quod pluris faciant imagunculam ex qua argumentum pœnitentiæ deducant, quàm pretium redemptionis noſtræ, vel (qui ſenſus mihi magis placet) quòd ſanguinis noſtri ſacrificio, nihil magis obtinere nitantur quàm mœchorum pacem & veniam.

At ego eius Paſtoris. Huiuſce capitis extrema verba, interpretationis lucem deſiderant, quorum hanc ſententiam eſſe opinor. Si primæ Pœnitentiæ dignos fructus fecimus, vt faciendum monuit D. Ioannes (cuius verba de Pœnitentia ante Baptiſmum accipienda ſunt) nihil opus eſt ſecunda, neq; mœchis quidquam remittendum erit: dignos enim feciſſe fructus cenſendus non eſt, qui ad ingenium redit, neque peccare vnquam intermittit. Hæc & ſimilia in autore noſtro inuoluta, obſcuraque nunquam faciliùs euoluas aut illuſtres, quàm ſi eius mentem potiùs, quàm verborum ordinem expendas.

CAPVT XI.

VT *cùm peccatrici.* Impudicam eam exiſtimauit Tertullianus, quod ex Euangelio certum non erat.

Quod nemini facile. Nemini facile eſt in aliorum intimas cogitationes intueri.

Soli Domino hoc lib. ho. Nil mutandum, neque datiui caſus eſt *indulgentia*, vt ſomniauit nouus Commentator: ſenſus enim eſt ſoli Domino hanc poteſtatem competere, quamque exercere ne-

Digitized by Google

minem deceret qui eam habere miraculis non oſtenderet: quare ait hæc exempla Magdalenæ & Samaritanæ, nihil aduerſarijs prodeſſe, etſi eæ eſſent Chriſtianæ, quòd nihil ampliùs probent, quàm autoritate condonandi eum vſum eſſe, qui omnipotens eſſet: hodie igitur operetur poteſtas indulgentiæ eius, id eſt, hodie eſtne apud nos ſimilis poteſtas?

Ante repertum ordinem fidei. Ordinem eorum quæ vt in fidelium numero haberentur: doceri ſcilicet, pœnitere, ſatisfacere, baptizari, aliaque quæ Dominus poſt reſurrectionem inſtituit: fides enim ait Autor, à fide pœnitentiæ incipit, gradus ætateſque habet.

Nemo ſanctus. En ratio quamobrem nonnunquam apud Patres reperies Chriſtianos vocari ſanctos, quia impoſitione manuum reuera ſpiritum ſanctum accepiſſe, atque in eis habitare exiſtimarent.

Capvt XII.

Alium Paracletum. Quia ſcilicet ijſdem legibus fidem, diſciplinamque Chriſtianam non regerent.

Quem nec in prophetis. Spiritum in prophetis non agnoſcere eſt Montani, Priſcæ, Maximillæ reuelationes reſpuere: aduerſus Praxeam: *Epiſcopum Romanum agnoſcentem iam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ.* Quare neceſſe eſt de ijs Iunium intelligere, non de veteri teſtamento. Eorum igitur ſenſus eſt, Orthodoxos ex Apoſtolorum actis ſententiam ſuam ſtabilire non poſſe, & quem per Apoſtolos ſpiritum ad ſe perueniſſe iactarent, ex eorundem ſcriptis manifeſtum eſſe eos non recepiſſe: neque eius ductu & autoritate Eccleſiam regere; quòd ſcilicet in ijſdem actis alias longè diſciplinæ leges regulaſque dixerint.

A quibus obſeruando rectè agitis. Vectante vos ſpiritu ſancto. Sufficit & hic ſeruatum eſſe mœchiæ & fornicationi locum honoris &c. Ioſephus Scaliger in Manilij Aſtronomica pag. 451. conatur hunc locum Tertulliani emendare, hoc modò. A quibus obſeruando rectè agetis. Vectate vos. Spiritui ſancto ſufficit & hic ſeruatum. In Græco, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. Ἔρρωσθε. Ergo vectate vos, eſt ἔρρωσθε. Vulgata lectio quàm ineptè cõcepta? A quibus obſeruando rectè agitis, vectante vos ſpiritu ſancto. At-

Digitized by Google

qui ſpiritui ſancto legendum. Nam repetit quod ſuprà initio præmiſſum, *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis.*

Immò vulgata lectio rectè concepta eſt, & Scaligeri coniectura merum eſt ἔκτρωμα ingenij nimis præproperi καὶ τὰ ἀκίνητα κινοῦντος. Vetus enim lectio ſic habet in quibuſdam codicibus manuſcriptis Actorum vel ipſo teſte Theodoro Beza, εὖ πράξετε φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quam vertit ad verbum Tertullianus, benè agetis vectante vos Spiritu ſancto, melius quàm Beza, verſantes in Spiritu ſancto. Adſtipulatur in parte vetus interpres Irenæi, qui hunc eundem locum ita citat li.3. aduerſus hæreſes c.12. A quibus cuſtodientes vos ipſos benè agetis, ambulantes in Spiritu ſancto. Legit nimirum, εὖ πράξετε πορευόμενοι ἐν ἁγίῳ. quod idem valet, atque illud Tertulliani *vectante vos*: non autem, *vectate vos*, quod nuſquam legit apud vllum probum Latinitatis auctorem Scaliger, hac notione, vt ſcilicet idem valeat, quod ἔρρωσθε, quaſi de optima corporis conſtitutione ſit dictum: immò alteram illam vanam lectionem exprimunt iſta non verbum ἔρρωσθε, & ſi nullo alio tibicine fulciatur hæc obſeruatio nouæ Latinitatis Scaligeri, admodum ruinoſa eſt & lubrica.

Compenſatio autem reuocabilis non eſt, niſi quæ mutua compenſatione data ſunt reſtituantur, ideò ait, *iiſdemque reuocabitur.*

Sed non leuiter. Errat Pamelius cùm ait, Auctorem alludere ad illud Ioannis 20. *Accipite ſpiritum ſanctum*: nam mandatum illud Apoſtolorum, *Abſtineri à ſacrificijs & à fornicationibus & ſanguine*, vocat pactum ſpiritus ſancti, aitque ſpiritum ſanctum his verbis nobiſcum tranſegiſſe & cætera antiquæ legis onera remiſiſſe, ſi modo à ſacrificijs, fornicatione & ſãguine abſtineremus.

Etiam vltro pactus. Hoc pactum vtile fuit Chriſtianis eáque nobis gratiâ multa remiſſa ſunt.

Iteratione mœchiæ. Tametſi compenſationem reſcindamus, tamen cauendum erit à mœchia & fornicatione, quia veteris Teſtamenti leges ſuccedent & obſeruandæ erunt quæ in eas animaduertunt.

Tota lex ſumetur. Rurſus ſubeundum erit antiqui Teſtamenti iugum, nam ijs legibus & conditionibus dicta eſt compenſatio: quæ ſi diſſoluatur quod priùs debebas repetetur, & iiſdem quibus anteà legibus, teneberis.

Digitized by Google

Nouiſſimi teſtamenti. Hoc Apoſtolorum reſponſum & ſtatutum, teſtamentum vocat nouiſſimum.

Hinc eſt quod neque ido. Leges Apoſtolorum circa idololatras obſeruatis & homicidas; quorum cauſa cum mœchis coniuncta cùm ſit, communem exitum habere debet. Errat Bonus Pamelius cùm hæc ad calumniam pertinere ait.

Capvt XIII.

D*E modica s. iud.* De modico delicto & remiſſibili ait epiſt. 2. ad Corin. cap. 2. mētionem fieri; non autem de irremiſſibili & fornicatione, quæ etiam tum non remittitur niſi cæteros monendo, ne in tale diſcrimen inciderent & nominatim peccatum exprimendo.

Quæ ſi forte nunc æſtimaretur. Legendum putarim *quæ ſic fortè*, ſenſumque eſſe de modicis illic agi delictis & quæ caſtigationem, non excommunicationem mererentur, quæque hodie ſic corrigerentur & æſtimarentur, vt grauiori quàm verborum obiurgatione digna non cenſerentur. Priora ſi mauis hunc ſenſum cōficient: ſi ex ritibus veſtris & formula qua etiam hodie peccatores abſoluitis, Apoſtoli verba examinentur, locus omnis erit de modicis delictis explicandus: quia neque nominatim peccatum illud publicum indicat, neque cæteros ex illius peccatoris exemplo mouet, quę omnia ſcilicet omittebantur in caſtigatione ſiue, cùm minora quæque delicta condonabantur.

Sine prædicatione. Peccatum illius, qui veniam palam & nominatim indicabatur, quia erat publicum, publica pœnitētia meritus eſſet, cæterique eius exemplo ab Epiſcopo monebantur ne tale quid admitterent: hæc igitur vocat ſignificationem & prædicationem, quorum cum Apoſtolus rationem non habuerit, veriſimile ait eſſe, eum de modicis delictis agere.

Et tu quidem, ad hominem: cùm fornicatori indulges, tum maximè concionaris & peccatum denotas: quamobrem igitur vis Apoſtolum de fornicatore illic ſententiam dixiſſe, vbi peccati genus non deſignat, neque ceteros exēplo illius à peccato deterret?

Inque cùm hominis exitum. Differebant de pœnitentia illius quē in Eccleſiam reducebant, aiebantq; ſpem eſſe, vt Deus ei ignoſce-

Digitized by Google

ret, cuius miſericordia pœnitenti nunquam denegabatur.

Capras fornicatorem, capram, non ouem eſſe iocatur, & certè Tiberius ob libidinem Caprineus dictus.

Habitum legatum, quòd fratrum miſericordiam moueret.

Nihil de poſtero ſit comminatus. Non ei comminatus ſit perpetuas ærumnas, perpetuamque excommunicationem ſi rurſus peccaret: tertiæ enim locus non erat pœnitentiæ.

Quaſi ſatisfaciens. Tantum abeſt vt pœnas ei æternas ſi rurſus eodem incideret, vt cæteros, cùm abſoluerētur, moris erat monere, quin potiùs rogando fraternitatem vt eum diligat, videtur ei ſatisfacere velle quòd eum increparit.

Sed verebatur. Hæc & cætera quæ præcedunt *ſi, & hoc tangunt*, ex ſententia orthodoxorum dicta ſunt.

Igitur & conſecutum, in hac 2. epiſtola.

Iam à fide, à Baptiſmo.

Ethnici & hæretici. De hæreticis intelligendum, qui extra Eccleſiam abluti fuerant; ad eam enim redeuntes illis temporibus rebaptiſabantur & veniam omnium delictorum conſequebantur.

Super ethnicos. Qualis nec inter gentes.

Denique in interitum. Erant qui reſurrectionem carnis negarent, atque adeò qui ea Apoſtoli verba de perpetuo interitu & corruptione interpretarentur, ad quæ hæc referenda ſunt, non autem ad Autorem vt ait Pamelius; Nam eam interpretationem vt ineptam refellit, ex qua nempè conſtaret animam ſine carne iudicari poſſe.

Ergo pœnam ſine carne. Locus is mihi ſemper viſus eſt difficilis: nam quam, aut cuius pœnam? nonne docuit in diem Domini animas ſequeſtrari, eaſque corpore expeditas dolere poſſe? de Reſur. c.17. de anima cap. 55. quare de pœna quæ iudicium præcedet locus non eſt accipiendus: nihilo magis de ea quæ ſummo iudicio impendebat: nam illi ipſi quorum hîc ſententiam explodit, illius animam Corinthij ſaluam aiebant, & pœnæ expertem fore: nihil magis exploratum habeo, quàm eum per *pœnam* iudicium intellexiſſe; vt enim damnatorum cruciatus, aliquando vocat iudicium, vt de Pœnit. cap. 12. *Quod nobis iudicij perpetuitatem probat*: Ita hoc loco pœnam pro iudicio vſurpat, deinde ex eius oratione id colligi poſſe videtur: eum enim, quem in die Domini tutum fore

Digitized by Google

dixerat, eundem in pœna ait ſaluandum: & quod anteà diem Domini, *Saluus ſit in die Domini*, pœnam poſteà appellat, *ſaluus ſit in pœna*. Multis prætereà rationibus compellor id affirmare: primùm quòd pluribus doceat vtramque hominis partem, & corpus & animam, repræſentandam eſſe iudicio Domini, quod nonnulli Chriſtianorum negabant. Deinde quòd diem illum vſque adeò pertimeſcerent vt pro mora finis, vt ipſe ait, orarent.

CAPVT XIV.

I*N præſidentis officio*. Epiſcopi cuius erat ſæuire & parcere: eijcere & admittere.

Sacramento benedictionis. Chriſtiani vt milites ſæculi ſacramento tenebantur. D. Cyp. ep. 74. *Dominicæ militiæ ſacramenta ſoluuntur*. Autor ad Mart. cap. 3. *Vocati ſumus ad militiam Dei viui, iam tunc cùm in ſacramenti verba reſpondimus*. De Orat. *Nam & militia Dei ſumus*. *Exautoratus* igitur eſt militia remotus, vt interpretatur Menander lib. 2. de re mili. in l. qui de libertate 29. ff. de liberal. cauſis.

Si inceſtus. Si dicas inceſto indulſiſſe.

Quòd pronunciatione. Iudex quam tulit ſententiam, mutare non poteſt. M. Seneca lib. 7. Cont. 8. *Iudex quam tulit de re tabellam reuocare non poteſt*. Vlp. in l. iudex. ff. de re. iudi. *Hoc iure vtimur, vt iudex qui ſemel vel pluris vel minoris condemnauit, ampliùs corrigere ſententiam ſuam non poſsit*. Idem ferè Calliſtratus in l. diu 29. ff. Pœni. Sed tamen quod prætor interloquendo pronuntiauit id mutare poteſt. Celſus in l. quod iuſſit ff. eod. tit. ff. de re iudicata, *quod iuſsi, Prætor vetuitve contrario imperio tollere poteſt*. Vtrumque hic ſignat Tertul. nihil iuuare ſi iudex ſententiam reuocet, niſi forte quid interloquendo pronuntiarit, quaſi dicens interlocutoriam ſententiam, non definitiuam poſſe reuocari.

Ne conſuetudini, cùm gentilis eſſet.

CAPVT XV.

A*D intentationem*, comminationem, *intentant omnia mortem*, præced. cap. *intentatione virgæ*.

Digitized by Google

Nonne conſtanter B. Paulus videlicet.

Et viderint idolo. viderint idololatræ, an debeant in Eccleſiam admitti, quandoquidem ipſe templi Dei violator (id eſt fornicator) recipitur.

Immunditiarum gurgiti manum. Corinthio inceſto parcis & fornicatoribus.

Non vtique recipiendos. Minimè voluit Apoſtolus, vt fornicatoribus atque ipſi Corinthio parceretur, non enim diceret timere ne eos reperiret, ſi eos recipi iuſſiſſet.

Pænitentiam perderent. Perpetuam agerent & ſine ſpe veniæ.

Humaniori reo, minoris delicti reo, locum enim 2. ad Corin. 2. de eiuſmodi delictis interpretatur.

CAPVT XVI.

Moechus denuo futurus. Cõmunicando ſcilicet cum mœcho; qui enim cum peccatore communicabat, eiuſdem criminis reus cenſebatur.

Vt in rem tuam. Membra noſtra ſunt membra Chriſti, vnde concludit fornicatorem peccare in rem Chriſti, atque adeò fornicationem non poſſe ab hominibus remitti.

Huius boni fibulam. Quod paulò antè notarat, *Bonum eſt homini mulierem non contingere.*

Quàm erogatorem, interfectorem; *erogare* enim apud Tertull. eſt interficere & perdere.

Benedictionis concubitum: matrimonium quod benedictione obſignabatur: omnibus enim ſacramentis benedictio ſemper adhibebatur: de Bapt. *Manus imponitur per benedictionem.*

CAPVT XVII.

Notans denique. Tametſi Apoſtolus de Ethnicis loquatur Ephe. 4. tamen obliquè carpit eos qui eoſdem mores & vitia ſequebantur: quare rectè Tertul. ait Apoſtolum alloqui eos qui factis Chriſtianos ſe eſſe negabant.

Vnum illud, exemplum Corinthij.

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

E*T addictionem omnis impudicitiæ.* Suaderē legendum, *Et adiectionem omnis pudicitiæ*. Nam quæ ſequuntur neceſſariam hāc eſſe correctionē demonſtrant: Reſpondent Orthodoxi, ea omnia quæ ex D. Paulo præcedenti capite accumularat Tertullianus, ab eo quidem dicta nō ſolū vt impudicitiam prohiberet, ſed etiam vt adijceret aliquid antiquæ legi in commendationem pudicitiæ: & perfectiores hac in re Chriſtianos redderet Iudæis. Quibus occurrit Tertullianus & docet in antiqua lege cauſis eiuſmodi cōmunicationem Eccleſiaſticam (id eſt veniam) negatam fuiſſe. Quod Tertulliani reſponſum ſi cum Orthodoxorum verbis cohærere & conuenire debeat, neceſſariò correctionem noſtram probabit. De Pœnit. cap. 3. eadem loquendi ratione vſus eſt. *Denique Dominus quemadmodum ſe adiectionem legis ſuperſtruere demonſtrat.* Deinde ait D. Paulum hæc omnia in impudicos ex veteri lege deſumpſiſſe.

Hinc igitur informatus & Apoſtolus, vt dilueret ſcilicet quod aiebant orthodoxi, commendari pudicitiam ab Apoſtolo, vt Chriſtianæ leges Moſis perfectiores haberentur.

Cuius & poſteà vox, beati viri.

Hoc de Eccleſia m. agentium, ait beatum virum (Chriſtum ni fallor) de Epiſcopis malè agentibus, id eſt, qui venia fornicatores donarent, hæc locutum eſſe, quare nihil mutandum: ſæpiùs enim Epiſcopos & ſacerdotes Eccleſiam appellat.

Vt ſolus plures. Vt ſolus beatus ille vir, plures impios fugit ne peruertatur, alludens & reſpiciens ad id quod initio dixerat, *Quaſi non facilius ſit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur.*

Nedum Euchariſtiam modicam. Illis non aſſentior qui *medicam* aut *edicam* reponunt, ſed libris manuſcriptis qui conſtanter habent *modicam*. Argumentatur enim à minori, quod aiunt, ad maius, docetque multò minùs Euchariſtiam cū mœchis, quam cum iiſdem cibum ſumendum eſſe: quod tamen vetuit Apoſtolus: ne ſcilicet hęc modica communicatio totam Chriſtianorum maſſam corrumpat. Itaque hoc adiectum & nomen, tribuit Euchariſtiæ, quod Apoſtolus fermento dederat: quia ſi cum mœchis ſumatur

fiet

Digitized by Google

fiet fermentum modicum, quo Chriſtianorum corpus, ijſdem mœchis commixtum & concorporatum per communionem inquinabitur. Ad hæc etiam ampliùs intelligenda, plurimum intereſt obſeruare maiores illos, non ſolùm fugiſſe conſuetudinem ne peccarent; ſed ne eorumdem peccatis & noxis inficerentur.

Manus nemini. Pœnitenti bis manus impoſitas fuiſſe dicemus pluribus.

Ambitu Omnibus pœnitentiæ officijs Eccleſiam placare nitebantur, quod vocat ambitus.

Demonſtrationem ſui. Locus, quantum conijcio, corruptus; ſed de eius ſententia non minùs conſtat, ait enim ſub conditione mœchos non damnari, & Chriſtum abſolutè pronunciaſſe, ſi tamen more ſuo, vocem, *ſui*, pro *eius* poſuit, hic ſenſus conſtabit eius demonſtrationem, clementiæ ſcilicet diuinæ, Apoſtolus poſt fidem lapſis ita diceret.

Capvt XIX.

T*Otius ſacramenti.* Totius fidei & religionis.

Inſtitutione deceptum. Natum & inter hæreticos & educatum, nam alijs hæreticis tametſi pœnitentibus, tamen non ignoſcebatur, ſi grauiorum criminum rei comperiebantur.

Cognita poſt ea & pœn. Quia ſcilicet eos & catechumenos vitæ anteactæ pœniteret, fideique rudimentis vtrique formabantur.

Immò & ſuper. Faciliùs ac citius.

Vtroque homine. Hæretico ſcilicet & pagano. Nam hæreticus qui apud orthodoxos baptiſmum nō ſuſcepiſſet, duplici inquinamento, hæreſeos nempè & primi parētis, infectus credebatur, quo per baptiſmum, cū rediret ad Eccleſiam, purgabatur: Baptiſmum enim non probabat Tertullianus. Ideo ait *vtroque homine*, alludens ad verba Apoſtoli.

Aut ſi certus eſt. Aut ſi conſtat poſt baptiſmum, & antequàm in hæreſim incidiſſet eam eſſe allocutum.

Fidem viuam. Orthodoxorum lauacrum: hæreticorum enim mortem potiùs, quàm vitam parere exiſtimabat Tertullianus cum cæteris illius æui.

Sanè agat pœni. Cùm apud Patres habeatur vnam duntaxat à bap-

Digitized by Google

tiſmo eſſe pœnitentiam & idololatris alijſque grauioribus peccatis indulgendum non eſſe: de ea id accipiendum non eſt, quæ ab Eccleſia præcipiebatur & decernebatur, quaque peracta & expleta, fidelibus cæteris reſtituebantur peccatores: nam tertiam quantumuis poterant inuadere, vt Deum æquiorem haberent: non autem vt Eccleſiam placarent: rationem verò eorum quæ in Ep. D. Cypr. ad Anto. leguntur explicabimus poſteà pluribus.

Sed in fidem mœchiæ. Id eſt, potuit pœnitentiam agere illa fœmina, non vt veniam & pacem ab Eccleſia impetraret, ſed vt Deo ſatisfaceret & teſtaretur ſe credere mœchiam graue eſſe peccatum.

Aut ſi non ſemper. Hinc habes vnam tantùm à baptiſmo fuiſſe pœnitentiam.

Non quâ delinquamus, ſed quâ. Quantum conijcio prior lectio reſtituenda eſt. *Non quaſi delinquemus, ſed quia non delinquemus*. Nam ait D. Ioannem minimè velle vt peccatores poſt baptiſmum audiantur; neque ob hanc cauſam eum dicere ſanguine nos Chriſti mundari, quaſi admittat poſt baptiſmum cum ſpe veniæ peccari poſſe: ſed nos quidem mundari poſt baptiſmum, quia verè mundatur qui à vitijs abhorret. Boni Pamelij caſtigatio hunc ſenſum corrumpit.

Fraus, negatio. Quod genus fraudis, cùm variæ eius ſint ſpecies, intelligat, non facile eſt diſcernere: D. Cypr. de bono Patien. ait fraudem mortale eſſe crimen quam poſteà ita explicat. *Nec iuſtitiæ dicata innocentia contagione fraudis inficitur*. An genus fraudis eſſet depoſitum negare quod à Chriſtianis, vt ait Plinius, cauebatur: Idem D. Cypri. lib. 3. Ep. *12. Fraudes & rapinas feciſſe*: & Autor ad Scapulam. *Depoſitum non abnegamus*. Denique de idolo. cap. 1. per fraudem rapinas intelligit. *Fraudis conditio ea eſt, opinor, ſi quis alienum rapiat, aut alij debitum deneget*.

Capvt XX.

R*Vrſus reuocari*, in Eccleſiam.

Introitum ſacerdotum. Vt domus ſimilitudinem, in infidelem potius, quàm in Chriſtianum referat ſacerdotis miniſterium, *introitum* vocat.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

P*oteſtas adſignat ſeorſum.* Diſciplinam à poteſtate differre ait, quòd illa quid agendũ ſit doceat, hæc verò ſeparatim oſtendere debeat factis vel miraculis, quam vim aut imperium à ſpiritu ſortita ſit. Itaque legendum conijcio, *Seorſum quod poteſt à ſpiritu: ſpiritus autem Deus* (vox enim illa *autem*, ſpiritum iterum ponendum eſſe indicat) *Adſignare* verò eſt docere: de præſc. *Nationibus fideliter adſignarunt.*

Hoc ſolius ipſius eſt. Nil muto; nam ad ſolum Deum hoc pertinere ait; Domini enim non famuli eſt ius & arbitrium Dei ipſius non ſacerdotis. D. Cyp. de lapſis. *Nemo ſe fallat, nemo decipiat: ſolus Dominus miſereri poteſt, veniam peccatis quæ in ipſum commiſſa ſunt ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo eſſe Deo non poteſt maior, nec remittere aut donare indulgentia ſua ſeruus poteſt quod in Dominum delicto grauiore commiſſum eſt.*

Prophetica exempla, miracula.

Cares ea virtute. Cæteros Epiſcopos eadem vult carere, quare nihil ad Summum Pontificẽ, neque magis eum quàm cæteros inſectatur, niſi quòd ille declararit Epiſcopos poſſe veniam indulgere.

In Prophetis nouis. In Montano, Priſcilla & alijs Montaniſtis.

Quid ſi Pſeud. Ex ſententia Orthodoxorum hæc ſibi obijcit, quibus mox reſpondet.

Ius Eccleſiæ. De Eccleſia igitur eſt controuerſia, non de Pontifice maximo.

Id eſt ad omnem Ecc. P. pro. Seipſum interpretatur; poſtquàm enim dixit *ad te*, ſtatim addit, *ad omnem Eccleſiam Petri*; ergo loquitur de omni Eccleſia Petri propinqua, ei negat ligandi aut ſoluendi poteſtatem eſſe: hanc in participatum earum gratiarum veniſſe inficiatur, quas D. Petro Deus impartitus eſt, non Zephyrinum, non S. Pontificem: nunc quid ſibi velit *propinquam* expendamus: credo eo loci vocabulum illud non vicinam, ſed affinem, aut quaſi agnatam & gentilem, ac ab ipſo Petro deſcendentem ſignificare. Proinde intelligi Eccleſias quæ ab Eccleſia Romana

Digitized by Google

tanquam à matrice erant propagatæ, quales erant Occidentis,id eſt Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Hiſpainarum, Germaniæ, Galliarum, Italiæ, Britanniæ, de quibus præcipuè mentionem fecit, quia apud eas hoc erat controuerſum: lege de præſcriptionibus, vbi vtitur frequens eiuſmodi loquendi formulis, quas cùm non caperent quidam hæreticorum, hunc locum ridiculè expoſuerunt, Mornæus tractatu Eccleſiæ pag. 235. & 279. *Omni Eccleſiæ quæ vicina & proxima erit Petro*, atque ibidem, *omni Eccleſiæ quæ accedit ad Petrum.*

Non Eccleſiæ. Hoc igitur erat in quæſtione an Eccleſiæ, non autem an S. Pontifici hæc poteſtas conceſſa eſſet.

Alligantur quæ non, id eſt (ſecundùm eius mentem) tenemur baptiſmo obſeruare ea ex veteri lege, quæ non ſunt antiquata.

Secundùm Petri perſonam. Exiſtimat ſe probaſſe, ea omnia quæ Diuo Petro dicta ſunt, vti *Petre amas me, paſce oues meas. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſimilia vni duntaxat Petro, non autem Eccleſiæ cōceſſa eſſe: vnde ſequentibus hiſce verbis concludit, horum etiam ſpiritualibus hominibus poteſtatem factam eſſe, id eſt Montano & Montaniſtis, quando eodem ſpiritu imbuti eſſent.

Et quidem tuam Pſychice? Orthodoxorum: ait enim non *Eccleſia, numerus Epiſcoporum*, quæ de vna Romæ Eccleſia intelligi nequeunt.

Nam & ipſe Eccleſia. Reponendum cenſeo cum cæteris *ipſa & Eccleſia ab Autore*, ſenſus eſt ſpirituales homines, id eſt, Montanum eiuſque Prophetas grauia poſſe condonare delicta: quia hæc poteſtas ſpiritui ſancto competit, qui præcipuè & principaliter eſt Eccleſia.

Ideò Eccleſia. Cōcedit Eccleſiam delicta remittere poſſe; ſed eam ſcilicet, quæ eſt in patre, filio & ſpiritu ſancto: non autem eam quæ ex numero Epiſcoporum componitur. Singula quæque interpretemur.

Ipſe eſt ſpiritus. De baptiſmo, de oratione, & hoc loco: ait Eccleſiam eſſe in patre, filio & ſpiritu ſancto: hoc vnum hîc addit eam præcipuè in ſpiritu eſſe, quia tres illas perſonas mutui amoris vinculo vnire videtur.

Digitized by Google

Non Eccleſia numerus Epiſcoporum. Inſignis locus ad autoritatem Epiſcoporum ſtabiliendam, cuius ſententiam cùm non caperet Mornæus, vti rectè animaduertit magnus ille Cardinalis in libellis aduerſus eundem Mornæum in Eccleſiam eiuſque Rectores imperitè detorquet. Nã ex hoc loco optimè deducitur, maiorem tunc temporis Eccleſiæ partem atque autoritatem in Epiſcopis lucere, negat enim Tertullianus Eccleſiã delicta indulgere poſſe: atque cùm eam ipſam Eccleſiam explicat, docet eam eſſe in Epiſcopis. Et quamuis indulgendi autoritatem ei detrahat, non negat tamen eam in Epiſcopis poſitam eſſe, immò idipſum confirmat cùm ait ad primam Eccleſiam, id eſt, Trinitatem vis condonandi pertinere, non autem hanc Eccleſiam quæ in Epiſcopis conſpicitur.

Domini enim eſt vis. Quod initio capitis affirmarat, *hoc ſolius ipſius eſt.* Vnde argumentum deducit Epiſcopis id iuris non eſſe.

CAPVT XXII.

AT tu & in Martyras. Si vni hanc ſibi poteſtatem adſciuiſſet S. Pontifex, vt aiunt Aduerſarij, in martyres eam ne effudiſſet? *Tuos* autem *martyres* dixit, quaſi exprobrans martyres non alios habere Orthodoxos, quàm quos paulo infrà ait recuſare martyrium. De martyrum verò authoritate & quomodo peccata condonarent in obſeruationibus dicemus: Porrò hîc quatuor martyrum genera perſtringere videtur: eorum primum qui in libera eſſent cuſtodia aut à milite obſeruarentur, ſecundum qui in carcere detinerentur, tertium deinde ponit eorum quos metalla haberent. Denique veros Martyres recenſet.

Vt quiſque ex conſenſione. Autorem ex *confeſsione* ſcripſiſſe ſunt qui exiſtiment, verùm ſi mutare aliquid liceret, legerem ex *concuſſione.* Hoc enim lucri genus milites habebant, vt à Chriſtianis, ne Prætori referrent aut in carcerem eos conijcerent, pecuniam extorquerent. Autor de fuga in perſecutione: ait igitur vbi ex concuſſione & ſpe prædæ aliquis Chriſtianorum interceptus eſſet, & cùm nondum eſſet coniectus in carcerem, eum mox fornicatores adire, orare precibus & lacrymis finem non priùs facere, quàm delicti ſui pœnam ab Eccleſia deprecaretur. Sed vulgata etiam lectio

Digitized by Google

probari poteſt, cùm enim aliquis Chriſtianorum, aut in carcerem, aut ad ſupplicia raperetur, non deerant qui ſponte ſeſe Præſidibus offerrent & pro eodem nomine & fide mortem vltro oppeterent: de his meminit B. Iuſtin. Autor ad Scapulam, D. Cy. Epiſto. 1. li. 1. *de fratrum conſenſione creuiſſe*. Ad eam enim audaciam comprimendā nonnulli in vincula conijciebātur, ad Scapulam, *paucis duci iuſsis*, quos hoc loco ex conſenſione vincula induiſſe ait Tertull. Quidquid ſit certum eſt, eum loqui de martyribus quos conueniebant peccatores antequam carcere detinerentur.

Mollia, vt eorum meritum minoris æſtimetur.

Nouo cuſto. nomine. Statim atque intercepti ſunt & antequam quicquam paſſi ſint: quod ait vt oſtendat quàm facilè ea poteſtate abutantur orthodoxi, eam videlicet eiuſmodi martyribus concedendo, qui nihil paſſi eſſent.

Nec vlli magis. Nulli magis martyrium recuſant & pecunia libertatem à Præſidibus & concuſſoribus paciſcuntur quā qui Eccleſiā perdunt, fornicatores ſcilicet ſuis commendationibus in eam reducendo: quod ait vt oſtendat quàm turpe ſit eiuſmodi martyrum commendationem adiumento eſſe fornicatoribus. Ex quibus liquere videtur lectionem illam quam repoſuimus *ex concuſsione*, retinendam eſſe, cùm dicat eiuſmodi martyres pecunia carcerem redimere.

Violantur. Quantum coniectura poſſum conſequi de alio martyrum genere loquitur, nempè de ijs qui verè in carcere cuſtodirentur, ad quos ait viros & fœminas reptare magis, vt libidinem ſuam in tenebris carceris explorēt, quàm vt veniam impetrarent, *reptare* enim, eſt per tenebras ambulare: de pœnitentia, *Quique catuli infantiæ adhuc recentis nec perfectis luminibus incerta reptant*.

De ſua periclitantur. Eiuſmodi martyres; propterea quòd intercederent pro fornicatoribus, aut quòd in tenebris turpiter laſciuiſſent.

Alij ad metalla conf. Alij fornicatores ad martyres qui ad metalla damnati eſſent confugiunt.

Et inde communicatores. Pace ſcilicet impetrata per martyrum commendationem ſacrorum participes erant.

Vbi iam aliud. Quàm abſurdum ſit eos qui in fodinis agerent peccata condonare, vel inde probat quòd nouis quotidie peccatis

Digitized by Google

delinquerent, & venia magis indigerent quàm ij quibus eam indulgebant.

Denarijs ſup. medico obnoxius & fœneratori. Iunij vnguenta, ſi D. Cypr. audiamus ep. 25. li. 4. in fodinis cõuenire non videntur, quare aliud ſubodorandum eſt, nempè autorem vitæ humanæ miſerias, conſuetudinem, cõmercia & vſum recenſere; vt doceat eum vitijs carere non poſſe qui ijs obnoxius eſſet, & qui cum fidelibus non ageret. De anima cap. 56. inter mortalium incommoda & ſtudia fœnus & valetudines commemorat. *Fœnus exprimat, ægritudines obeat: denarijs* autem *ſupplex*, quia eleemoſynis ſibi victum ab Ethnicis quæritabant. Verùm ſi liceret aliquid mutare, legerem *mœcho obnoxius & fornicatori.*

Puta nunc ſub gladio. Vbi abſurdum eſſe oſtendit qui ex confeſſione aut cõcuſſione intercepti eſſent, quique in carcere & metallis pœnas darent, fornicatoribus indulgere quòd immeritò martyres exiſtimarentur & culpa non vacarent, his adiungit veros etiam martyres condonare non poſſe *delicta* quæ Deo reſeruata eſſent.

Capite librato, extenſo, vel parato ad ictum.

In ſtipite leone conceſſo, non leoni, concedere vrſum, canem, & leonem latinè dicitur: in ſtipite autem dixit quia moris erat eos ſtipiti alligare, vt faciliùs & crudeliùs laniarentur à valentiſſima beſtia, Euſeb. in vita Polycarpi.

An incendio adſtricto. Ibidem Euſebius ait D. Polycarpum clauo ſtipiti adſtrictum fuiſſe.

Quòd ſciam martyres. Paulus poſtquam omnes nauis & militum miſerias & indignitates perpeſſus eſt, inceſtum damnauit.

Sanctus. Maiores illi fideles & ſacerdotes ſanctos aliquando vocant, quod eſt omni venia carere.

Habeo etiam nunc quo probem Chriſtum. Ea non vſum fuiſſe poteſtate, niſi quia miraculis hoc ſibi licere probaſſet. *Itáque ſi dicant martyres*, aliena ſe delicta delere poſſe; quia peculari aliquo numine correpti ſunt, aut quia Chriſtus in eis eſt, & habitat; debebant ijſdem argumentis, quibus Chriſtus vſus eſt, miraculis ſcilicet, probare hoc ſibi licere.

Chriſtus in martyre eſt. Chriſtum peculiari aliqua ratione martyribus ineſſe exiſtimabant, D. Cypr. ep. 25. lib. 4.

Quum tamen mœchis. Hæc nonnihil obſcura videntur, nihi-

Digitized by Google

lominus ex his & ſequentibus, nihil aliud elicere conatur, quàm martyrium eſſe baptiſma, quo impetrato hanc conficit probationem; ſi martyrium eſt baptiſma, multo magis primo lauacro aliena condonanda erunt debita, quàm ſecundo: verùm ſummæ dementiæ eſt velle eum qui nondum eſt Chriſtianus, quique apud Deum nihil promeritus eſt, aliijs veniam impetrare poſſe: quare neque ſecundo baptiſmate (id eſt martyrio) aliena crimina ſoluentur. Addit & aliam rationem, quamobrem neque primo, neque ſecundo lauacro alterius peccata remitti queunt; quia ſcilicet ita fieret vt cæteri fideles inficerentur eorum delictis qui in gratiam & pacem Eccleſiæ alterius baptiſmate redirent: hæc enim *ingeramuſque in ſinum*, hunc ſenſum habere videntur: legendum autem exiſtimo, *quòd ſi iam & martyrium aliud eſt baptiſma.*

Ingeramuſque in ſinum neceſſe eſt. Hanc ſententiam cum cæteris interpretibus expiſcatus non fuiſſem, ni ex D. Cypriano lucem aliquam inter legendum animaduertiſſem, cui propter eam, quam cùm Autore conſuetudinem habuit, rem deferre oportuit. Is autem Epiſcopus ad Pompeium contra Stephanum ſic ait, *Hic enim omnium* (hæreticorum) *baptiſmo communicans vniuerſorum delicta in ſinum tuum coaceruata congeſſit.* Quæ vt faciliùs intelligantur, atque vt ex his verba noſtra clariora fiant, ſciendum eſt, priſcorum religionem eam fuiſſe, vt non paterentur vllam inter fideles & excommunicatos ſocietatem aut amicitiam intercedere, quòd ſcilicet ex Apoſtoli ſententia exiſtimarent fideles re vera inquinari poſſe delictis eorum, cum quibus communicarent; vnde operam dabant ſedulò ne cum hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, pœnitentibus, catechumenis, & ſacris qui non admittebantur, aliqua in re communicarent, & ne quidem cum eis quotidianæ vitæ commercio, aut familiari conſuetudine vterentur. Ex hac itaque doctrina & Theologia vtriuſque, & D. Cypriani & Tertulliani, verba exponenda ſunt: ille ait Stephanum, in eos quorum curam gereret, omnium, quotquot eſſent hæreticorum, peccata accumulare; quòd ſcilicet communicando cum eis in baptiſmate & ratione baptiſmi, hac communicatione cæteri fideles inficerentur. In ſimili planè ſententia verſatur Tertullianus docetque ſi aliena peccata cuiuſpiam baptiſmo diluuntur (quod ſupra genus aliquod martyrij eſſe probauerat) futurum, vt ea peccata in

cæterorum

Digitized by Google

cæterorum ſinum ingererentur; atq; ad cæteros fideles pertinerent, qui cum eo communicarent, qui per alterius baptiſmum eſſet abſolutus, & in integrum reſtitutus.

Pœnitentia miſerabilior, venia & miſericordia magis digna.

Proſternens, alludit ad primi, aut tertij gradus ritus, in quo iacentes & humi ſtrati manus impoſitiones ſuſcipiebant, vel pœnitentiam petebant.

Cum ſua infœlicitate, quia non potuit tormentis adigere lapſos, vt verè negarent Chriſtum, ſed verbis tantùm.

Caſta, quia fides in anima illæſa remanſerat.

Non erubeſcente, quia ex animo Chriſtum non negauerat.

Piaculariter, qui peccando negauerant Chriſtum, qui enim fornicatur, Chriſtum negare videtur.

Solis illis, adulteris: non conſideratur infirmitas carnis lapſorum, ſed tantùm adulterorum.

Quæ ſpiritum elidit, quæ gratiā amittit, quæ peccat, quæ animam perdit, lapſorū caro non tam fortis eſt quam mœchorum; quia horum ſpiritum enecat & interficit; illorum verò caro animam non elidit.

FINIS.

Digitized by Google

QVIDAM TERTVLLIANI LOCI EXPLICATI.

TERTVLLIANVS DE SPECTACVLIS. CAP XXIX.

Vis autem & ſanguinis aliquid? habes CHRISTI.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere, quidquid ſit interpretationis aliorum, neque aliter in Tertulliani ſermone vim aut gratiam reperiri arbitror. Chriſtianos namque dehortatur à Spectaculis, eoſque minus decere quæ Nationibus placeant, docet. Voluptatẽ præterea alijs in rebus ponendã eſſe, neque deeſſe in diſciplina noſtra, quo ſeſe oblectent. Si ſcenicæ fabulæ & numeri laudentur, perſonare verſus & Cantica quæ auidas aures permulceant. Pugiles quoque Eccleſiam habere qui virtutes cum vitijs committant & ſuperent. Denique ſi humano cruore delectentur, CHRISTI ſanguine ſitim explere poſſe. Quapropter cùm Chriſtianos dicat habere CHRISTI ſanguinem, quo non minus quàm Nationes cruore vilis animæ & in arena iugulatæ, ſatientur, ad rem magis facere videtur, & comparatione & ſimilitudine magis conueniens de vero calicis ſanguine, eum loquutũ eſſe, quàm de recordatione eiuſdem ſanguinis è cruce ſtillantis.

Digitized by Google

Neque veriſimile ſit arenæ ſanguinem, quem è iugulo ſalientem ipſis oculis haurirent Ethnici & in delicijs haberent, cum ſola memoria ſanguinis excruciati & morientis CHRISTI eum comparaſſe. Adde cùm ſuperiùs eodem libello hoſtias quas immolatas, conuiuijs poſtea adhiberent, non cum memoria corporis CHRISTI crucifixi, ſed cum Euchariſtia ſociaſſe & contuliſſe; *De parẽtato non edimus, quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam Dæmoniorum.* Ad quæ etiam verba ſi animum contentionis vacuum applices, ea ſententiam noſtram confirmare deprehẽdes. Nam cauſam referendo quamobrem de parentato & Sacrificato Gentilium non ederent Chriſtiani, quia videlicet cœnam Chriſti ſumerent vtramque cœnam aliquatenus comparat, & ita vtramque de parentato & Sacrificato præbere: Nationum cœnam de Idolothytis: Chriſtianorum verò ipſa Chriſti carne pro generis humani ſalute immolata & cæſa, inſtructam inſinuat.

TERTVLLIANVS Lib. v. Carminum. Cap. VIII.

Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?
Ante diem quam quum pateretur Paſcha celebrans,
Diſcipuliſque tradunt memorabile factum, &c.

HOc capite in eo potiſſimum verſatur Tertull. vt ſolidum Chriſti corpus eiuſque Diuinitatem per ea quæ geſſit demonſtret: occaſione data ab errore Iudæorum, qui vt Chriſtum Deum, ita eundem hominẽ, negaret Marcion.

Aſpicite errorem qui vos expugnat vtroſque;
Illi Deum, vos falsò hominem, ſine corpore corpus
Dicitis.

Itaque ab his duobus Carminibus quæ præcedens caput claudunt.

Digitized by Google

Namque hominē pariterque Deum tunc facta probabunt,
Commixtum; nec pauca dabit ſignacula mundus.

Incipit Tertullianus probare Chriſtum humana ſimul ac diuina conſtare natura, quod vt exequatur pleráque miracula & facta perſequitur, verbi gratia, eius cruciatus, tormenta, vulnera, cæteraque quæ paſſus eſt, recenſet, quæ in ſpiritum cadere non poſſunt: quorum argumento & indicio concludit Chriſtum nequaquam carnis & corporis expertem fuiſſe, quia eiuſmodi cruciatibus non ſufficit ſpiritus.

Poſtremò Euchariſtiæ miraculum & Cœnæ factum commemorat Tertullianus: quo conſilio, aut quamobrem viderint aduerſarij. Sed certum mihi eſt, & manifeſtum fiet legenti, quidquid intra hos quatuor verſus huiuſce & præcedentis capitis legitur.

Namque hominem pariterque Deum tunc facta probabũt
Commixtum; nec pauca dabit ſignacula mundus.

Non te factorem mundi per facta probauit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?

Hoc omne ad probationem & confirmationem diuinæ & humanæ CHRISTI naturæ Tertullianum inſtruxiſſe. Nam per duo prima carmina apparet eum in hanc probationem deſcendere, & hæc verba futuri temporis *probabunt*, *dabit* confirmant ea quæ ſequuntur miracula ad id demonſtrandum attuliſſe. Deinde duo vltima carmina quid aliud concludunt quàm quod toto capite præſtitit, & conatus eſt oſtendere, nempe CHRISTVM per facta ſua ſe Deum & hominem probaſſe?

Itaque in quamcunque partem ſe ſe vertant Aduerſarij, neceſſe eſt fateantur ex Tertulliani ſententia, per myſterium Euchariſtiæ, nos in cognitionem diuinitatis aut humanitatis CHRISTI, aut vtriuſque peruenire poſſe. Et ob hanc cauſam hæc omnia facta & miracula enumerari à Tertulliano: quapropter vt præſens conſilium in tantis anguſtijs capiant, æquam eis conditionem offero, & optionem

Digitized by Google

facio, vt vel corpus CHRISTI contra Marcionem, vel eius Diuinitatem aduerſus Iudæos hoc Cœnæ myſterio eligant demonſtrari.

Si corpus per hoc memorabile Cœnæ factum malint probari, CHRISTVMque hoc Sacramento veri ſui corporis fidem firmaſſe, quomodo cum ſuo ſigno id conſequentur Aduerſarij? aut quî potuit CHRISTVS ſeſe corporeum verè oſtendere, effœtum modo & vacuum cõficiendo ſignum?

Sed ad ſe redeant quæſo, & aduertant quantò res clarior euadat, & validius longè ex hoc myſterio veritas corporis CHRISTI contra Marcionem demonſtretur, ſi verba Cœnæ accipiant ſicuti nos, remque quam credimus per ea fieri exiſtiment. Nam neceſſe eſt vero & ſolido CHRISTVM conſtitiſſe corpore, ſi panem in verum corpus mutauit.

Redeo ad aliam conditionis partem, quam obtulimus, quaue Aduerſarijs poteſtatem fecimus eligendi vtrum malint ex hoc myſterio diuinam quàm humanam CHRISTI naturam cognoſci. Sed eam recuſant opinor, nam res non foret ambigua, ſi ea conditione Tertulliani ſermonem explicarent, quia ſcilicet aliquid in Cœna eſſet quod miraculi locum neceſſariò obtineret, alioquin non ſatis ſe Deũ probaſſet CHRISTVS per Euchariſtiam, ſi nil aliud quàm ſignum feciſſet, vel ſi totum hoc myſterium quod *memorabile factum* vocat Tertullianus, in figuram abiret, quæ miraculi vim non obtinebit: Neque aliter hoc capite probat CHRISTVM Deum fuiſſe, quàm eius miracula enarrando; Et ea de cauſa lugentis Naturæ labores & hæc miracula accumulat.

Exſpirante Deo tacitè de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum Sole refugit;
Bis fuit vna dies, mediam nox atra coperuit;
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuere ſepulchra piorum,
Cunctaque quem norunt paſſum, timuere videre.

Hæc omnia ad CHRISTI diuinam naturam contra Iu-

Digitized by Google

dæos confirmandam perſtringit Tertullianus, quare ſi ex myſterio Euchariſtiæ, eadem probetur natura, eandem quoque probandi vim, nempe miracula, neceſſe eſt Aduerſarios in Euchariſtia admirari.

Cæterùm hæc verba, *Non ergo manifeſta fides? non omnia fixa?* conſiderāda ſunt: quæ de Cœnæ myſterio dicturus, præmittit Tertullianus ad fidem tanti facti in animis excitandam. Præterea ex his colligitur in verbis Cœnę nil ambigui antiquos Patres intellexiſſe, cùm ex ſimplici & nuda narratione vltimæ Cœnæ, affirmarent totum hoc myſterium manifeſtum eſſe; & nullo alio argumento demonſtrat Marcioni Tertullianus, CHRISTVM verè panem feciſſe corpus & carnem ſuam, quàm ea perſpicuitate & certitudine eius hiſtoriæ & verborum CHRISTI.

TERTVLLIANVS DE MONOGAMIA. CAPITE XI.

Et illi planè ſic dabunt viros & vxores quomodo Buccellas.

VNum illud monere poſſum de Euchariſtia illic mentionem non eſſe, quod quomodo dicerem non ſatis mihi conſtabat, ne minùs firmum videretur ob authoritatem C. Baronij qui ad annum Chriſti 57. numero 151. ex his putat probari (quod aliunde fieri poſſe non negamus) Chriſtianos olim ſolitos Euchariſtiam per buccellas & particulas domum reportare, vt ſi temporum iniquitate ad Eccleſiam accedere non liceret, ea re non carerent, ſine qua neque ætatem, neque diem vnum exigere fœliciter putarent. Verùm hæc à Tertulliano non eo ſenſu dicuntur, ſed illudendi & exprobrandi cauſa, quòd apud Orthodoxos tam facile ſecundas, vel etiam tertias nuptias cōcederent quam buccellam panis mendicanti, addit (per iocum ſcilicet) nequidem id fieri ſine Scripturę authoritate, quod nimirum ſcriptum ſit, *omni petenti te dato*, & ſimulat hæc verba ex Orthodoxorum ſententia non ſolùm ad eleemoſynam, ſed etiam ad omnia ſacramenta pertinere. Quæ cùm ita ſint, atque meo

Digitized by Google

quidem iudicio intelligenda, non video quomodo ſermo de Euchariſtia potuerit interuenire, aut quā ratione de ea loquutus eſſet: ſi enim per buccellas Euchariſtiam intelligas, dixit Tertullianus Orthodoxos tam facilè vxores daturos quàm Euchariſtiam, quorum cùm nullus perſpicuus ſenſus, aut firma ratio aſſignari poſſit, liquidum fit ea non eſſe explicanda de Euchariſtia, de Baptiſmo, quo tempore ad Montanum nondum tranſierat, negat hæc verba *omni petenti te dato*, ad Baptiſmum pertinere, ſed ad ſolā eleemoſynam, ex quibus coniecturam hanc aucupari poſſumus, fuiſſe qui ſerio ex his Scripturę verbis putarent cuilibet petenti ſacramenta conferenda eſſe.

TERTVLLIANVS DE CORONA MILITIS. CAP. III.

Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur.

ILluſerat quidam, quod hæc ad Euchariſtiam pertinere negaſſem; & certè pene metum & ſcrupulum iniecerat, ni iudicium noſtrum I. C. Peronio harum rerum peritiſſimo placuiſſet. Itaque ex eo quod ait conſuetudinem poſtulare, vt anxiè patiamur calicis aliquid aut panis in terram decidere, ſatis planum fit de pane communi & domeſtico hæc verba accipienda eſſe, nimium enim ſacramento detraheret atque ambiguum relinqueret, an loco corporis Chriſti habuiſſet, ſi de Euchariſtia loqueretur. Nam quæ conſuetudine inualuerunt magis ex optimorum virorum æſtimatione & arbitrio vim & religionem trahere videntur, quam à natura & ingenio ſuo; & quamuis illis innata & naturalis eſſet aliqua cultus ratio, primo tamen intuitu non videntur, neque apparent colenda: nullus enim vnquā eò vecordiæ aut ignorantiæ deuenit, vt à conſuetudine diſcat Deum eſſe adorādum, aut quęrenti quamobrem Deum adoret, conſuetudine inualuiſſe dicat. Ita ſi de Euchariſtia

ageret, immeritò inter exempla rerum quæ conſuetudine obſeruantur, eius cultum & venerationem recenſeret. Quis enim Chriſto dum inter mortales degeret, debitos honores conſuetudini tribueret? Quis à conſuetudine aberrare, & in ſolam obſeruationem peccare cenſeret eos qui Chriſti corpus ad terram affligerent? quaſi non perinde officij neceſſitate quàm arbitrio humano & placita lege hos honores præſtemus. Preterea particula illa *etiam* argumēto eſt de communi mentionem eſſe, quaſi dicat ex conſuetudine Chriſtianos ægrè ferre ordinarium etiam panem humi iacere, ſicut adhuc multis eadem eſt religio; cuius aliam rationem non reperies, niſi quod ex huiuſmodi rebus ſacro-ſanctum Chriſti corpus conficitur, atque res illæ aliquo honore dignæ maioribus noſtris viſæ ſint, quę tanto myſterio inſeruirent.

DE SPECTACVLIS. Cap. xxv.

Ex ore quo Amen in ſanctum protuleris gladiatori teſtimonium reddere.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere nemo inficias ibit qui huiuſce vocis *Amen* ſignificationem, & priſtinæ Eccleſiæ ritum & conſuetudinem non ignorarit: Nam in huiuſmodi myſterijs hanc vocem ſæpiùs repetebant, vt aliàs diximus, & hæc Tertulliani verba eodem referenda eſſe ex his ſequentibus liquet, *gladiatori teſtimonium reddere*, vult enim dicere turpe & flagitioſum eſſe ea ipſa lingua atque ore quo porrigente Diacono teſtamur nos verum Chriſti corpus in Eccleſia ſumere, mancipijs Diaboli & gladiatoribus applaudere: In Theatris enim vulgus egregia gladiatorum facinora manibus & ſecundis acclamationibus extollebant. Porrò paululum iuuat percunctari Aduerſarios quorſum Diaconus ſe verum Chriſti corpus porrigere monuiſſet, populus identidem ſe ita credere profeſſus fuiſſet, ni vtrique ita ſe rem habere exiſtimaſſent? Enimuerò in myſterijs fidei & ſacramentis quæ extraneos arbitros non verebantur, debebant certè ſumentibus, non ſolùm rem ſicuti erat rudi præſertim plebeculę aperire; verùm etiam ſi ea ipſa verba ſcripturę aliter intellexiſſent, quam ſonant, mollire, eorumq; ſenſum patefacere. Accedit tanti Tertullianum feciſſe

ciſſe

Digitized by Google

ciſſe Euchariſtiam, vt nihil dignius neque præſtantius os Chriſtianorum contingere, neque alia de cauſa illud ipſum magis conſecrari polluique crediderit. Denique notandum eſt Euchariſtiam hic à Tertulliano *ſanctum* vocari quaſi præſentem Chriſtum, eiuſque corpus hoc nomine deſignet, vimque ac gratiam huiuſce ſermonis in eo ſitam eſſe, quod os illud & vox quæ ſe verum, ſanctum & Chriſtum accipere teſtaretur, non deberet teſtimonium pro Gladiatore & diabolo dicere.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

Par lettres patentes du Roy données à Paris le neufieſme iour de Septembre 1622. ſignées Goiſlard. Il eſt permis à Laurent Sonnius marchand libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, & expoſer en vente vn liure intitulé, Gabrielis Albaſpini Aurelianenſis Epiſcopi de veteribus Eccleſiæ ritibus Obſeruationum libri duo, Notæ in Concilium Eliberinum, alios quoſdam canones antiquos, & aliquot Tertulliani libros. *Et ce iuſques à ſix ans à commençer du iour que ledit liure aura eſté acheué d'eſtre imprimé, auec defenſes à tous autres libraires de ce Royaume de l'imprimer à peine de deux mille liures d'amende.*

Acheué d'imprimer le neufieſme iour de Septembre 1622.

Digitized by Google

ERRATA.

P 3. Cui lege Qui. p 5 qui nunc eſt à vera interpunge ſic, qui nunc eſt, à vera. p 7 ſocietate, Eccleſiam. lege Eccleſiarum. p. 9. conceſſus lege confeſſus. p. 11. Clerici quia Diaconis, lege qui Diaconis p. 14 prouiſam fuiſſe, lege præciſam fuiſſe. p 16 admoneret, lege admonerer p. 17 minimè admittit, lege minimè admiſit. p. 17. Et catalogo qua recenſebant Clerici, lege Et è catalogo in quo recenſebantur Clerici. p. 20. expungebantur, l expungebatur. p 21. puta factum, lege puta furtum. p. 24 qui l. qui. p. 25. abijſſet, l obijſſet p 30 quod in omnibus Niçæno auertitur. dele p 33 veniam dari, charactere Italico. ſicut & communicare vt laicus. p. 3. neſcio latentes, l. neſcio quid latentis p. eadem, contentio eum, l. contendo eum. p 54 poſitè, l. politè eadem p. nobilitantur l. nobilitarentur p. 60. ſpecie l ſpeciem. p. 62. quam illis l quem illi. ibid. publici l. publicis. p. 64. fundmento, l fundamento. p. 68 congrederentur l. congrederetur p. 69. pœnitenti l. pœnitentis. p. 70. deſcendentium l decedentium p. 71. neque teſtimonia poſſe reperiri, quæ in promptu mihi eſſe non poſſunt, l. atque teſtimonia reperiri poſſe quæ mihi in promptu non ſunt. p. 73. more commentum dele more p. 76. Bercedenſis l. Gerundenſis p 80. exiſtiment l exiſtimem p. eadem Euchariſtiæ l. Euchariſtia. p. 85 eum l. cum p. 88 tempeſtatate l. tempeſtate. p. eadem addo l. adeo p 92 l. [illegible] p 95. Sabbatho in l. Sabbatho & p 96 ſecundam l ſecundum. p. 99. quenquam l quicquam. p. 104. lætitia ſine l. lætitia ſiue. p 110 quid in l. quid ni. p. 111. adgeniculantibus l. adgeniculationibus p 113. ante nonam l. ante. p. 121 inquit l ait p. 129 videris l. vides p. 149. & 151 arceſſionem l. receſſionem. p. 157. Eccleſiâ lege Eccleſia p. 163. execabili l. execrabili. p 165 & 166. Archiepiſcopum Toloſanum l. Epiſcopum p. 126. paraſceues l, paraſceuen, p, 176, in hunc l, niſi hunc, p, 179, mouere l, monere, eadem p, iungere l, iniungere, p, 186, pudore l, pœdore, p. 187, iudicio l, indicio, eadem p, collum l, vllum, p, 192, confiteare l confiteare, p, 193, lucta l, luctu, p, 195, pereat l, pœniteat, p, 204, eò l, eos, p, 206, indicaſſent l, iudicaſſent, p, 207, canoni l, canonis, p, 216, menſe l, meritò, p, 219, pœnitentiâ l, pœnitentiæ, p. 220, apponi l. opponi, p, 221, emi l, erui, p, eadem pœnitentia l, pœnitentiæ, p, 224, Verundenſis l, Gerundenſis, p, 227, augerentur l, angerentur, p, 228, omnia l, omnis p, 230, nouiſſe l, vouiſſe, p, 231, nonulla l, nonnulla, eadem p, pependiſſent l, ſuſcepiſſent, eadem p, ſatisfaciend viri l, ſatisfaciendi vim, p, 232, quaque l, quoque p, 239, quemquam l, quanquam, p, 242 intoleraſſent l, toleraſſent, p, 247, ſapit l. ſerpit, p, 248, eiuſdem l. eiuſdemque, p. 259, quarta l, quartò, p, 260 apponas l. opponas, p, 262, ab aliquaque l. ob aliquaque, eadem p, ſolius l, ſi ſolius, eadem p, Felicij l, Felicis, p, 263, & tam diu l, tam diues. p, 265, repellebantu l, repellebantur, p, 267, quo l, quos.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QVIDAM TERTVLLIANI LOCI EXPLICATI.

TERTVLLIANVS DE SPECTACVLIS. CAP XXIX.

Vis autem & ſanguinis aliquid? habes CHRISTI.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere, quidquid ſit interpretationis aliorum, neque aliter in Tertulliani ſermone vim aut gratiam reperiri arbitror. Chriſtianos namque dehortatur à Spectaculis, eoſque minus decere quæ Nationibus placeant, docet. Voluptatẽ prætereà alijs in rebus ponendã eſſe, neque deeſſe in diſciplina noſtra, quo ſeſe oblectent. Si ſcenicæ fabulæ & numeri laudentur, perſonare verſus & Cantica quæ auidas aures permulceant. Pugiles quoque Eccleſiam habere qui virtutes cum vitijs committant & ſuperent. Denique ſi humano cruore delectentur, CHRISTI ſanguine ſitim explere poſſe. Quapropter cùm Chriſtianos dicat habere CHRISTI ſanguinem, quo non minus quàm Nationes cruore vilis animæ & in arena iugulatæ, ſatientur, ad rem magis facere videtur, & comparatione & ſimilitudine magis conueniens de vero calicis ſanguine, eum loquutũ eſſe, quàm de recordatione eiuſdem ſanguinis è cruce ſtillantis.

Digitized by Google

Neque veriſimile ſit arenæ ſanguinem, quem è iugulo ſalientem ipſis oculis haurirent Ethnici & in delicijs haberent, cum ſola memoria ſanguinis excruciati & morientis CHRISTI eum comparaſſe. Adde cùm ſuperiùs eodem libello hoſtias quas immolatas, conuiuijs poſtea adhiberent, non cum memoria corporis CHRISTI crucifixi, ſed cum Euchariſtia ſociaſſe & contuliſſe; *De parētato non edimus, quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam Dæmoniorum.* Ad quæ etiam verba ſi animum contentionis vacuum applices, ea ſententiam noſtram confirmare deprehēdes. Nam cauſam referendo quamobrem de parentato & Sacrificato Gentilium non ederent Chriſtiani, quia videlicet cœnam Chriſti ſumerent vtramque cœnam aliquatenus comparat, & ita vtramque de parentato & Sacrificato præbere: Nationum cœnam de Idolothytis: Chriſtianorum verò ipſa Chriſti carne pro generis humani ſalute immolata & cæſa, inſtructam inſinuat.

TERTVLLIANVS Lib. v. Carminum. Cap. VIII.

Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?
Ante diem quam quum pateretur Paſcha celebrans,
Diſcipuliſque tradunt memorabile factum, &c.

HOc capite in eo potiſſimum verſatur Tertull. vt ſolidum Chriſti corpus eiuſque Diuinitatem per ea quæ geſſit demonſtret: occaſione data ab errore Iudæorum, qui vt Chriſtum Deum, ita eundem hominē, negaret Marcion.

Aſpicite errorem qui vos expugnat vtroſque;
Illi Deum, vos falsò hominem, ſine corpore corpus
Dicitis.

Itaque ab his duobus Carminibus quæ præcedens caput claudunt.

Digitized by Google

Namque hominẽ paritérque Deum tunc ſ[illegible] a prol a[illegible] unt,
Commixtum; nec pauca dabit ſignacula mundus.

Incipit Tertullianus probare Chriſtum humana ſimul ac diuina conſtare natura, quod vt exequatur pleráque miracula & facta perſequitur, verbi gratia, eius cruciatus, tormenta, vulnera, cæteráque quæ paſſus eſt, recenſet, quæ in ſpiritum cadere non poſſunt: quorum argumento & indicio concludit Chriſtum nequaquam carnis & corporis expertem fuiſſe, quia eiuſmodi cruciatibus non ſufficit ſpiritus.

Poſtremò Euchariſtiæ miraculum & Cœnæ factum commemorat Tertullianus: quo conſilio, aut quamobrem viderint aduerſarij. Sed certum mihi eſt, & manifeſtum fiet legenti, quidquid intra hos quatuor verſus huiuſce & præcedentis capitis legitur.

Namque hominem pariterque Deum tunc facta probabũt
Commixtum; nec pauca dabit ſignacula mundus.

Non te factorem mundi per facta probauit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?

Hoc omne ad probationem & confirmationem diuinæ & humanæ CHRISTI naturæ Tertullianum inſtruxiſſe. Nam per duo prima carmina apparet eum in hanc probationem deſcendere, & hæc verba futuri temporis *probabunt*, *dabit* confirmant ea quæ ſequuntur miracula ad id demonſtrandum attuliſſe. Deinde duo vltima carmina quid aliud concludunt quàm quod toto capite præſtitit, & conatus eſt oſtendere, nempe CHRISTVM per facta ſua ſe Deum & hominem probaſſe?

Itaque in quamcunque partem ſe ſe vertant Aduerſarij, neceſſe eſt fateantur ex Tertulliani ſententia, per myſterium Euchariſtiæ, nos in cognitionem diuinitatis aut humanitatis CHRISTI, aut vtriuſque peruenire poſſe. Et ob hanc cauſam hæc omnia facta & miracula enumerari à Tertulliano: quapropter vt præſens conſilium in tantis anguſtijs capiant, æquam eis conditionem offero, & optionem

Digitized by Google

facio, vt vel corpus CHRISTI contra Marcionem, vel eius Diuinitatem aduerſus Iudæos hoc Cœnæ myſterio eligant demonſtrari.

Si corpus per hoc memorabile Cœnæ factum malint probari, CHRISTVMque hoc Sacramento veri ſui corporis fidem firmaſſe, quomodo cum ſuo ſigno id conſequentur Aduerſarij? aut quî potuit CHRISTVS ſeſe corporeum verè oſtendere, effœtum modo & vacuum cõficiendo ſignum?

Sed ad ſe redeant quæſo, & aduertant quantò res clarior euadat, & validius longè ex hoc myſterio veritas corporis CHRISTI contra Marcionem demonſtretur, ſi verba Cœnæ accipiant ſicuti nos, remque quam credimus per ea fieri exiſtiment. Nam neceſſe eſt vero & ſolido CHRISTVM conſtitiſſe corpore, ſi panem in verum corpus mutauit.

Redeo ad aliam conditionis partem, quam obtulimus, quaue Aduerſarijs poteſtatem fecimus eligendi vtrum malint ex hoc myſterio diuinam quàm humanam CHRISTI naturam cognoſci. Sed eam recuſant opinor, nam res non foret ambigua, ſi ea conditione Tertulliani ſermonem explicarent, quia ſcilicet aliquid in Cœna eſſet quod miraculi locum neceſſariò obtineret, alioquin non ſatis ſe Deũ probaſſet CHRISTVS per Euchariſtiam, ſi nil aliud quàm ſignum feciſſet, vel ſi totum hoc myſterium quod *memorabile factum* vocat Tertullianus, in figuram abiret, quæ miraculi vim non obtinebit: Neque aliter hoc capite probat CHRISTVM Deum fuiſſe, quàm eius miracula enarrando; Et ea de cauſa lugentis Naturæ labores & hæc miracula accumulat.

Exſpirante Deo tacitè de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum Sole refugit;
Bis fuit vna dies, mediam nox atra coperuit;
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuere ſepulchra piorum,
Cunctaque quem norunt paſſum, timuere videre.

Hæc omnia ad CHRISTI diuinam naturam contra Iu-

dæos confirmandam perſtringit Tertullianus, quare ſi ex myſterio Euchariſtiæ, eadem probetur natura, eandem quoque probandi vim, nempe miracula, neceſſe eſt Aduerſarios in Euchariſtia admirari.

Cæterùm hæc verba, *Non ergo manifeſta fides? non omnia fixa?* conſiderāda ſunt: quæ de Cœnæ myſterio dicturus, pręmittit Tertullianus ad fidem tanti facti in animis excitandam. Præterea ex his colligitur in verbis Cœnę nil ambigui antiquos Patres intellexiſſe, cùm ex ſimplici & nuda narratione vltimæ Cœnæ, affirmarent totum hoc myſterium manifeſtum eſſe; & nullo alio argumento demonſtrat Marcioni Tertullianus, CHRISTVM verè panem feciſſe corpus & carnem ſuam, quàm ea perſpicuitate & certitudine eius hiſtoriæ & verborum CHRISTI.

TERTVLLIANVS DE MONOGAMIA CAPITE XI.

Et illi planè ſic dabunt viros & vxores quomodo Buccellas.

VNum illud monere poſſum de Euchariſtia illic mentionem non eſſe, quod quomodo dicerem non ſatis mihi conſtabat, ne minùs firmum videretur ob authoritatem C. Baronij qui ad annum Chriſti 57. numero 151. ex his putat probari (quod aliunde fieri poſſe non negamus) Chriſtianos olim ſolitos Euchariſtiam per buccellas & particulas domum reportare, vt ſi temporum iniquitate ad Eccleſiam accedere non liceret, ea re non carerent, ſine qua neque ætatem, neque diem vnum exigere fœliciter putarent. Verùm hæc à Tertulliano non eo ſenſu dicuntur, ſed illudendi & exprobrandi cauſa, quód apud Orthodoxos tam facile ſecundas, vel etiam tertias nuptias cōcederent quam buccellam panis mendicanti, addit (per iocum ſcilicet) nequidem id fieri ſine Scripturę authoritate, quod nimirum ſcriptum ſit, *omni petenti te dato*, & ſimulat hæc verba ex Orthodoxorum ſententia non ſolùm ad eleemoſynam, ſed etiam ad omnia ſacramenta pertinere. Quæ cùm ita ſint, atque meo

Digitized by Google

quidem iudicio intelligenda, non video quomodo ſermo de Euchariſtia potuerit interuenire, aut quã ratione de ea loquutus eſſet: ſi enim per buccellas Euchariſtiam intelligas, dixit Tertullianus Orthodoxos tam facilè vxores daturos quàm Euchariſtiam, quorum cùm nullus perſpicuus ſenſus, aut firma ratio aſſignari poſſit, liquidum fit ea non eſſe explicanda de Euchariſtia, de Baptiſmo, quo tempore ad Montanum nondum tranſierat, negat hæc verba *omni petenti te dato*, ad Baptiſmum pertinere, ſed ad ſolã eleemoſynam, ex quibus coniecturam hanc aucupari poſſumus, fuiſſe qui ſerio ex his Scripturę verbis putarent cuilibet petenti ſacramenta conferenda eſſe.

TERTVLLIANVS DE CORONA MILITIS. CAP. III.

Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur.

ILluſerat quidam, quod hæc ad Euchariſtiam pertinere negaſſem; & certè pene metum & ſcrupulum iniecerat, ni iudicium noſtrum I. C. Peronio harum rerum peritiſſimo placuiſſet. Itaque ex eo quod ait conſuetudinem poſtulare, vt anxiè patiamur calicis aliquid aut panis in terram decidere, ſatis planum fit de pane communi & domeſtico hæc verba accipienda eſſe, nimium enim ſacramento detraheret atque ambiguum relinqueret, an loco corporis Chriſti habuiſſet, ſi de Euchariſtia loqueretur. Nam quæ conſuetudine inualuerunt magis ex optimorum virorum æſtimatione & arbitrio vim & religionem trahere videntur, quam à natura & ingenio ſuo; & quamuis illis innata & naturalis eſſet aliqua cultus ratio, primo tamen intuitu non videntur, neque apparent colenda: nullus enim vnquã eò vecordiæ aut ignorantiæ deuenit, vt à conſuetudine diſcat Deum eſſe adorãdum, aut quęrenti quamobrem Deum adoret, conſuetudine inualuiſſe dicat. Ita ſi de Euchariſtia

ageret, immeritò inter exempla rerum quæ conſuetudine obſeruantur, eius cultum & venerationem recenſeret. Quis enim Chriſto dum inter mortales degeret, debitos honores conſuetudini tribueret? Quis à conſuetudine aberrare, & in ſolam obſeruationem peccare cenſeret eos qui Chriſti corpus ad terram affligerent? quaſi non perinde officij neceſſitate quàm arbitrio humano & placita lege hos honores præſtemus. Pręterea particula illa *etiam* argumēto eſt de communi mentionem eſſe, quaſi dicat ex conſuetudine Chriſtianos ęgrè ferre ordinarium etiam panem humi iacere, ſicut adhuc multis eadem eſt religio; cuius aliam rationem non reperies, niſi quod ex huiuſmodi rebus ſacro-ſanctum Chriſti corpus conficitur, atque res illæ aliquo honore dignæ maioribus noſtris viſæ ſint, quę tanto myſterio inſeruirent.

DE SPECTACVLIS. Cap. XXV.

Ex ore quo Amen in ſanctum protuleris gladiatori teſtimonium reddere.

HÆc ad Euchariſtiam pertinere nemo inficias ibit qui huiuſce vocis *Amen* ſignificationem, & priſtinæ Eccleſiæ ritum & conſuetudinem non ignorarit: Nam in huiuſmodi myſterijs hanc vocem ſæpiùs repetebant, vt aliàs diximus, & hæc Tertulliani verba eodem referenda eſſe ex his ſequentibus liquet, *gladiatori teſtimonium reddere*, vult enim dicere turpe & flagitioſum eſſe ea ipſa lingua atque ore quo porrigente Diacono teſtamur nos verum Chriſti corpus in Eccleſia ſumere, mancipijs Diaboli & gladiatoribus applaudere: In Theatris enim vulgus egregia gladiatorum facinora manibus & ſecundis acclamationibus extollebant. Porrò paululum iuuat percunctari Aduerſarios quorſum Diaconus ſe verum Chriſti corpus porrigere monuiſſet, populus identidem ſe ita credere profeſſus fuiſſet, ni vtrique ita ſe rem habere exiſtimaſſent? Enimuerò in myſterijs fidei & ſacramentis quæ extraneos arbitros non verebantur, debebant certè ſumentibus, non ſolùm rem ſicuti erat rudi præſertim plebeculę aperire; verùm etiam ſi ea ipſa verba ſcripturę aliter intellexiſſent, quam ſonant, mollire, eorumq; ſenſum patefacere. Accedit tanti Tertullianum feciſſe

ciſſe Euchariſtiam, vt nihil dignius neque præſtantius os Chriſtianorum contingere, neque alia de cauſa illud ipſum magis conſecrari polluique crediderit. Denique notandum eſt Euchariſtiam hic à Tertulliano *ſanctum* vocari quaſi præſentem Chriſtum, eiuſque corpus hoc nomine deſignet, vimque ac gratiam huiuſce ſermonis in eo ſitam eſſe, quod os illud & vox quæ ſe verum, ſanctum & Chriſtum accipere teſtaretur, non deberet teſtimonium pro Gladiatore & diabolo dicere.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

P*Ar lettres patentes du Roy données à Paris le neufieſme iour de Septembre 1622. ſignées Goiſlard. Il eſt permis à Laurent Sonnius marchand libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, & expoſer en vente vn liure intitulé,* Gabrielis Albaſpini Aurelianenſis Epiſcopi de veteribus Eccleſiæ ritibus Obſeruationum libri duo, Notæ in Concilium Eliberinum, alios quoſdam canones antiquos, & aliquot Tertulliani libros. *Et ce iuſques à ſix ans à commençer du iour que ledit liure aura eſté acheué d'eſtre imprimé, auec deffenſes à tous autres libraires de ce Royaume de l'imprimer à peine de deux mille liures d'amende.*

Acheué d'imprimer le neufieſme iour de Septembre 1622.

Digitized by Google

ERRATA.

P 3. Cui lege Qui. p 5 qui nunc eſt à vera interpunge ſic, qui nunc eſt, à vera. p 7 ſocietate. Eccleſiam. lege Eccleſiarum. p. 9. conceſſus lege confeſſus. p. 11. Clerici quia Diaconis, lege qui Diaconis p. 14 prouiſam fuiſſe, lege præciſam fuiſſe. p 16 admoneret, lege admonerer p. 17 minimè admittit, lege minimè admiſit. p. 17. Et catalogo qua recenſebant Clerici, lege Et è catalogo in quo recenſebantur Clerici. p. 2o. expungebantur, l expungebatur. p 21. puta factum, lege puta furtum. p. 24 qui l. quî. p. 25. abijſſet, l. obijſſet p 30 quod in omnibus Nicæno auertitur. dele p 33 veniam dari, charactere Italico. ſicut & communicare vt laicus. p. 3. neſcio latentes, l. neſcio quid latentis. p. eadem, contentio eum, l. contendo cum. p 54 poſitè, l. politè eadem p. nobilitantur l. nobilitarentur p. 60. ſpecie l ſpeciem. p. 62. quam illis l quem illi. ibid. publici l. publicis. p. 64. fundmento, l fundamento. p. 68 congrederentur l. congrederetur p. 69. pœnitenti l. pœnitentis. p. 70. deſcendentium l decedentium p. 71. neque teſtimonia poſſe reperiri, quæ in promptu mihi eſſe non poſſunt, l. atque teſtimonia reperiri poſſe quæ mihi in promptu non ſunt. p 73. more commentum dele more p. 76. Bercedenſis l. Gerundenſis p 80. exiſtiment l exiſtimem p. eadem Euchariſtiæ l. Euchariſtia. p. 85. eum l. cum p. 88 tempeſtatate l. tempeſtate. p. eadem addo l. adeo p 92. l. ἐπιτίθεσθαι. p 95. Sabbatho in l. Sabbatho & p 96 ſecundam l ſecundum. p. 99. quenquam l quicquam. p. 104. lætitia ſine l. lætitia ſiue. p. 110 quid in l. quid ni. p. 111. adgeniculantibns l. adgeniculationibus p 113. antc nonam l. ante. p. 123 inquit l ait p. 129 videris l. vides p. 149. & 151 arceſſionem l. receſſionem. p. 157. Eccleſiâ lege Eccleſia p. 163. execabili l. execrabili. p. 165 & 166. Archiepiſcopum Toloſanum l. Epiſcopum p. 126. paraſceues l, paraſceuen, p, 176, in hunc l, niſi hunc, p, 179, mouere l, monere, eadem p, iungere l, iniungere, p, 186, pudore l, pœdore, p. 187, iudicio l, indicio, eadem p, collum l, vllum, p, 192, confiteare l confiteare, p, 193, lucta l, luctu, p, 195, pereat l, pœniteat, p, 204, eò l, eos, p, 206, indicaſſent l, iudicaſſent, p, 207, canoni l, canonis, p, 216, menſe l, meritò, p, 219, pœnitentiâ l, pœnitentiæ, p. 220, apponi l. opponi, p, 221, emi l, erui, p, eadem pœnitentia l, pœnitentiæ, p, 224, Verundenſis l, Gerundenſis, p, 227, augerentur l, angerentur, p, 228, omnia l, omnis p, 230, nouiſſe l, vouiſſe, p, 231, nonulla l, nonnulla, eadem p, pependiſſent l, ſuſcepiſſent, eadem p, ſatisfaciend viri l, ſatisfaciendi vim, p, 232, quaque l, quoque. p, 239, quemquam l, quanquam, p, 243 intoleraſſent l, toleraſſent, p, 247, ſapit l. ſerpit, p, 248, eiuſdem l. eiuſdemque, p. 259, quarta l, quartò, p, 260 apponas l. opponas, p, 262, ab aliquaque l. ob aliquaque, eadem p, ſolius l, ſi ſolius, eadem p, Felicij l, Felicis, p, 263, & tam diu l, tam diues. p, 265, repellebantu l, repellebantur, p, 267, quo l, quos.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IHS